BIBLIOTHECA
FF. PRÆDICATORUM
CONVENTUS
CIVIT. BENITIÆ
Lit. 3 48 / C
Pl.

RT. REV. EUGENE O'CONNELL,
LOS ANGELES,
CAL.

MANUALE

TOTIUS JURIS CANONICI.

MANUALE

TOTIUS

JURIS CANONICI

AUCTORE

D. CRAISSON

QUONDAM VICARIO GENERALI DIŒCESIS VALENTINENSIS

OPUS ROMÆ EX AUCTORITATE SUPERIORE EXAMINATUM,

APPROBATUM ET COMMENDATUM AB EXAMINATORIBUS ROMANIS

EDITIO QUINTA

SYLLABO, CONCILIO VATICANO, CONSTITUTIONI *Apostolicæ Sedis*, ALIISQUE CONSTIT. S. PONTIFICIS, AC DECRETIS ROMANARUM CONGREG. RECENTER EDITIS ADAPTATA ET PLURIBUS MENDIS EXPURGATA.

TOMUS QUARTUS

PICTAVII

SUMPTIBUS AUCTORIS

EX TYPIS H. OUDIN, EPISCOPALIS TYPOGRAPHI

187

nem deducendi : unde jurisdictionem habere debet in foro externo.

Dicit tamen Devoti (lib. 3, tit. 2, § 3) : « Imperium... non » semper judicandi potestati cohæret : sunt enim judices » qui solam habent notionem, non item jurisdictionem » (velut arbitri); et hi tantùm rem controversam cognoscunt » atque definiunt, imperium quo sententiam exequantur » adjunctum non habent, ac propriè non jus dicere, sed » judicare dicuntur. »

5477. — 3° In omni judicio forensi requiritur *actor* vel *quasi-actor* à judice distinctus, qui ipse petat ut justitia sibi fiat, vel ut pœna alteri tanquam debita imponatur : in primo casu dicitur simpliciter *actor*, in secundo *accusator* vel *denuntiator* : unde axioma : *Nemo potest esse simul accusator et judex*. Dux ergo militiæ, aut provinciæ gubernator qui militis aut alterius malefactoris delictum videns, debitam in eum pœnam decerneret non censeretur ferre judicium propriè dictum seu forense ; idem est dicendum de magistratu qui, nullo postulante, pronuntiaret de eo quod alteri deberetur. Tale judicium neutiquam ut verum judicium forense habendum esset.

5478. Non tamen semper requiritur ut *actor* seu *accusator* sit persona distincta : benè enim potest judex, audito rumore de patrato delicto, eos qui deliquisse dicuntur, ad suum tribunal vocare, veritatem inquirere, et, eâ certò compertâ, sententiam proferre : « Non solùm, inquit » Innoc. III (in Concilio Lateranensi IV, anno 1216), cùm » subditus, verùm etiam cùm Prælatus excedit, si per clamo- » rem et famam ad aures Superioris pervenerit... debet coram » Ecclesiæ senioribus veritatem diligentiùs perscrutari, ut » (si rei poposcerit qualitas) canonica districtio culpas feriat » delinquentis : non tanquam idem sit accusator et judex, » sed *quasi denuntiante famâ*, vel *deferente clamore*, officii » sui debitum exequatur. » — (Cap. *Qualiter et quanto* 24, *de Accus.*)

In hoc ergo casu, fama et rumor vices *accusatoris* implent, nec unquam judex procedere potest ex solâ notitiâ sibi propriâ criminis; nec tunc habet potestatem puniendi

delictum, sed tantùm posset reum ad aliud tribunal citare et contra ipsum testimonium ferre; et etiamsi haberet hanc potestatem, prout aliquando habent dux militiæ et provinciæ gubernator, non propriè judicium forense pronuntiaret, ut jam diximus, sed solùm exerceret actum disciplinarem.

5479. — 4° Requiritur etiam *reus*, scilicet persona à quâ aliquid exigatur, vel punienda propter delictum postulatur: actor enim nullo modo necessarius foret in judicio forensi, nisi etiam reus intervenire in eo necessariò deberet. Hoc nomine *rei* vocatur quia ab ipso aut contra ipsum *res* de quâ disceptatio est, à judice postulatur.

5480. — 5° Tandem requiritur *causæ disceptatio*, id est, ut proferantur rationes actoris ad probandam postulationis suæ justitiam et fiat reo facultas illi respondendi : alioquin sententia prolata non esset judicialis, sed tantùm extrajudiciaria. Non tamen requiritur ut de facto reus coram judice compareat, et se defendat, sed sufficit ut ipsi fiat facultas comparendi et sese defendendi : nam si ad judicium debitè vocatus, venire recuset, hâc ipsâ agendi ratione satis manifestat se esse omni efficaci defensionis medio destitutum; et si hoc non sufficeret ut judex posset sententiam ferre, administratio justitiæ à quolibet reo posset impediri.

Nihil ampliùs requirunt DD. ad essentiam judicii forensis : undè aliæ formalitates à lege, etiam sub pœnâ nullitatis præscriptæ, ex solo jure positivo requiruntur, non ex naturâ judicii forensis. — Vide Bouix (*De Judiciis*, tom. 1, p. 6-12).

5481. — II. Ex dictis judicium forense rectè definitur : *judicis sententia de jure ab actore contra reum prætenso, post debitam disceptationem prolata.* In hâc enim definitione inveniuntur quinque conditiones supra expositæ, ut facilè detegi potest.

5482. *Nota* quòd potestas judicis non sit solùm potestas causas cognoscendi, et quoad eas jus dicendi, sed etiam potestas *imperii* seu potestas cogendi ad comparendum, et sententiam in executionem deducendi : inanis enim remaneret, ut satis liquet, auctoritas juris dicendi in judice

nisi ei daretur etiam dicta imperii potestas. Vide tamen dicta supra (5476).

5483. Differt autem *judicium forense* à *quæstione*, *lite*, *causâ* et *instantiâ*. — « *Judicii* nomine, inquit Schmalz- » grueber apud D. Bouix (*ib.*, p. 13 et 14), venit contro- » versiæ et quæstionis in judicium deductæ tota discussio... » à citatione usque ad sententiam [1]. *Quæstio* est ipsa *res* » vel jus controversum quod deduci in judicium potest : » quòd si actu in judicium deducatur, *causa* vocabitur : ut » adeo causa et quæstio in hoc solùm differant, quòd » causa propriè non dicatur nisi in judicio, quæstio autem » etiam extra illud. *Litis* nomine plerumque venit actio quâ » causa controversa deducitur in judicium, sive in rem sive » in personam sit. *Instantia* denique est exercitium actionis » quod litis contestatione incipit, et usque ad sententiam » definitivam durat, si feratur; si non feratur, biennii aut » triennii lapsu, et etiam rei absolutione, de jure saltem » civili (Justiniani) extinguitur. Porrò quæstio... est dupli- » cis generis, *facti et juris*. *Facti* quæstio est, cùm de » facto de quo fortè nondùm liquet, vel si de hoc liqueat, » de circumstantiis facti quæritur... *Juris* quæstio est » quando quæritur de facti merito, quod in eo consistit, » ut jus facto rectè applicetur : interrogatur ergo in hoc, » an id quod factum est jure factum sit, et quid de hoc » facto leges statuerint : exempli gratiâ, an rectè Titius » occiderit Caium, et si malè occidit, quâ pœnâ sit affi- » ciendus. »

5484. Positâ hominum in præsenti naturæ lapsæ statu conditione, quâ fit ut multæ lites et delicta perpetuò exoriantur, jure naturali, in omni societate completâ, debet esse judiciorum propriè dictorum institutio : non ideò tamen jus naturale absolutè postulat quòd omnia crimina coerceantur et omnes lites dirimantur per judicia propriè dicta : sæpe ècontrà expedit disciplinæ militari ut duces possint promptè punire militum culpas sinè figurâ judicii

[1] Non ergo judicium sistit in solâ judicis sententiâ : in eo auctores tria solent distinguere : *initium*, *medium et finem* : nempe *introductionem*, *disceptationem et sententiam*. (Vide Lequeux, n° 1232, 3ª editio.)

forensis. Imò Episcopi, in quibusdam casibus, juxta Concil. Trident., procedere valent extrajudicialiter seu ex informatâ conscientiâ, ut infra dicturi sumus [1].

5485. — III. Judicia dividuntur : 1° In *ecclesiastica* quæ ab auctoritate ecclesiasticâ feruntur ; et *sæcularia* quæ exercentur à magistratibus sæcularibus.

2° In *civilia* et *criminalia*. — *Criminalia* dicuntur ea quibus malefacta plectuntur ; *civilia* verò quibus dirimuntur cæteræ lites : quæ divisio intelligi debet etiam de judiciis ecclesiasticis.

5486. — 3° In *ordinaria* seu *solemnia* in quibus observantur omnes solemnitates à lege præscriptæ ; et *extraordinaria* sive *summaria*, in quibus sufficit observare eas quæ à naturâ judiciorum requiruntur et necessariæ sunt ad dignoscendam veritatem : in prioribus judex *sedet pro tribunali ;* in posterioribus agit *de plano*. In jure tamen romano (necnon in nostro) judicium *summarium* non confundebatur cum judicio *de plano*, sed quoties judex, non ascenso tribunali, sed discedens aut etiam domi jus dicebat quod ei à jure romano in quibusdam casibus erat concessum, tunc judicium *de plano* dicebatur. In multis autem judiciis, etsi summariis, judex sedere debebat in suo tribunali. In jure verò canonico judicium de plano idem est ac judicium summarium. — Vide Lequeux (n° 1235 *in notâ*.)

5487. — 4° In *petitoria* et *possessoria*. — *Petitoria* dicuntur judicia in quibus litigatur de proprietate rei vel de jure aliquo sive *in re* sive *ad rem*, petitque actor se rei controversæ declarari dominum, aut sibi jus *in re* vel *ad rem* competere. *Possessoria* verò ea sunt in quibus partes disceptant de solâ rei vel juris possessione aut adipiscendâ aut retinendâ aut recuperandâ, cùm scilicet actor tantùm petit vel ut adipiscatur possessionem rei, vel non turbetur in quietâ ejus possessione, vel ut recuperet amissam.

5488. — 5° In *simplicia et duplicia*. — *Simplicia* sunt

[1] Actus extrajudiciales sunt illi qui non pertinent directè ad judicia strictè dicta seu forensia, ut actus quibus exercetur jurisdictio gratiosa et etiam actus quibus puniuntur delinquentes, sed absque omni figurâ judicii.

quando una pars est *actor* et altera *reus;* duplicia verò quando utraque pars est simul actor et reus, quod accidit quando uterque litigans alterum convenit et aliquid ab eo petit.

5489. — 6° In judicia *primæ* vel *secundæ instantiæ*, vel *definitiva*, prout datur vel non facultas appellandi ad judicem superiorem.

5490. — 7° In judicia *bonæ fidei* et *stricti juris*. « *Judicium* » *bonæ fidei* est in quo liberam potestatem à lege sibi con- » cessam judex habet, ut æstimare ex æquo et bono possit » quantùm actori restitui debeat; adeoque adjudicare ali- » quid potest, de quo inter partes haud conventum et » quod in libello non est petitum. *Stricti juris* judicium est » in quo facultas judicis est restricta, ita ut ultra id quod » vel nominatim inter partes actum, vel specialiter legibus » de negotio cautum est, sententia sua non possit pro- » gredi... Enumerantur autem actiones bonæ fidei omnes » § *Actionem*, 28 *Inst. de action.* Cæteræ quæ ibi non sunt » positæ, stricti juris censentur. » Ita Schmalzgrueber (apud Bouix, *ib.*, tom. 1, p. 18).

5491. Antequam materiam de judiciis ecclesiasticis exordiamur, in memoriam revocandum est quod in Prolegomenis diximus (18), nempe quòd licet de se leges civiles nihil valeant præscribere in negotiis ecclesiasticis, attamen à Sede Apostolicâ sancitum fuerit generaliter ut, ubi deficeret juris canonici regula, ad jus romanum (seu Justinianum) recurrendum esset. « Sicut leges non dedignantur » sacros canones imitari, inquit Lucius III (cap. *Intellexi-* » *mus* 1, tit. 32, lib. 5 Decret.), ita et sacrorum statuta » canonum principum constitutionibus adjuvantur. » — Sed hoc locum habet duntaxat in rebus *merè profanis*, v. g., circa contractus; et requiritur ut nullâ ex parte adversentur sacri canones (Vide Bened. XIV, *De Syn.*, lib. 9, c. 14); hocque etiam est soli juri romano proprium, nec potest extendi ad cæteros codices, sive antiquos sive hodiernos. Ut quis ergo peritus fiat in jure canonico, debet etiam et jus romanum addiscere. Vide Bouix, *ib.*, tom. 1,

p. 19-23 ; et dicta supra de studio medicinæ et juris civilis (2062).

Deveniendum nunc ad judicia ecclesiastica de quibus solis est agendum in præsenti tractatu.

PARS PRIMA.

DE JUDICIIS ECCLESIASTICIS SIVE IN GENERE SIVE IN SPECIE.

5492. Dicemus : 1° de judiciis ecclesiasticis in genere ; 2° de judiciis ecclesiasticis in specie.

SECTIO PRIMA.

DE JUDICIIS ECCLESIASTICIS IN GENERE.

CAPUT I.

AN ECCLESIA HABEAT FORUM EXTERNUM SEU PROPRIE DICTAM POTESTATEM JUDICIARIAM.

5493. Multi heterodoxi negârunt, apprimè intelligentes parùm sibi esse pertimescendam Ecclesiæ auctoritatem, si ita coarctaretur illius potestas ut posset tantùm suadere, deprecari, aut ad summum excommunicare, nullâ vi adhibitâ ut rei, etiam inviti, coram suo tribunali comparerent et suis sententiis obtemperarent.

« Primus Aetius omnem Ecclesiæ jurisdictionem et le-
» gislativam potestatem eripere conatus est : ejus errorem
» secuti sunt Valdenses, Joannes Hussius, Marsylius Pata-
» vinus, Jandunus, Lutherus, Calvinus, Grotius, qui
» falsò putârunt nullam Ecclesiæ esse jurisdictionem, sed
» omnem ejus in dirigendo et suadendo positam esse auc-
» toritatem. Horum exemplo Protestantes omnes qui jus
» principis in sacra tuentur, Ecclesiæ adimunt judiciariam
» potestatem : qui cum Puffendorfio Ecclesiam non dis-

» tinctam Rempublicam aut *Statum* (ut inquiunt), sed tantùm *Collegium* esse contendunt (ut Moshemius, Bohemerus, Budæus aliique); omnem Ecclesiæ esse negant judiciariam potestatem, sed hanc ad jus majestatis Principis sæcularis pertinere arbitrantur; atque Ecclesiæ tantùm jus collegiale tribuunt. Joannes Bodinus (lib. 3, *de Rep.*) ecclesiasticæ jurisdictioni ac foro vehementer adversatur, atque eum secutus est Carolus Loysæus in suo... *Traité des Seigneuries*. In eodem luto hæsitat P. La Borde, qui opusculo cui titulus *Principes sur l'essence.... des deux puissances*, etc., datam à Christo Ecclesiæ potestatem, non solùm dirigendi per consilia et suasiones, sed etiam jubendi per leges, cogendique et pœnâ coercendi eos qui pœnâ sunt digni, labefactare ac tollere conatur, atque ecclesiasticum ministerium ita sæculari potestati subjicit ut ad hanc pertinere contendat de externâ omni ac sensibili gubernatione cognoscere ac judicare. Pravum... opusculum damnavit Bened. XIV, Constit. *Aa assiduas*... et similis Marsylii Patavini et Janduni error multò ante damnatus fuit à Joanne XXII, Constit. *Licet juxta doctrinam*..... Morinus (in opere *De Pœnitent. administrat.*, lib. 1, c. 10) forum contentiosum Ecclesiæ non distinguit à foro pœnitentiali, atque illum tantùm post XI aut XII sæculum Ecclesiam habuisse putat. Cum Morino sentit Van-Espen (*Jus ecclesiast...*, lib. 3, tit. 1). Fevretii celebre est opus de abusu quo ipse ecclesiasticam jurisdictionem et judiciariam potestatem acriter insectatur. Inde Dupinius (*De Antiq. Eccles. discipl.*, dissert. 7, § ult.) judicium ecclesiasticum in civilibus et criminalibus causis et potestatem ex Principis permissu repetit. Petrus Giannonius (*Hist. civ. regni Neapolit.*, lib. 2, cap. ult., tom. 1), hostis infensissimus contentioso Ecclesiæ foro omnem ejus potestatem in docendo, orando, suadendo, et per censuras corrigendo ponit, et Morino etiam assentitur. Jacobus quoque Gothofredus... et Jacobus Cujacius... judiciariam Ecclesiæ potestatem negant. » Ita Devoti, lib. 3, tit. 1, § 4, *in notâ*.

Contra illos omnes stabilienda est propositio sequens :

5494. *Propositio.* — Est in Ecclesiâ forum externum ad exercendam propriè dictam judiciariam potestatem.

Quod est hîc probandum non est tantùm potestas condendi definitiones fidei, vel leges disciplinæ quæ omnes obligent, aut ferendi censuras bonis quibusdam spiritualibus privantes, aut judiciaria potestas in foro Pœnitentiæ erga reos qui spontè peccatores se esse confitentur sive secretò sive publicè; hæc omnia alibi demonstrantur; sed probare intendimus Ecclesiæ inesse jus habendi tribunalia, in quibus judices ab eâ constituti ita valeant jus dicere circa certas causas ecclesiasticas, ut reis coram hujusmodi judicibus conventis liberum non sit non comparere, sed in conscientiâ ad id teneantur, et potestate judicis, tam censuris quàm pœnis etiam temporalibus, cogi possint ad comparendum et ad subeundam ac exequendam sententiam contra ipsos latam.

5495. Certum est hanc propositionem esse de fide si intelligatur de tribunalibus in quibus judices ecclesiastici possint pœnis spiritualibus cogere reos ut compareant, sententiamque subeant et exequantur. Id agnitum fuit ab ipsâmet Universitate Parisiensi 15 decemb. 1617 in damnatione cujusdam Marci-Antonii de Dominis propositionis : « Hæc propositio, inquiunt, quâ parte veram jurisdictio» nem, id est vim coactivam et subjectionem externam » Ecclesiæ denegat, est *hæretica* et totius ordinis hierarchici » perturbativa. »(Vide Bouix, *De Judiciis*, tom. 1, p. 44.) —Imò eam esse de fide, etiam intellectam de potestate pœnis etiam temporalibus reos ad præfata cogendi, asserit Suarez, tract. *de Fide* (disp. 29, sect. 3, n° 10), ubi dicit : « Ecclesiæ non tantum est data potestas ad co» ercendos hæreticos per spirituales pœnas, sed *etiam per* » *temporales et corporales. Hæc assertio etiam est de fide.* » Attamen, infra n° 19, sententiam eorum qui dicunt potestatem puniendi hæreticos pœnis temporalibus non esse Ecclesiæ innatam, sed venire à concessione principum, censet solùm « erroneam, et defensores ejus ad minimum

» esse valdè suspectos de hæresi et manifestos hæreticorum
» fautores. »

« Opinio illa, inquit D. Bouix (*De Judic.*, tom. 1, p. 66),
» videtur ad minus erronea et temeraria dicenda. Non ta-
» men videtur ipsi inuri posse notam hæreseos... Nam in...
» definitionibus declaratur quidem Ecclesiæ competere
» potestatem *externè et exteriori judicio et salubribus pœnis*
» *coercendi atque cogendi ;* non tamen expressis terminis
» additur *per temporales et corporales pœnas*...: uno saltem
» syllogismo opus est ad eum deducendum ; atque ideò,
» modò quis *coactivam* Ecclesiæ potestatem admittat,
» etiam si sustineat non esse coactivam per temporales et
» coactivas pœnas, hæreticus non erit dicendus : non ta-
» men licitè istiusmodi opinioni adhærebit, cùm saltem
» ut erronea et temeraria habenda sit. » — His prænotatis ad probationem thesis veniamus :

5496. Probatur 1° ex *Scripturâ*. Dicitur in Epist. ad Tim., c. 5, v. 19 : « Adversùs presbyterum accusatio-
» nem noli accipere, nisi sub duobus aut tribus testibus » : quibus verbis manifestè probatur inesse Episcopis propriè dictam potestatem judiciariam : nam ibi adest judiciaria potestas propriè dicta ubi inveniuntur essentialia ejus : porrò ex verbis modò relatis constat Episcopis talia inesse ; actor enim coram ipsis potest reum citare, et modò probet sub duobus vel tribus testibus potest legitimè rei condemnationem intendere et obtinere, cùm, eo casu, Apostolus permittat Episcopis in personâ Timothei, hujusmodi accusationem recipere ; hæc autem sunt essentialia judicii forensis, seu potestatis judiciariæ propriè dictæ, ut supra diximus, in capite proœmiali (5475-5480). Ergo ex textu allato probatur thesis.

Item in Epist. 1 ad Cor., c. 4, v. 1, S. Paulus minatur se venire ad eos *in virgâ* ; et in Epist. secundâ ad eosdem, c. 10, v. 6, de se dicit : « In promptu habentes ulcisci
» omnem inobedientiam » : sed hæc supponunt manifestè forum externum et potestatem judiciariam propriè dictam. Ergo, etc.

Sic habetur apud S. Matth., c. 18, v. 15 : « Si autem

» peccaverit in te frater tuus, vade et corripe eum inter
» te et ipsum solum; si te audierit, lucratus eris fratrem
» tuum; si autem te non audierit, adhibe tecum adhuc
» unum vel duos, ut in ore duorum vel trium testium stet
» omne verbum; quod si non audierit eos, dic Ecclesiæ;
» si autem Ecclesiam non audierit sit tibi sicut ethnicus et
» publicanus. Amen dico vobis : Quæcumque alligaveritis
» super terram, erunt ligata et in cœlo; et quæcumque
» solveritis super terram, erunt soluta et in cœlo. »

Ex dictis in hoc textu, peccata deferri possunt et debent coram Ecclesiâ intellectâ in sensu judæorum quales erant Apostoli, et tantæ auctoritatis est Ecclesiæ sententia ut ab ipsâ damnati tanquam *pagani et publicani*, quos judæi à Synagogâ seu ecclesiâ suâ ejiciebant, haberi debeant, ac proinde ut excommunicati; talesque sententiæ juxta Christum, à Deo ratificantur in cœlo statim ac in terrâ proferuntur : sed hæc iterùm probant Ecclesiæ inesse veram ac propriè dictam potestatem judiciariam. Ergo, etc. Vide Devoti, lib. 3, tit. 1, § 7.

5497. Probatur 2° *Traditione et praxi Ecclesiæ*. Legitur in Apologeticâ Tertulliani, cap. 39 (anno 202) : « Ibidem » (in Ecclesiâ) etiam exhortationes, *castigationes*, *et censura* » *divina;* nam et *judicatur magno cum pondere*, ut apud » certos de Dei conspectu : summumque futuri judicii » præjudicium est, si quis ita deliquerit, ut à *communica-* » *tione orationis et conventûs et omnis sancti commercii* » *relegetur*. » Ubi affirmatur adesse *castigationes*, *censuram divinam*, *taliaque judicia quæ sint præjudicium futuri judicii* in quibus delinquentes *ab oratione*, *omni conventu* et *sancto commercio relegentur*, ibi certè adesse affirmatur forum externum et potestas judiciaria propriè dicta. Ergo, anno 202, erat in Ecclesiâ forum externum ad exercendam propriè dictam judiciariam potestatem.

Anno verò 252, de Privato hæretico sic ad Cornelium Papam scribebat S. Cyprianus : « In Sambesitanâ coloniâ, » antè multos ferè annos, ob multa et gravia delicta, » nonaginta Episcoporum sententiâ condemnatus. » Postea de Jovino et Maximo qui Privato adhæserant, sic pro-

sequitur : « Ob nefanda... in se (contra ipsos) probatâ sen-
» tentiâ novem collegarum nostrorum condemnati, etc. »
Tandem loquens de pseudo-Episcopo Fortunato et sociis
ejus qui Carthagine condemnati Romam petierant, ad
Papam appellantes, sic ait : « Cùm statutum sit omnibus
» nobis, et æquum sit pariter ac justum, ut uniuscujusque
» causa illîc audiatur, ubi est examen admissum... oportet
» utique eos quibus præsumus, non circumcursare, nec
» Episcoporum concordiam cohærentem suâ subdolâ ac
» fallaci temeritate collidere, sed agere illîc causam suam,
» ubi et accusatores habere et testes sui criminis possunt. »
— Hæc iterùm probant Ecclesiam exercuisse, tertio sæculo,
potestatem judiciariam propriè dictam.

Ad finem tertii sæculi, aut ad summum ad initium
quarti sæculi referendi sunt canones Apostolorum : porrò
sic habetur in canone 73 : « Episcopum de aliquo per fide
» dignos accusatum homines, ab Episcopis vocari neces-
» sarium est : et si quidem comparuerit, et... convictus fuerit,
» censurâ irrogator ecclesiasticâ; si verò vocatus non ob-
» temperaverit, secundâ quoque vice vocator, missis duobus
» ad ipsum Episcopis ; quòd si per contumaciam nec sic
» quidem comparuerit, Synodus suam contra ipsum pro-
» nuntiato sententiam, ne quid tergiversando, detrectan-
» doque judicium lucri facere videatur. » Ergo forum exter-
num exstabat in Ecclesiâ tertio vel quarto sæculo. Vide etiam
can. 74. — Idem constat ex Constitutionibus Apostolorum
quæ communiter existimantur quarto sæculo anteriores.
Vide lib. 2, c. 11, 12, 37, 38. Dicitur autem in cap. 46 :
« Ne igitur disceptationes vestras gentiles cognoscant, ne-
» que ad dicendum contra vos testimonium adhibeantur,
» neque ab eis judicemini... si verò fratres habuerint ali-
» quid, alius adversùs alium..., qui convictus fuerit objur-
» getur, ejiciatur, et pœnas odii fraterni luat : deinde si
» eum peccati pœnituerit recipiatur : atque ita castigati tri-
» bunal nostrum allevabunt. » Vide adhuc c. 47 et 48.

Hæc potestas judiciaria exercita vel agnita fuit in omni-
bus ferè Conciliis etiam œcumenicis : videlicet in Conciliis
Nicæno I, erga Arium ; Constantinopolitano I, anno 381 ;

Ephesino I, anno 431, erga Nestorium; Chalcedonensi, contra Dioscorum; Constantinopolitano à Flaviano coadunato contra Eutichem, et aliis œcumenicis, ut videri potest apud D. Bouix (*ib.*, p. 36-40); Devoti (lib. 3, tit. 1, § 12, *in notâ*).

Agnita fuit ab Imperatoribus Constantino Magno (Bouix, *ib.*, p. 36) et Justiniano qui aiebat in Novellâ 82 : « Si delictum sit ecclesiasticum et indigeat correctione et pœnâ ecclesiasticâ, Deo amabilis Episcopus de hoc judicet, nullâ factâ communicatione cum clarissimis provinciæ judicibus : non enim volumus civiles magistratus de talibus negotiis ullo modo cognoscere ; ea enim ecclesiasticè discutienda sunt, et delinquentium animæ emendari debent per pœnas ecclesiasticas, juxta sacros et divinos canones, quos nostræ etiam leges sequi non dedignantur. » Omittimus plura alia documenta quæ in probationem afferri possent. Ergo multùm ante sæculum XI exstabat in Ecclesiâ forum externum.

5498. Probatur 3° *variis definitionibus.* In Const. *Licet juxta doctrinam*, errorem Marsylii Patavini profligavit Joannes XXII sequentibus verbis : « Isti blasphemi dicunt quòd tota Ecclesia simul juncta nullum hominem punire potest punitione coactivâ, nisi concedat hoc Imperator : quod utique doctrinæ catholicæ noscitur obviare. Constat enim quòd à Christo, Petro et in personâ Petri, Ecclesiæ potestas coactiva, vel saltem permissa extitit : *Quodcumque ligaveritis super terram*, etc. Ligantur enim, non solùm voluntarii, sed inviti. » Idem probat Pontifex multis aliis momentis, et sic tandem concludit : « Dei invocato nomine, articulos prædictos, videlicet..... *quòd Papa vel tota Ecclesia simul sumpta nullum hominem quantumcumque sceleratum potest punire punitione coactivâ, nisi Imperator daret eis auctoritatem :* veluti Sacræ Scripturæ contrarios, et fidei catholicæ inimicos, hæreticos seu hæreticales et erroneos ; necnon et prædictos Marsylium et Joannem hæreticos, imò hæresiarchas fore manifestos [illegible] sententialiter declaramus. »

Iidem errores profligati sunt à Bened. XIV per Breve

Ad assiduas quo damnatum fuit opusculum P. La Borde Oratoriani, cui titulus *Principes sur l'essence*, *la distinction... des deux puissances*, etc... Item damnati fuêre per Bullam *Auctorem fidei*, n° 4, ut videri potest supra (n° 13) et per Breve *Ad Apostolicæ* Pii IX quo damnata fuêre opera Joannis Nuytz, die 22 aug. 1851 : nam inter propositiones in eis damnatas recensetur opinio quâ asseritur : » Ecclesiam vis inferendæ potestatem non habere, neque » directam neque indirectam. » V. prop. 24 et 31 *Syllabi*.

Ergo indubitata est thesis nostra, et opinio ei contraria adversatur fidei catholicæ, estque hæretica in sensu supra exposito (5495).

5499. Probatur 4° *ratione theologicâ*. Ecclesia instituta fuit à Christo tanquam societas externa, visibilis, independens et habens omnia quæ eam ad finem suum conducere valent : sed in omni societate externâ, necessarium est tribunal pro dirimendis litibus, pro coercendis abusibus et variis excessibus qui solent contingere in hoc miserrimo statu naturæ lapsæ, id est, necessarium est forum externum ad exercendam potestatem judiciariam propriè dictam. Ergo à Christo tale tribunal habere Ecclesiæ fuit concessum. Ergo, etc.

5500. Ex modò stabilitis sequitur quòd judex sæcularis nullum jus habeat expetendi à judice ecclesiastico communicationem eorum quæ à reo vel à cæteris dici potuerunt in foro Ecclesiæ. Id agnitum fuit à Curiâ Andegavensi in Arresto 31 martii 1841 : « Attendu que si l'Évêque qui » procède à une information canonique, ou les ecclésias- » tiques auxquels il a donné délégation régulière à cet » effet, pouvaient être tenus de rendre compte des docu- » ments qu'ils ont recueillis par cette voie tout exception- » nelle.., les informations ne pourraient presque plus avoir » lieu, chacun répugnant naturellement à faire des révé- » lations auxquelles on ne se détermine, dans ces matières » ordinairement délicates, que sous la foi d'une discrétion » presque surnaturelle..., la Cour décharge Mgr l'Évêque » d'Angers, etc. » Vide *Journal des fabriques*, tom. 7, p. 167, etc., 213.

5501. Quòd autem judices ecclesiastici possint reos plectere etiam pœnis temporalibus, exceptâ tamen pœnâ sanguinis à quâ semper abhorruit Ecclesia (cap. *Sententiam*, tit. 50, lib. 3 Decret., ex Concil. Later. IV) multis argumentis demonstrari potest; sufficiat referre sequentia :

Certè Ecclesia potestatem habet excommunicandi : hâcque potestate etiam à primordiis suis usa est. Jam verò excommunicatio non solùm bonis spiritualibus privat, sed etiam quibusdam temporalibus, videlicet famâ quæ aliquid est temporale et consortio fidelium etiam in pluribus temporalibus. Ergo, etc. Eadem conclusio deduci potest ex potestate quam habet Ecclesia clericos deponendi, degradandi, officio et fructibus beneficii privandi, etc.

Idem constat ex disciplinâ Ecclesiæ circa pœnitentiam publicam. Ex ipso Morino : « Quando peccatum erat pu» blicum ad pœnitentiam publicè agendam peccatores » excommunicatione et omnimodâ ab Ecclesiâ expulsione » adigebantur » (*De Sacr. Pœnitent.*, lib. 5, c. 17, n° 7) : sed cogere ad pœnitentiam publicam idem erat ac cogere ad temporales et corporales pœnas : constat enim sive Epist. Siricii ad Hymerium Tarraconensem anno 385, sive Concilio Arelatensi anni 452, sive multis aliis monumentis à D. Bouix relatis (*De Judic.*, tom. 1, p. 53 etc.) pœnitentes impediri ab usu matrimonii et à novis nuptiis contrahendis, ipsisque interdictum fuisse quodlibet munus sæculare, v. g., militiam, mercimonia, causas forenses, etc.

Juxta ipsum Gothofredum sæpe quæstio est in veteribus monumentis de carceribus ecclesiarum pro reis puniendis : de iis enim sermo est in Novellâ 79, cap. 3 : « In deca» nicis (seu carceribus) ecclesiarum recludatur, compe» tentes pœnas luiturus. » S. Gregorius de iis meminit (Epist. 65, lib. 6) his verbis : « Si verò sint liberi, inclu» sione dignâ districtâque sunt in pœnitentiam redigendi. » Vide etiam Epist. 4, lib. 10, edit. Bened.

In ipso Concil. Constant. (sess. 15) prohibitio quædam sancitur sub pœnâ excommunicationis et *carceris duorum mensium in quoscumque,* etsi reges fuerint.

Etiam pœnam virgarum infligebat olim Ecclesia : de hujusmodi pœnâ sic habet S. August. ad tribunum Marcellinum : « Qui modus coercitionis et à magistris liberalium artium, et ab ipsis parentibus et *sæpe etiam in judiciis solet ab Episcopis adhiberi.* » (Epist. 132, n° 2.)

De S. Cæsario Arelatensi Episcopo refert ipsius historicus Cyprianus : « Solebat vir sanctus id accuratè observare, ut nemo ex illis qui ipsi parebant, si pro suâ culpâ flagellandi essent, ampliùs triginta et novem ictibus ferirentur : ita tamen, ut si quis in gravi culpâ esset deprehensus, permitteret ut post dies paucos vapularet iterùm. »

Sanctus autem Gregorius Magnus hæc ait in Epist. 65 lib. 6 (edict. Benedict.) : « Quos tamen si emendare se à talibus... nolle repereris... volumus, si... servi sunt, verberibus, etc..., castigare : si verò sint liberi, inclusione dignâ districtâque sunt in pœnitentiam rédigendi [1]. »

De pœnâ verò exilii legitur in Concilio romano, anno 503 : « Hi qui adversa eis moliuntur, sicut à sanctis Patribus dudum statutum, et hodie synodali et apostolicâ auctoritate firmatur, penitùs abjiciantur et *exilio*, suis omnibus sublatis, perpetuò tradantur. » (Labbe, t. 5, col. 504, edit. Venet.)

Sic autem habet S. Gregor. de sacerdote sigillum confessionis infringente (cap. 2, dist. 6, de *Pœnitent.*) : « Sacerdos ante omnia caveat ne de his qui ei confitentur peccata, alicui recitet, non propinquis, non extraneis... Nam si hoc fecerit, deponatur, et omnibus vitæ suæ ignominiosus peregrinando pergat. »

De mulctis pecuniariis, legi possunt plura documenta apud Bouix (*ib.*, p. 58, etc.), sufficiat referre verba Concilii Carthag., anni 398 vel 400, canone 2 : « Si quis cujuslibet

[1] « Nous ne prétendons pas, inquit Stremler (*Tr. des peines eccl.*, p. 15) et nos cum illo inquimus, qu'il faille revenir à ces sortes de peines corporelles propres à d'autres temps et à d'autres mœurs. Si nous citons ces exemples, ce n'est que pour prouver que l'Église a et a toujours eu le droit d'infliger des peines corporelles conformes aux mœurs, aux usages et aux idées des temps et des lieux. »

» honoris clericus, judicio Episcoporum pro quocumque » crimine fuerit damnatus, non liceat eum sive ab ecclesiis » quibus præfuit, sive à quolibet homine defensari, impo- » sitâ pœnâ damni pecuniæ atque honoris; quo nec æta- » tem nec sexum excusandum esse præcipimus » (Labbe, tom. 2, col. 1454, edit. Ven.)—Vide alia apud Bened. XIV (*De Syn.*, lib. 10, c. 9); et verba Concilii Lateran. III anni 1179, ubi non solùm subditi absolvuntur ab obligatione fidelitatis erga hæreticos; sed additur insuper: « Con- » fiscentur eorum bona, et liberum sit Principibus hujus- » modi homines subjicere servituti. » Vide etiam Concil. Lateran. IV, cap. *De Hæreticis*.

5502. Superest ut his omnibus adjiciamus verba Concil. Trident. contra duellantes (sess. 25, c. 19, *de ref.*): « Qui » verò pugnam commiserint, et qui eorum patrini vocan- » tur, excommunicationis ac omnium bonorum proscrip- » tionis ac perpetuæ infamiæ pœnam incurrant; et ut » homicidæ juxta sacros canones puniri debeant. » Et verò si ipsemet Fridericus II Imperator justè potuerit suo imperio privari, ut peractum fuit à Concil. œcumenico Lugdunensi, anno 1245, quantò magis aliis pœnis temporalibus plecti possunt cæteri fideles, exceptâ tamen, ut jam diximus, pœnâ sanguinis. Utiles esse possunt hujusmodi pœnæ præsertim erga hæreticos, qui ob defectum fidei parum curant de meris pœnis spiritualibus. Vide Suarez, tract. *De fide*, disp. 20, sect. 3, n° 16. De potestate Eccle- siæ plectendi pœnis temporalibus, vide Devoti (lib. 4, tit. 1, § 10).

5503. Contra nostram thesim : 1° Protestantes objiciunt Ecclesiam non habere *territorium* proprium et eam esse *intra statum* seu intra territorium Principis; porrò qui non habet *territorium* non potest habere forum externum maximè contentiosum, juxta axioma juris : « *Extra terri-* » *torium jus dicenti* non paretur impunè. » Ergo, etc.

Resp. Majorem omnino esse negandam : Christus enim stabiliendo Ecclesiam *super terram*, eique præponendo Pastores quibus omnes fideles ubique terrarum, tenerentur obedire, territorium necessariò illi tribuit : « *Quæcumque*,

» inquit, alligaveritis *super terram*, erunt ligata et in cœlo », etc. — Nota quòd Christus hanc potestatem Apostolis et eorum successoribus in perpetuum dederit independenter à concessione principum. Unde Apostolus etiam prohibebat ut coram gentilibus fideles litigarent : « Audet aliquis ves- » trûm, inquit (1 Cor., c. 6, v. 1 et 3), habens negotium » adversùs alterum, judicari apud iniquos (seu ethnicos) » et non apud Sanctos.., nescitis quoniam angelos judica- » bimus? Quantò magis sæcularia? » etc.

Præterea judex potest in territorio alterius judicare, modò judicium exerceat in subditos : sic dux militaris potest judicia exercere ubicumque erga suos subditos. Ergo similiter ecclesia judicare potest suos subditos ubicumque circa materias quæ ab ipsâ dependent ; ergo nullo solido fundamento nititur objectio præfata.

5504. Objic. 2° Quòd ante institutionem Ecclesiæ potestas judiciaria principum ad materias religiosas extendebatur; saltem in quantùm per actus externos ad pacem civitatis conferre valebant ; sed, suam instituendo ecclesiam, Christus noluit derogare juribus civilis majestatis ; ergo ad principes sæculares adhuc pertinet judicare de materiis religiosis. Ergo ab ipsis solummodo Ecclesia potest accipere potestatem judicandi.

Resp. 1° Negando majorem : etenim ante Christum principes quidem habebant quidquid erat necessarium pro servandâ pace civitatis ; sed ad hoc minimè erat necessarium ut judiciariam potestatem haberent in materiis religiosis ; semper enim fuerunt sacerdotes cultûs veri Dei ad quos hujusmodi materiæ pertinuerunt, et eorum auctoritas tunc sufficere potuit, sicut postea fuit sufficiens ; et si aliquando indiguerunt auxilio brachii sæcularis, officium quidem fuit tunc principis hujusmodi auxilium præstare, sicut hodie et ad hoc pariter tenetur ; sed non ideò jus habebat usurpandi munus de talibus judicandi.

2° Neganda est etiam minor : etsi enim ante institutionem Ecclesiæ principes sæculares habuissent potestatem judicandi in materiis religiosis, exhinc non sequitur Christum ipsorum potestati in hoc non derogasse : expressè

enim Christus dedit suis Apostolis et eorum successoribus potestatem propriè dictam judicandi, ut supra demonstravimus; ergo falsa omnino est minor; ergo et iterum ruit ea nova objectio.

Objic. 3° Textus S. Lucæ (c. 12, v. 14) ubi Christus homini roganti ut imperaret fratri suo dividere suam hæreditatem, sic respondit: « Homo quis me constituit judicem » aut divisorem super vos ? » Ergo Ecclesia non habet potestatem judicandi, aut saltem decernendi pœnas temporales.

Resp. cum quodam ministro Protestantium quorum verba referuntur in collectaneis periodicis quibus titulus : *Mémorial catholique* (mars 1829, p. 169) : « J.-C. a voulu lui » apprendre (à son Église) non pas comme on l'a prétendu, » que son autorité ne doit jamais s'exercer sur le temporel; » mais bien qu'elle ne doit s'étendre qu'à ceux qui la » croient, qui la reconnaissent » (nempe erga fideles); porrò ille cui Christus rogabatur imperare ut divideret hæreditatem cum fratre suo, Christi auctoritatem non agnoscebat : « Ce que (cet homme) demandait, pergit idem, » n'était pas plus praticable que si un catholique priait son » confesseur de dire à un protestant de faire telle ou telle » chose, ou que l'Autriche priât le Pape de commander » au Grand-Turc de faire la paix avec l'Empereur de » Russie. »

5505. Dicunt insuper adversarii tribunalia Episcoporum fuisse nuncupata *audientias*, proinde esse solummodo *arbitria* : — sed falsum est ipsa non fuisse vocata etiam *forum*, ut expressè denominantur in libro 2, cap. 47, *Constit. apostol.* Et præterea non sequitur non fuisse vera tribunalia ex eo quòd *audientiæ* vocata fuerint, ut videre est apud Devoti, lib. 3, § 22, *nota* 4ª.

« Ecclesiasticum judicium à forensi distinguunt (quidem) » S. August. ad Bonifac., lib. 3, cap. 5,..; S. Leo, cap. 2 » ad Rust... aliique complures : sed hi omnes distinctionem » hanc inter utrumque judicium adhibent, non quòd ec- » clesiasticum verum non esset judicium, sed quòd cele- » riùs quàm forense expediebatur, neque in eo tricæ

» ambagesque forenses obtinebant. » Devoti, lib. 3, tit. 1, § 25, *in notâ*.

CAPUT II.

DE MATERIA SEU OBJECTO JUDICIORUM ECCLESIASTICORUM.

5506. Cùm in mundo sit duplex principatus à Deo institutus, ecclesiasticus videlicet et sæcularis, duplex est pariter judiciaria potestas; et cùm hujusmodi potestates sint à Deo sapienter ordinatæ, unicuique competit certum causarum genus quas sinè usurpatione arrogare sibi nequit potestas cui non fuerunt attributæ. A nobis ergo est determinandum quænam causæ ad forum ecclesiasticum spectent: quod agemus in articulis sequentibus:

ART. 1.

DE PRINCIPIIS QUORUM OPE DETERMINARI POTEST QUÆNAM AD FORUM ECCLESIASTICUM PERTINEANT, QUÆNAM VERO AD SÆCULARE.

5507. Medio principiorum quatuor tutò determinari potest quænam ad forum ecclesiasticum pertineant, quænam verò ad sæculare.

Primum principium.—Certò ad forum ecclesiasticum causæ pertinent quoties Ecclesia, sive per expressas definitiones, sive per suam praxim sufficienter declaravit eas jurisdictioni suæ subjacere: ratio est quia Ecclesia est infallibilis, non solùm quando expressè aliquid docet de suis juribus in suis Decretis, sed etiam quando aliquid statuit per suas generales consuetudines. Ne dicas quòd *nemo possit esse legitimus judex in propriâ causâ:* hoc quidem verum esse potest de iis qui privilegio infallibilitatis non donantur, minimè verò de iis qui tale à Deo privilegium acceperunt, prout Ecclesia accepit: unde de iis qui timent ne Ecclesia ea quæ sæcularis potestatis sunt sibi usurpet, sic ait D. Bouix (*De Judic.*, t. 1, p. 70): « Vel admittunt Ecclesiæ in suis defi» nitionibus et generali disciplinâ infallibilitatem, vel

» non : si priùs, absurdum esse eorum timorem fateantur, » cùm nunquam accidere possit ut Ecclesia quod ad ipsam » non pertinet, vel suum definiat, vel praxi usurpet; si » posteriùs, desinant sese vocitare catholicos : à fide enim » catholicâ apertè deficiunt » , ut videre est in tractatu de Ecclesiâ apud Theologos.

5508. *Secundum principium.—Ad distinguendas proprias fori ecclesiastici et sæcularis causas, tuta regula sunt decreta pontificia et Conciliorum, quæ hanc distinctionem clarè enuntiant, et in generalem Ecclesiæ disciplinam seu legislationem transierunt.* Ratio patet.

5509. *Tertium principium. — Ad forum ecclesiasticum causæ pertinent quando necesse est illas judici ecclesiastico et non sæculari subjacere, ut Ecclesia finem sibi proprium, salutem nempe animarum, convenienter attingere possit.* Ecclesia enim non potuit institui à Christo propter specialem finem, animarum nempe salutem, quin ab eo fuerit instructa necessariâ potestate circa omnia quæ ad hunc finem conducere valent. Vide insuper quæ diximus supra (698, etc.) de potestate Ecclesiæ circa res spirituales temporalibus admixtas.

5510. *Quartum principium.—Ad forum ecclesiasticum causæ pertinent quando sic communiter docent catholici doctores :* communis enim DD. consensus habetur ut firmus locus theologicus, ut videre est in prolegomenis Theologiæ. Ratio est quia communis Theologorum doctrina habenda est ut ipsamet Ecclesiæ doctrina.

ART. II.

DE CAUSIS SPIRITUALIBUS IN GENERE.

5511. Causæ spirituales sunt illæ quarum objectum est res spiritualis aut spirituali annexa ; quandonam autem res sint spirituales diximus supra (263, 697, etc.).

1° Certum est causas spirituales ad forum ecclesiasticum exclusivè et proprio jure pertinere. Id constat ex omnium DD. consensu, ex fine ad quem Ecclesia fuit instituta, ex praxi et expressis definitionibus ipsius; hæc sunt ipsamet

principia modò exposita quorum ope dignosci tutò valet quænam causæ ad forum ecclesiasticum pertineant.

Ex definitionibus Ecclesiæ sufficiat referre cap. *Decernimus* 2, *de Judiciis :* « Decernimus ut laici ecclesiastica » tractare negotia non præsumant : sed Episcopi, Abbates, » Archiepiscopi et alii Ecclesiarum Prælati de negotiis » ecclesiasticis, maximè de illis quæ *spiritualia esse nos-* » *cuntur*, laicorum judicio non disponant : nec propter » eorum prohibitionem ecclesiasticam dimittant justitiam » exercere. »

Item cap. *Quanta* 3, *de Judiciis :* « Causa verò jurispa- » tronatûs, ita conjuncta est et connexa spiritualibus » causis, quòd nonnisi ecclesiastico judicio valeat defi- » niri. »

5512. — 2° Causæ *spirituales ad forum ecclesiasticum pertinent, etiamsi temporalis societatis interesse attingant.* Assertio constat ex cap. *Tuam* 3, *de ordine cognitionum*, in quo est quæstio an Regina Cypri ex matrimonio legitimo esset orta, ex cujus solutione pendebat jus Reginæ in quemdam Ducatum succedendi. De eâ quæstione sic pronuntiat Honorius III : « Ad *forum ecclesiasticum* pertinet. » Et decisio hæc ad universalem Ecclesiam pertinet propter ipsius insertionem in *Corpus juris.*

5513. Constat pariter ex prohibitione laicis factâ cognoscendi de crimine hæreseos, etsi pax civitatis multùm possit dependere ab hujusmodi criminis repressione : « Prohi- » bemus districtiùs, inquit Bonifacius VIII, dominis tem- » poralibus, ne ipsi de hoc crimine, cùm merè sit eccle- » siasticum, quoquo modo cognoscant vel judicent. » Cap. *Ut inquisitionis, de hæreticis.* Nisi res ita se haberent, fides in tuto non esset, cùm principes sæculares non sint infallibilitatis privilegio donati. Ita communiter, Jansenistis et parlamentariis solummodo exceptis.

5514. — 3° In dubio an causa sit spiritualis, necne, ad potestatem ecclesiasticam pertinet pronuntiare; et huic decisioni obtemperare debet sæcularis potestas : ratio est quia talis decisio nequit pertinere nisi ad auctoritatem infallibilem qualis est sola Ecclesia. Illud insuper constat

cap. *Si Judex* 12, *de sententiâ excomm.*, in 6°, ubi agitur de malefactore capto qui se dicebat clericum et de quo adhuc erat incertum utrum revera esset talis. Decernit Pontifex causam pertinere ad tribunal ecclesiasticum : « Ad judicem » ecclesiasticum, inquit, quia de re ecclesiasticâ et spiri- » tuali... cognitio pertinebit. »

5515. — 4° Potest tamen laicus ex delegatione S. Pontificis, non verò alterius inferioris, de causis spiritualibus cognoscere :

Probatur prima pars ex eo quòd S. Pontifex potest tàm per se quàm per alium, modò non sit jure divino incapax, cognoscere de omnibus causis spiritualibus : atqui laici talis delegationis non sunt incapaces jure divino, sed solùm jure ecclesiastico. Ergo, etc.

Secunda pars constat ex eo quòd Papâ inferiores abrogare nequeant jus à S. Pontifice constitutum, quale est jus prohibens ne laici se negotiis spiritualibus immisceant. Vide cap. *Decernimus* supra relatum ; et insuper quæ diximus supra (265-276) ex Bened. XIV.

Immeritò, ut liquet, ex hujusmodi delegationibus aliquando à S. Pontifice Principibus sæcularibus concessis, deduceretur hoc illis deberi jure regio, veluti absurdè faciunt Gallicani parlamentarii.—Vide Bouix, *De Judiciis*, tom. 1 p. 81.

ART. III.

DE CAUSIS MATRIMONIALIBUS.

5516. Duplicis generis sunt istiusmodi causæ nempe *propriè dictæ* in quibus agitur de contractûs matrimonialis valore, vel de juribus et obligationibus quæ à substantiâ matrimonii necessariò dependent ; et *impropriè dictæ* quæ respiciunt varias solemnitates substantiæ matrimonii extrinsecas : v. g. dotem, hæreditatem, pompam matrimonialem, etc.

5517. — 1° *Certum est causas omnes matrimoniales propriè dictas, si de fidelium matrimoniis agatur, ad forum ecclesiasticum exclusivè pertinere.* Constat ex Concil. Trid. (sess. 24, can. 12) : « Si quis dixerit causas matrimoniales » non spectare ad judices ecclesiasticos, anathema sit. »

Ex Brevi autem Pii VI ad Motulensem Episcopum, hic canon intelligi debet de omnibus causis matrimonialibus cùm nulla sit exceptio : « Si enim hæ causæ, inquit Pon» tifex, non aliâ ratione pertinent *ad unum* Ecclesiæ judi» cium, nisi quia contractus matrimonialis est verè et » propriè unum ex septem legis evangelicæ sacramentis, » omnes hæ causæ pertinere debent ad judices ecclesiasti» cos, cùm eadem sit ratio in omnibus. » Intelligi debet etiam de *solis* judicibus ecclesiasticis, cùm aliter verum non esset causas matrimoniales semper spectare ad judices ecclesiasticos ut supponit Concilium. In probationem, afferri adhuc possent multi alii canones videlicet can. *Multarum* 10, causa 35, q. 6; cap. *Tuum* 3, *de ordine cognit.;* cap. *Causam* 4, *qui filii sint legitimè*, etc.

5518. Non autem ex concessione principum causæ matrimoniales ad Ecclesiam pertinent, sed ex jure innato : ita enim se habet Alexander III in Decretali *Causam* modò citatâ : « Non attendentes quòd ad regem pertinet, non ad » Ecclesiam, de talibus possessionibus judicare, ne videa» mur juri regis Anglorum detrahere, qui ipsorum judi» cium ad se asserit pertinere, fraternitati vestræ manda» mus, quatenus regi possessionum judicium relinquentes » de causâ principali, videlicet utrum mater prædicti N... » de legitimo sit matrimonio nata, plenius cognoscatis et » causam hujusmodi terminetis. » Ergo judicibus Ecclesiæ tribuendo cognitionem causæ matrimonialis de quâ in Decretali agitur, Alexander III asserit in hoc nihil esse derogatorium juri regis Anglorum. Ergo, etc.

Unde in suâ epistolâ ad regem Sardiniæ, 19 sept. 1852, Pius IX dicebat : « Que César, gardant ce qui est à César, » laisse à l'Eglise ce qui est à l'Eglise; il n'y a pas d'autre » moyen de conciliation. Que le pouvoir civil dispose des » effets civils qui dérivent du mariage, mais qu'il laisse » l'Eglise régler la validité du mariage entre les chrétiens; » que la loi civile prenne pour point de départ la validité » ou l'invalidité du mariage comme l'Eglise les détermine, » et partant de ce fait, qu'elle ne peut constituer (cela » est hors de sa sphère) qu'elle en règle les effets civils. »

Thesi quam stabilivimus, non adversantur nisi gallicani parlamentarii aut auctores damnati, veluti Marc.-Ant. de Dominis, Launoius, Van-Espen et alii ejusdem farinæ. Vide Bouix, *De Judiciis*, tom. 1, p. 82-88, et supra dicta (14, 267, 268, 4183-4185).

5519.—2° *Causæ matrimoniales impropriè dictæ ad forum sæculare* jure proprio pertinent. Constat ex Decretali Alexandri III, et Epistolâ Pii IX ad regem Sardiniæ modò relatis.

ART. IV.

DE CAUSIS TEMPORALIBUS CLERICORUM.

5520. De his sufficienter diximus supra (271-276, 1678-1684, 5283-5301, ubi de tributis).

ART. V.

DE CAUSIS JURISPATRONATUS.

5521. Hujusmodi causæ directè et *per se* ad judicem ecclesiasticum pertinent ut constat Decretali *Quando* 3, *de judiciis*, ubi Alexander III ait : « Causa verò jurispatronatûs ita conjuncta est et connexa spiritualibus causis, » quòd nonnisi ecclesiastico judicio valeat definiri. » Ita communiter.

Diximus *per se*, quia accidentaliter de iis cognoscere valet judex sæcularis, v. g. si per sententiam condemnet possessorem castri alicujus ut illud domino suo reddat unà cum omnibus juribus ei annexis, tenetur possessor, vi talis sententiæ, etiam juspatronatûs tradere, si annexum fuisset castro restituendo. — Vide Schmalzgrueber, apud D. Bouix, *De Judiciis*, tom. 1, p. 116; et insuper dicta supra (5398-5411).

ART. VI.

DE CAUSIS QUÆ PUBLICAM JUVENTUTIS EDUCATIONEM SPECTANT.

5522. Causæ publicam juventutis educationem spectantes olim ad solam Ecclesiam pertinebant : « Les Papes, inquit

» Crevier, *Histoire de l'Université* (tom. 1, p. 294, et » tom. 4, p. 171), étaient ses souverains législateurs, et, » sous leur autorité, elle faisait elle-même les règlements » qui lui paraissaient nécessaires...; l'Université, à la fin » du xv^e^ siècle, n'avait reçu que des souverains Pontifes, » soit réformes, soit règlements de discipline. »

Universitates omnes à variis Pontificibus erectæ fuêre cum statutis ab ipsis approbatis [1]. Unde à Conciliis solis Episcopis tribuitur jus plenum educandæ bonisque artibus informandæ juventutis, ut videre est in Conciliis Turonensi anni 1583 (ap. Labbe, tom. 15, p. 1051), Tolosano anni 1590 (*ib.*, col. 1405), Rhemensi anni 1585 (ap. Harduin, t. 10, p. 1474). Unde, anno 1562, Suprema Parisiensis Curia civilibus magistratibus prohibuit ne ad litigandum coram se admitterent collegiorum rectores, capellanos magistrosve, de rebus collegia respicientibus, « pour raisons des principalités, chapelles, bourses et » régences de colléges, mœurs et discipline scolastique et » de tout ce qui en dépend, mais de les renvoyer devant le » Chancelier de l'Eglise et Université de Paris. » (*Mém. du clergé de France*, tom. 1, p. 929.)

Hinc pariter anno 1606 Decretum sequens tulit Henricus IV : « Les régents, précepteurs ou maîtres d'école des » petites villes ou villages (alii nempe ab Universitatibus, et » Universitates ab Episcopis et Sede Apostolicâ pendebant) » seront approuvés par les curés des paroisses, ou per- » sonnes ecclésiastiques qui ont droit d'y nommer; et où il » y aurait plainte desdits maîtres, régents ou précepteurs, » y sera pourvu par les Archevêques et Evêques, chacun » en leur diocèse » (*Mém. du clergé*, *ib.*, p. 996). Legi possunt alia Decreta vel Arresta in eodem sensu ap. D. Bouix (*ib.*, p. 104 et 105).

5523. Hæc quidem disciplina non ampliùs viget hodie præsertim apud nos, propter sæcularisationem educationis juventutis à legibus civilibus peractam : sed principia

[1] Sic anno 1452 instituta fuit Universitas Valentinensis à Nicolao V (Vide P. Deschamps, *Du paganisme dans l'éducation*, p. 63).

quibus innititur, non minùs hodie sunt certa quàm olim : unde tenendæ sunt hodie tanquam certissimæ propositiones sequentes (V. prop. 45, etc., *Syllabi*) :

5524. — 1° *Ratio tradendæ doctrinæ sacræ omninò et exclusivè ad ecclesiasticam auctoritatem spectat :* unde Clemens XIV in suo Brevi ad Stanislaum directo 18 dec. 1773, sic alloquebatur : « Illud tibi potissimùm prospiciendum, » ut quæ facultates ad religionis dogmata ac disciplinam » referuntur, sacra nimirum theologia et canonicum jus, » Ecclesiæ auctoritati subsint... Præter facultates has duas » cætera etiam, seu privatis seu publicis in scholis, studia » subjecta esse Episcoporum curæ debent, iis omnibus in » rebus quæ ad religionem moresque pertinent : neque » magistro cuiquam docendi potestas fieri, quin priùs » fidei professionem in manus Ordinarii sui emiserit, quæ » quotannis erit renovanda, ut sacri canones ac ipsa » etiam generatim recepta inter catholicos consuetudo » præscribunt. » (Vide ap. Bouix, *ib.*, p. 106.)

5525. — 2° Consequenter sæcularis potestas nequit, independenter ab Ecclesiâ, facultates sacras, aut Universitates in quibus facultates sacræ comprehenduntur, instituere aut regere.

5526. — 3° *Clericorum in magnis et parvis seminariis instituta ecclesiasticæ potestati et regimini Episcoporum certò subjacent :* et omninò ita est tenendum, prout constat sive ex Concil. Trident. (sess. 23, c. 18), sive ex Brevi Clementis XIV *Magnopere* 18 decembr. 1773, ad Ignatium Vilnæ in Poloniâ Episcopum, sive ex Brevi Leonis XII ad Rever. DD. De Pins Archiepiscopatûs Lugdunensis Administratorem Apostolicum, ubi occasione nonnullorum Episcoporum Galliæ consilii scribendi ad Gubernium juxta tenorem sequentem : « Je suis cependant bien loin de » méconnaître les *droits de surveillance* et de protection qui » appartiennent au roi sur les établissements du royaume, » quelle que soit leur nature et leur objet » : hoc verbum *surveillance*, ait, admitti non posse, quia « adeo lato sensu » quo ibi accipi potest, ferendum non est in Ecclesiâ » Christi, quodque non uno in Concilio unâ voce rejectum

» est, (et quia) idem vocabulum nunc à corpore adeo in-
» signi Episcoporum admitti et usurpari, id quidem fieri,
» sinè gravi scandalo et Ecclesiæ detrimento potest. » Vide ap. Bouix (*ib.*, p. 108-110) et prop. 46 *Syllabi*.

5527. — 4° *Sæcularium juvenum scholæ, ecclesiæ, quoad religiosam institutionem, regimini ipsius subjacere debent :* ratio quia à solâ Ecclesiâ rectè possunt juvenes institui in Religione : unde in supra citato Brevi, Clement. XIV ad Vilnæ Episcopum ait : « Satagendum ut qui
» juventutem instituunt, Episcoporum curæ atque auctoritati
» subjiciantur, præsertim in iis rebus ac disciplinis quæ
» cum Religionis ac fidei institutis magis nexæ et colligatæ
» sunt. » Nota quòd in hoc brevi, non solùm agitur de clericorum sed etiam de totius juventutis institutione.

5528. — 5° Litteraria etiam ac scientifica juventutis institutio aliquatenus Ecclesiæ auctoritati subesse debet, quantum nempe satis est, ut in tuto sit religiosa ejusdem juventutis informatio : nam sive ex libris, sive ex verbalibus documentis circa litteras vel scientiam periclitari potest religiosa juventutis institutio, ut deflendâ experientiâ nimiùm constat ; ergo sinè inspectione et dependentiâ illius auctoritatis quæ tutò et sollicitè hujusmodi periculis obviabit, hæc omnia non debent edoceri. Constat insuper ex verbis modò relatis Clementis XIV. —Vide Bouix, *ibidem*, p. 112, etc.

5529. — 6° Ergo in scholis, etiam sæcularium juvenum, independenter à potestate ecclesiasticâ, eligi, constitui et ordinari non debent magistri, libri et tradendarum disciplinarum ratio : patet ex dictis supra.

Certissima sunt quidem præfata principia ; utinam verò ad praxim possent reduci hodie apud nos. Sed vide quæ diximus ex Bened. XIV supra (272-274).

ART. VII.

AN CAUSÆ TEMPORALES AD FORUM ECCLESIASTICUM ALIQUANDO PERTINEANT.

5530. — 1° Ex variis capitibus juris canonici, casu quo sæcularis potestas, etiam superior justitiam administrare negligit, ad forum ecclesiasticum spectat hanc negligentiam supplere. Ita communiter canonistæ, et probatur ex Decretali *Licet* 10, *de foro competente*, ubi Innoc. III, irritas decernendo litteras à S. Sede impetratas quarum vi sæculares causæ coram judicibus ecclesiasticis tractandæ forent, hanc exceptionem exprimit : « dummodo Consules et Com» mune de se conquerentibus (apud Curiam Romanam) in » judicio sæculari exibeant justitiæ complementum. » Et insuper adjicit : « Liceat tamen ipsis qui sub iisdem Con» sulibus taliter duxerint contendendum, si se in aliquo » senserint prægravati, ad tuam (Episcopi Vercellensis) » sicut hactenus servatum est, vel ad nostram, si malue» rint audientiam appellare ; hoc præsertim tempore, quo » vacante imperio, ad judicem sæcularem recurrere ne» queunt, qui à superioribus in suâ justitiâ opprimuntur. » Si verò Consules justitiæ tanquam meritò suspecti fue» rint recusati, coram arbitris communiter electis, de » causâ suspicionis agatur, quæ si probata fuerit esse justa, » ad te vel ad nos pro justitiâ recurratur. » Juxta ergo Pontificem, ad forum ecclesiasticum pertinent causæ etiam temporales, si judices sæculares meritò tanquam suspecti recusentur, vel si justitiam postulantes opprimant et non sit superior sæcularis, ad quem possit recurri ; seu, uno verbo, quando à sæculari potestate justitia obtineri nequit : et ratio talis decisionis est quòd bonum spirituale fidelium exigit quòd etiam in rebus merè temporalibus justitia ipsis reddatur : sed hæc, quantumvis vera, ad praxim hodie reduci non possent.

5531. — 2° Non autem, vice versâ, ad sæcularem potestatem spectat ecclesiastici judicis negligentiam supplere in causis ecclesiasticis : ut constat Decretali *Qualiter* 17,

De Judiciis, in quâ Innocent. III dicit : « Nec pro defectu » justitiæ, clerici trahantur à laicis ad judicium sæculare, » quod omninò fieri prohibemus. » Ratio est quia perpetuis periculis obnoxia esset Ecclesia, si laica potestas, prætextu quòd neque ab inferioribus judicibus, neque à S. Pontifice justitia non rectè administraretur, posset sibi vindicare causas ecclesiasticas et supremo judicio definire. Potest quidem admitti ob subordinationem quam ipsemet Deus statuit inter utramque potestatem, ut supra probavimus (698, 699, etc.), quòd Ecclesia ob bonum spirituale fidelium, negligentiam judicis sæcularis suppleat ; et in hoc est summus ordo : at verò admitti nequit reciproca, quia indè summa confusio, quam Deum voluisse supponi nequit, et quia insuper absurdissimum esset quòd potestas quæ alteri est subordinata posset reformare judicia illius cui subordinatur. (Vide Bouix, *De Judiciis*, tom. 1, p. 94-95.)

Ex dictis concludenda est illegitimitas appellationum *ab abusu*, de quibus vide supra (666, etc.).

5532. Ne objicias quòd, admissâ hujusmodi doctrinâ, nullum remaneret remedium, casu quo judex ecclesiasticus et ipsemet Papa, ex errore aut nequitiâ, iniquè pronuntiaret : quod accidere potest, cùm Papa non sit infallibilis nec impeccabilis in causis particularibus expediendis. — Responderi enim potest quòd propter assistentiam Dei quâ nunquam Ecclesia est caritura, hujusmodi casus rarissimè evenient, et præterea in iis etiam casibus deprecari potest S. Pontifex, cum debitâ reverentiâ, ut res, etiam judicatas ad examen rursus revocet, ad reformandum quod non rectè fuisset judicatum : rarissimè ergo continget quòd omninò injustitia triumphet : porrò aliqua mala sunt in hoc mundo patienda ut multò majora vitentur quæ certè evenirent, si à potestate laicâ judicia ecclesiastica reformari possent.

Vide quomodo responderi debeat pluribus aliis objectis, supra (667).

Objici insuper solet quædam lex Justiniani : sed Justinianus in hâc re nullam auctoritatem habet.

Item objicitur praxis Galliæ, Hispaniæ, etc., vi cujus reges de causis ecclesiasticis cognoscunt : sed hæc praxis

vel privilegio Sedis Apostolicæ nititur, vel est abusiva et reprobanda.

ART. VIII.

DE CAUSIS MIXTI FORI.

5533. — 1° « Causæ mixti fori dicuntur quæ in utroque » foro, tàm ecclesiastico... quàm civili, tractari possunt, » ita ut præventioni locus sit. Ita desumitur ex can. *Sunt* » *quædam* 23, q. 5, et cap. 1 *de Officio ordin.*... Dantur » etenim aliquæ causæ, quæ licet ex se et ex naturâ » suâ sæculares sint, nihilominus propter certam adjunc- » tam qualitatem spiritualem etiam respiciunt forum » ecclesiasticum, aut è contra : ac proin, sic suadente » æquitate, canonicâ lege, seu consuetudine, in utroque » foro agitari possunt : ita tamen ut qui prævenit, ab altero » impediri amplius in judicando non possit. » (Reiffenst., in tit. 2, lib. 2 Decret., n° 151.)

5534. — 2° Sunt autem causæ istæ aliæ civiles, aliæ criminales : sic contractus inter laicos initi originaliter quidem sunt de foro sæculari, si autem *juramentum* accesserit, fiunt mixtæ jurisdictionis quoad executionem contractûs jurati; nam si de valore juramenti quæratur, cognitio ad judicium Ecclesiæ pertinet. Cap. *Licet mulieres* 2, *de jurejurando;* cap. *Noviter* 13, *de Judiciis;* cap. ultim. *de for. competente*, in 6°; cap. *Quamvis*, *de Pactis*, in 6°.

Item testamenta laicorum, si legata pia iis sint inserta, fiunt mixti fori, quoad executionem hujusmodi legatorum. (Trid. sess. 22, c. 8, *de reform.*)

5535. Pariter : « Causæ decimarum, jurispatronatûs, etc., » originaliter ecclesiasticæ sunt; si tamen in hujusmodi » causis, super nudâ possessione et insistentiâ juris eccle- » siastici agatur, et quæratur quis in possessione decima- » rum vel jurispatronatûs sit, si laicus decimas solvere » recuset, tunc etiam ex communi sententiâ, maximè de » consuetudine, judex sæcularis cognoscere poterit, quia » possessio seu nuda insistentia, cùm sit facti, temporalis

» censeri potest, dummodo actio contra laicum instituatur. » Ita Engel, ap. Bouix, *De Judiciis*, tom 1, p. 118.

Consuetudinem quâ de possessorio judicabant sæculares curiæ, observari posse annuerunt etiam Martinus V, Eugen. IV, Leo X declarando pœnas jure canonico sancitas contra recurrentes ad magistratum sæcularem causâ possessorii non habere locum in Galliâ et Delphinatu, hâc tamen adhibitâ restrictione : « per hoc nullum jus, seu jurisdic-» tionem in præmissis cognoscendi, regi de novo acquiri » volumus, sed antiquum, si quod habeat, conservari. » Vide *Prælect. S. Sulpit.* (n° 618); et Lequeux (n° 1236, *in fine*, edit. 3ª).—Non videtur in hoc factam fuisse distinctionem inter casum quo actio contra laicum, et casum quo contra clericum dirigitur; et apud nos, ad omnes causas beneficiales extendebatur. (Vide Lequeux, n° 1240, 2°.)

Dubitatur an fori mixti sint causæ de *miserabilibus personis*, viduis nempe, pupillis, peregrinis, pauperibus, captivis, oppressis et similibus : tenenda sane est affirmativa ex cap. juris canonici *Ex parte* 15, *de foro compet.*; cap. *Nuper* 6, *de Don. inter vir. et uxor.*; cap. *Super quibusdam* 26, *in fine de verb. signif.* Verùm ex praxi et stylo judiciorum, tunc solùm ad forum ecclesiasticum illæ causæ spectant quando judex sæcularis in administrandâ justitiâ negligens fuerit. Ita Engel (ap. Bouix, *De Judic.*, tom. 1, p. 118).

5536. — 3° « Causæ criminales mixti fori sunt illæ quæ » versantur circa crimina à jure tum canonico tum civili » prohibita ac punienda... De facto, si non omnia, saltem » pleraque crimina, quoad pœnam irrogandam sunt *mixti* » *fori*, quamquam de consuetudine plerumque Ecclesia » punitionem criminum inter laicos commissorum relin-» quat judici sæculari. » (Reiffenst., *ib.*, n° 157.)

5537. In Galliâ, inquit Lequeux (n° 1240, 1°), « invecta » est quoad causas criminales clericorum, distinctio *delicti* » *communis* quod nempe solas pœnas canonicas meretur, » et *delicti privilegiati* quod plectendum est pœnis afflic-» tivis... carcere, etc...: porrò ubi existebat delictum pri-» vilegiatum, judex sæcularis simul cum ecclesiastico » judice cognoscebat. » (Vide *Edict. Henric.* II anni 1549.)

Item Devoti (lib. 4, tit. 2, § 6) ait quòd vindicta criminum mixtorum, seu quæ simul et religionem lædunt et civili reipublicæ damnum inferunt, committatur mixtis tribunalibus in quibusdam locis.

5538. Excipi debent : crimen *hæreseos* quod est merè ecclesiasticum ex cap. *Inquisitionis*, *de hæreticis*, in 6° supra citatum (5513) ; et crimen *simoniæ* de quo etiam judex sæcularis nequit cognoscere juxta sententiam communem DD. — Vide Reiffenst., *ib.*, n° 158, apud Bouix, *ib.*, p. 119.

De auctoritate ad quam spectant causæ cultûs divini, institutionis et observationis festorum, vide dicta supra (4896, etc., 5035, etc.).

Diximus pariter supra (5303, etc.) de iis ad quos spectant causæ administrationis bonorum temporalium Ecclesiæ.

CAPUT III.

DE VARIIS PERSONIS QUI IN JUDICIIS INTERVENIRE SOLENT.

5539. Hujusmodi personæ dividi solent in principales et minus principales. Principales sunt *Judex*, *Actor* et *Reus*. Minus principales alii adjuvant litigantes, ut advocati, procuratores, testes; alii judicem adjuvant, ut assessores et consiliarii, auditores et referendarii, notarii, actuarii, cancellarii, scribæ publici, tabelliones, protocolistæ, cursores, apparitores, nuntii. De his est agendum in articulis sequentibus.

ART. I.

DE JUDICE.

5540. Judex, sic appelatus quòd *jus dicat*, est persona legitimam potestatem habens cognoscendi et pronuntiandi de causis litigiosis. Judex autem ecclesiasticus est ille qui dictâ auctoritate pollet circa causas ecclesiasticas.

5541. Multiplici modo distingui possunt judices ecclesiastici :

1° Alii tales sunt ex *jure divino*, prout Papa in universalem Ecclesiam et quoad omnes causas ecclesiasticas, et Episcopi quando collegialiter judicant cum suo capite Romano Pontifice. An etiam tales sint immediatè *jure divino*, unusquisque in propriâ diœcesi, quæstio est controversa, et nondum fuit expressè definita. Cæteri autem judices præter memoratos, sunt duntaxat *juris positivi*.

2° Alii sunt *singulares*, si nempe *soli* judicialem potestatem valeant exercere; alii sunt *collectivi* si hanc potestatem non possident quatenus singuli, sed solùm quatenus collecti, prout Congregationes Cardinalium.

5542. — 3° Alii sunt ordinarii qui potestatem judicandi habent ex jure muneri suo annexo, et ordinariè possunt delegare. Dicimus *ordinariè*, quia Vicarii Generales Episcoporum, etsi judices ordinarii, non habent tamen potestatem delegandi suam judicandi facultatem. Alii sunt delegati, sive ab homine, sive à lege, et potestatem judicandi non proprio, sed alterius nomine solummodo exercent: sic sæpe in Tridentino ipsimet Episcopi ad certa negotia deputantur tanquam delegati Sedis Apostolicæ et tunc sunt delegati *à jure* seu lege; qui deputantur à judicibus ordinariis sunt delegati *ab homine*.

5543. — 4° Judices alii sunt competentes, quando causa ipsorum jurisdictioni subjacet, et nulla adest circumstantia ob quam prohibeantur sententiam proferre; alii verò sunt incompetentes, quando vel ipsorum jurisdictio ad causam non sese extendit, vel adest aliqua circumstantia ob quam à lege irritatur eorum sententia.

5544. — 5° Alii sunt propriè dicti qui à legitimâ auctoritate constituuntur; alii solum *arbitri* qui à litigantibus ad causæ decisionem eliguntur.

Arbitri autem alii sunt quos ipsi litigantes eligunt, nemine jubente, et alii qui lege vel statuto præcipiente, eliguntur; priores dicuntur *voluntarii*, posteriores verò *necessarii*. Arbitri *voluntarii* nullam habent jurisdictionem publicam in jure romano (secus in jure nostro gallico, ut

videre est ap. *Code de Procéd.*, art. 1003, 1020). Arbitri autem *necessarii* non solo partium consensu, sed ab ipsâ lege vel statuto jurisdictionem accipiunt; quamobrem veri judices sunt, eorum sententia transit in rem judicatam, ab eàque appellari potest. Vide cap. 39 *de offic. et potestate jud. deleg.*, et cap. 14 *de rescriptis*. Ita Card. Soglia (*Inst. jur. priv.*, § 203).

5545. Arbitri quidem judicium suscipiunt sponte; sed quod initio fuit voluntarium, postea necessarium efficitur, scl. accepto ab ipsis semel arbitratu, postea etiam à magistratu cogi possunt ad illud implendum, nisi tamen justam habuissent causam ab illo recedendi. Devoti, *De Judiciis* (tom. 17, § 10). Vide apud eumdem (§ 11) in quibusnam causis arbitri adhiberi nequeant.

5546. — 6° Relativè ad appellationem, judex dicitur *alius à quo*, id est à cujus sententiâ appellatur; et alius *ad quem*, id est ad cujus tribunal fit appellatio.

5547. Varii autem judices in Ecclesiâ constituti sunt: 1° S. Pontifex; 2° Patriarchæ pro causis patriarchali potestati subjectis; 3° Primates, quoad causas Primatiali tribunali assignatas; 4° Metropolitani in iis quæ à Metropolitanâ jurisdictione pendent; 5° Episcopi pro causis ad quos sese extendit episcopalis jurisdictio; 6° Prælati jurisdictionem quasi-episcopalem habentes in sphærâ quæ ipsis competit.

5548. Sunt insuper plura alia tribunalia: nempe: 1° variæ Congregationes et tribunalia Romana; 2° Legati, Nuntii et Visitatores Apostolici pro regionibus in quibus tales constituuntur; 3° Judices Synodales ideò electi ut iis Sedes Apostolica possit committere causas in singulis diœcesibus excutiendas; 4° Vicarii Episcoporum quorum jurisdictio etsi ordinaria restringi potest ab Episcopis; 5° Judices alii à S. Sede vel ab Episcopis aut aliis Prælatis extraordinariè pro certis causis determinatis delegati.

5549. Laici non possunt constitui judices in causis ecclesiasticis, nisi à Papâ delegarentur; possent tamen adhiberi ut assessores, juxta Reiffenst., lib. 2, tit. *De Judiciis*, n° 72, ubi allegatur cap. *Statutum* 11, § *Assessores*, *de Rescriptis*, in 6°. V. (5765)

5550. « Agendo officio judicis, inquit Card. Sogha » (*Inst. jur. priv.*, § 202) impares naturâ sunt surdi, muti, » furiosi, mente capti, impuberes, atque etiam 20 annis » minores, quamvis ex partium consensu eligi judex possit » qui 18 annum jam compleverit : cap. 41 *de offic. et po-* » *test. judic.* His adde illiteratos...; jure autem à judicis of- » ficio arcentur infames omnes, uti sunt hæretici, schis- » matici, excommunicati, perjuri, et demùm omnes qui » ob crimen aliquod publicâ infamiâ notati sunt; servi » quoque... et feminæ... munus judicis exercere vetantur: » tamen Abbatissæ aliquæ, sive ex consuetudine, sive ex » privilegio, tum in suas sanctimoniales, tum etiam in cle- » ricos jurisdictionem explicant eosque ab officio et bene- » ficio suspendere possunt : cap. 12 *de major. et obed.* : quæ » quidem non est propriè dicta suspensio, sed.... prohi- » bitio ne celebrent. »

5551. Quærit. 1° Quid requiratur in judice ut valida sit ejus sententia ?

Resp. Generatim ex parte judicis requiri et sufficere :

I. Ut sit *competens :* ratio quia ad validè judicandum necessaria est circa res vel personas, de quibus sententia profertur, legitima potestas.

II. Ut *nulla adsit circumstantia propter quam à lege sit cautum ut nulla habeatur sententia :* cujus ratio patet, cùm lex possit irritare sententias etiam à legitimo judice prolatas.

5552. Unde 1° Non potest quis esse judex vel assessor in causâ in quâ priùs advocatum egit, et id quia attentâ humanâ conditione talis homo difficillimè adduci poterit ad judicandum in sensu alio ab eo quem antea defendebat : undè hoc prohibebatur jure romano (arg. l. fin., c. *de Assess.*) et legem illam suam in praxi fecit Ecclesia; imò ad jus naturale videtur posse referri ob rationem modò expositam : excipiendus est tamen Judex Supremus.

5553. — 2° Validè pronuntiare nequit judex, qui consimilem ipse causam, tanquam actor vel reus habet : probatur assertio ex cap. *Causam* 18, *de Judiciis*; et ratio est quia meritò præsumitur quòd judex in causâ suæ cog-

nitioni commissâ, ita sit judicaturus sicut ab aliis judicari vellet in suâ consimili causâ : et hæc prohibitio etiam juri naturali est conformis.

5554. — 3° Regulariter nullus potest esse judex in propriâ causâ : ratio est evidens.

Dicitur *regulariter* quia sunt quædam exceptiones : sic 1° excipitur Judex Supremus, velut Papa, Rex, Imperator : ut constat ex cap. *Cùm venissent* 12, *de Judiciis* ; ex lege *Et hoc* 41, ff. *de hæred. inst.*, et lege unicâ cap. *Si quis imper. maled.* : ratio est quia exigere videtur plenitudo potestatis ut non cogatur alterius judicio se submittere ; et præterea, nihil nisi æquum justumque præsumi debet de eo qui est supremus legum conditor, custos et vindex. Nec obstat cap. *Forus* 10, *de verb. sign.*, ubi ad judicii substantiam requiruntur tres personæ : *judex*, *actor et reus*, quia ad summum dici potest, in casu supposito, non adesse judicium propriè dictum sed duntaxat actum meræ administrationis ; attamen consultius et juri naturali conformius esset in tali casu, si causa arbitris vel aliis judicibus sive ordinariis sive delegatis committeretur. V. Schmalzgrueber (ap. Bouix, *De Judiciis*, tom. 1, p. 127 et 128).—2° Excipiuntur ea quæ sunt jurisdictionis voluntariæ, ut praxi constat.—3° Si factum, v. g., injuria judici illata sit notoria.—4° Si causa, non personam judicis, v. g. Episcopi, sed ipsius ecclesiam, vel dignitatem, directè et principaliter respiciat. Notant tamen DD., inquit Schmalzgrueber (*ib.*), judicem in præfato casu posse recusari tanquam suspectum ob affectionem erga suam ecclesiam vel dignitatem.

5555. — 5° Excipiendus est casus in quo jurisdictio judicis in dubium vocatur, ut constat ex lege *Si quis* supra citatâ, ubi dicitur : « *Prætoris est æstimare an sua sit jurisdictio.* » Et ratio est quia causa tunc non est præcis propria judici, cùm commodum ad judicem non pertineat, sed potiùs ad utilitatem causæ, cùm aliter judex non potest suo munere fungi. Secus tamen esset dicendum si allegaretur defectus personam judicis afficiens, v. g. quòd sit excommunicatus, infamis, jurisdictionis incapax ; si recusaretur ut suspectus, nisi exceptio suspicionis esset *fri-*

vola (de quâ judici competit judicare), vel si judex cujus jurisdictio est dubia, ex cognitione causæ notabile emolumentum percepturus esset : in iis enim casibus judex non potest judicare. (Bouix, *ib.*, p. 130 et 131.)

5556. Quærit. 2° An judex sit competens quando talis existimatur, licet reverà jurisdictione careat?

Jam huic dubio satisfecimus (294-306).

5557. Quærit. 3° Quænam sint generales officii judicialis obligationes?

Resp. Præter obligationes de quibus suo loco pro varietate materiarum dicturi sumus in decursu, sequentes sunt hîc commemorandæ : 1° Obligatio scientiam debitam habendi : cujus deficientiâ malè judicans peccat mortaliter, et tenetur ad restitutionem damni causati parti læsæ, sive in substantiâ litis sive in superfluis expensis. Ita communiter cum Ferraris (v° *Judex*, n° 29) : Hinc « judex carens » necessariâ scientiâ non debet absolvi, nisi factâ renun- » tiatione officii, vel nisi firmum habeat propositum re- » nuntiandi. Ita S. Thomas, 2, 2, q. 66, art. 2. » (Apud S. Liguor., lib. 4, n° 195.)

5558. « Si judex agnoscit errorem à se (etsi sinè gravi culpâ) » commissum in præjudicium litigantis, tenetur, si potest » citra infamiam, impedire errorem, v. g., monendo oc- » cultè partem læsam, ut sibi appellatione vel aliter con- » sulat... De Lugo. » (Apud S. Liguor., *ibidem.*)

5559. — 2° « Judex mortaliter peccat... differendo valde » notabiliter causarum expeditionem sinè justâ causâ; et » tenetur restituere parti læsæ damna et expensas, quæ » ex iniquâ dilatione secutæ sunt... Ita Ferraris (*ib.*, » n° 32) et DD. communiter. » Vide apud S. Lig. (lib. 4, n° 196).

5560. — 3° Tàm jure divino quàm jure ecclesiastico prohibetur ne judex munera à litigantibus accipiat. Exod., c. 23, v. 8; Deuter, c. 16, v. 19; Eccles., c. 20, v. 31; Mich., c. 3, v. 11; cap. *Judices* 23 et cap. *Jubemus* 126, causa 1, q. 1; cap. *Non sane* 15, causa 14, q. 5; cap. *Cùm ab omni* 10, *de vitâ et honest. cleric.*; cap. *Statutum* 11,

§ *Insuper de rescriptis*, in 6° ; cap. *Romana* 1, *de censibus*, in 6°, etc.—(Vide Ferraris, *ib.*, n° 34.)

5561. Judex munera accipiens, non solùm mortaliter peccat, sed tenetur ad eorum restitutionem, nec eximi potest ab eâ obligatione per remissionem dantium, ut constat ex cap. *Statutum* modò citatum, ubi dicitur : « Nullâ » eorum quibus *restitutio facienda fuerit*, remissione » ullatenus profecturâ eidem. »

5562. Excipiuntur tamen munera parva quæ *xenia* vocantur : de iis sic ait Bonifac. VIII in cap. *Statutum*, § *Insuper*, *de rescriptis*, in 6° : « Insuper, ut gratis... judi- » cium... procedat, nullum munus... (nisi forsan escu- » lentum, vel poculentum merâ liberalitate oblatum, quod » paucis consumi possit diebus, vel nisi, cùm ipsum propter » causam sibi commissam contigerit extra suum domici- » lium proficisci, moderatas expensas) recipere ab eisdem » partibus qualitercumque præsumat. » Quidam tamen aliter sentiunt, ut videre est apud S. Liguorium (lib. 4, n° 211), qui non videt cur non sit admittenda dispositio citatæ Decretalis, cùm non possit præsumi quòd ob similia munera judex voluerit injustam ferre sententiam.

5563. Judex ecclesiasticus committens *baratriam*, id est pecuniâ corruptus iniquam ferens sententiam, ab officio suspenditur per annum et potest aliâ pœnâ puniri ; eâdem pœnâ punitur qui illum corrumpit.

5564. « Dantes autem aut recipientes pro obtinendâ » gratiâ aut justitiâ apud Sedem Apostolicam, incurrunt » præterea excommunicationem ipso facto reservatam, et » accipientes ad restitutionem tenentur ; atque clerici omni » officio aut beneficio privantur. » (S. Liguor. *ib.*, 213). — De eo qui aliis judicibus aliquid largitur, vide *ibidem* (n° 212). — De his pœnis silet C. *Apost. Sedis.*

5565. Judex tamen ecclesiasticus cui nullum assignatum fuit stipendium vel congrua sustentatio, posset à litigantibus exigere honorarium. Ita communiter Bouix (*ib.*, tom. 1, p. 138).

5566. — 4° Judex minister et custos legum esse debet, non autem arbiter : undè ei non licet de ipsis judicare, sed

secundùm illas ipse pronuntiare debet : porrò in causis civilibus judex tenetur judicare juxta probabiliorem sententiam : nam ab Innocentio XI damnata fuit, 2 martii 1679, propositio sequens : « Probabiliter existimo judicem posse » judicare juxta opinionem etiam minus probabilem. »

Diximus in *causis civilibus ;* nam, in criminalibus absolvi debet reus, nisi ipsius crimen certò probetur. Item in causis matrimonialibus quæ criminalibus æquiparari dicuntur, certâ probatione opus est ut matrimonium nullum declarare liceat.

5567. Remanente pro utrâque parte æquali juris probabilitate, judex in causis civilibus debet rem dividere : si tamen una pars bonâ fide possideat, in gratiam rei seu possidentis pronuntiare debet. Constat ex cap. *Cùm sunt* 11, *de Regulis juris*, in 6° : « Cùm sunt partium jura obscura, » reo favendum est potiùs quàm actori. » Vide etiam cap. *In pari* 65, *ibid. ;* et cap. *Ex litteris* 3, *de prob...* Etiam pro legitimè seu cum bonâ fide possidenti, judex debet pronuntiare casu quo pro actore rationes essent probabiliores, modò rationes pro possidente sint verè probabiles. Ita communiter apud S. Liguor. (lib. 4, n° 210, *quær.* 2).

5568. Excipiuntur tamen non solùm matrimonium de quo modò, sed etiam testamentum et dos pro quorum validitate in dubio est pronuntiandum juxta dispositiones cap. *Duobus judicibus* 26, *de sent. et re judic.*, in quo sic habetur : « Tenet pro reo, non pro actore, sententia, nisi in » causâ favorabili, puta matrimonio, libertate, dote, seu » testamento. » Item in dubio an aliquis sit de conditione servili, in favorem statûs libertatis est pronuntiandum ex eodem canone... Vide S. Liguor. (lib. 4, n° 210).

5569. — 5° Regulariter secundùm allegata et probata judex debet judicare et juxta hanc limitationem, sequi debet sententiam probabiliorem : hinc non potest aperire alteri parti quod ipsa posset pro se allegare, quia hoc esset ägere munus advocati, quod judici non licet, juxta DD. Vide S. Liguor., lib. 4, n° 210.

Disputatur an juxta probata debeat pronuntiare contra propriam scientiam certam, in quo tres sunt senten-

tiæ : *Prima* universim affirmat : ita S. Thomas 2, 2, q. 64, art. 6, ad 3. *Secunda* universim negat : quia non licet mentiri et est malum intrinsecum *insontem et justum occidere* (Exod., c. 23, v. 7), sicut etiam cogere mulierem ad convivendum cum eo quem privatim judex scit non esse ejus conjugem. *Tertia* distinguit, et dicit posse et debere judicem pronuntiare juxta *allegata et probata* in causis civilibus aut etiam criminalibus, in quibus non est infligenda pœna mortis aut mutilationis, sed secus esse tenendum in causis criminalibus in quibus rei pœnis hujusmodi essent plectendi : ratio prioris partis assertionis est quia Respublica potest, propter bonum publicum, disponere de bonis privatorum, aut illis certa onera imponere : porrò bonum publicum postulat ut cum præfatis damnis observentur sententiæ judicum juxta allegata et probata prolatæ : ergo, etc. Sed hæc ratio non valet pro pœnâ mortis aut mutilationis, quia Respublica non potest disponere de vitâ et membris subditorum innocentium; unde ratio etiam habetur secundæ partis assertionis.

5570. Cùm verò Ecclesia nunquam pronuntiet pœnam mortis aut mutilationis, juxta hanc tertiam sententiam, judex ecclesiasticus deberet semper pronuntiare juxta allegata et probata : excipiendus tamen videtur casus quo mulierem cogere deberet ad convivendum cum eo qui non esset ejus vir. Est autem extra omnem controversiam quòd in præfato casu judex teneatur facere quidquid potest ad liberandum eum quem privatâ scientiâ scit esse innoxium, et si id non possit, debere, si ipsi liceat, relinquere Superiori hujusmodi judicium.

5571. Quærit. 4° An contra allegata et probata judex possit damnare eum quem scit privatâ scientiâ certè esse reum? — Respondetur negativè, quia judex neminem potest damnare nisi juridicè constet illum esse reum. Nec mentitur eum absolvendo quia non pronuntiat præcisè illum esse innocentem, sed duntaxat non fuisse probatum nocentem. Ita unanimiter ap. Bouix, *De Judiciis* (t. 1, p. 142).

5572. Quærit. 5° An et quomodo judices constitui possint per delegationem?

Solutio hujus dubii invenitur supra (307-326).

5573. Quærit. 6° Quinam possint delegari ad exercendam potestatem judicialem?

Resp. Generaliter dici potest *illos omnes posse delegari qui non prohibentur*. Diximus supra quænam vitia impediant ne quis delegationem accipiat pro negotiis ecclesiasticis, et quænam dotes in delegatis Ecclesiæ requirantur (313-319); sufficiat hîc adjicere quòd nec impuberes, nec infames aut excommunicati, nec servi, nec feminæ, nec surdi et muti possunt esse judices : quia vel consuetudine vel expressis canonibus id est vetitum.

5574. Quoad autem ætatem requisitam, dicit Gregor. IX (cap. *Cùm vigesimum* 41, tit. 29, lib. 1 Decret.) : « Cùm » 20 annum peregeris, dari potuisti in ætate hujusmodi » delegatus. Cæterùm constituto intra ætatem eamdem » (nisi partes scienter consentirent in eum qui annum 18 » transcendisset) facta delegatio ab alio quàm à Principe » non teneret. »

5575. Quærit. 7° Quomodo procedere possint et debeant judices delegati quando plures ad eamdem causam dirimendam sunt deputati?

Resp. 1° Si judices sunt deputati in solidum, si nempe dicatur in rescripto : *ut omnes aut duo vel unus mandatum exequantur, aut exequatur*, aut alia consimilis formula adhibeatur, tunc datur locus præventioni, ita ut si unus de causâ sinè cæteris cœperit cognoscere, alii se intromittere nequeant, nisi ille qui priùs cœpit aliquo obstaculo impediatur, vel malitiosè procedere recuset : constat ex cap. 8, tit. 14, lib. 1, in 6°, ubi Bonifacius VIII dicit : « Cùm plures, sub illâ formâ *ut omnes aut duo vel unus* » *eorum mandatum apostolicum exequatur*, aut aliâ consi- » mili judices, vel executores à Sede Apostolicâ deputari » contingeret, ipsorum quilibet injunctum potest liberè » adimplere mandatum. Porrò uno eorum negotium in- » choante commissum, alii nequibunt se ulteriùs intro- » mittere de eodem, nisi vel infirmitate, vel aliâ justâ » causâ, illum contingeret impediri, aut si nollet, vel ma- » litiosè in eo procedere recusaret. »

5576. — 2° Si in formulâ delegationis dicatur, *ut si omnes interesse nequiverint reliqui mandatum exequantur*, tunc quomodo sit procedendum explicat cap. *Prudentiam* 21, tit. 29, lib. 1 Decret., ubi dicitur : « Supplicas informari » utrum, cùm tribus causa committitur, ita quòd si omnes » interesse nequiverint, duo eam nihilominus exequantur, » si reus à duobus tantùm fuerit convocatus, venire ne- » cessariò teneatur; et si citatus à pluribus coram duobus » comparuerit, tertio nec veniente per se, vel per litteras » (ut solet fieri) excusante, an duo præsentes in causâ pos- » sint procedere, et eam sententiæ calculo terminare? In » hoc casu taliter respondemus quòd, cùm aliquis delega- » torum judicum, per certum nuntium vel excusatorem » litteratoriè destinatum, non ostenderit se interesse non » posse, vel aliàs de eodem canonicè constare non poterit, » residui procedere ad causæ cognitionem non debent : » quod si processerint, nihil reputabuntur egisse. Illa » quippe fuit antiqua Sedis Apostolicæ provisio, ut hujus- » modi causarum cognitiones duobus quàm uni, tribus » quàm duobus libentiùs delegaret... Mandati siquidem » excedere fines probaretur, si quis citra formam rescripti » accepti præsumeret judicare. Adjicimus etiam quòd ubi » fuerit in commissione appositum, ut si omnes interesse » nequiverint, duo eam nihilominus exequantur, si quis » ex ipsis, cùm possit, noluerit interesse, duo nihilominus » in causâ procedant; licet ille tertius gravissimè sit ar- » guendus pro eo quòd mandatum apostolicum exequi » subterfugiat aut contemnat. Idem quoque per omnia di- » cimus observandum in causâ quæ committitur duobus, » eo apposito, ut si ambo interesse nequiverint, alter » nihilominus exequatur. »

5577. Quando autem per plures negotium expeditur, sequenda est sententia majoris numeri; et in casu quo æqualiter suffragia scinduntur, ad delegantem est recurrendum, quod intelligi debet etiam de casu sequenti et de omnibus in quibus per plures fit judicium.

5578. — 3° In casu quo plures simpliciter sinè ullâ clausulâ deputantur ad cognitionem alicujus causæ, tunc nulla

censetur data facultas sinè aliis judicandi, ut constat ex cap. *Causam* 16, tit. 29, lib. 1 Decret., ubi dicitur : « Cùm » causa duobus committitur, sententia unius non tenet », etsi alter fuerit legitimè impeditus aut morte fuerit ereptus.

5579. Quærit. 8° An delegatus possit procedere ad cognoscendam causam nondum accepto delegationis rescripto, et an ultra contenta in actu delegationis ?

Resp. 1° Non posse delegatum procedere ante sibi præsentatum delegationis rescriptum. Ita enim sancivit Alexander III in cap. *Super eo* 12, tit. 28, lib. 2 Decret. : « Si » autem intra certum tempus lis decidenda committitur, » ex tunc terminus incipit currere, *cùm judices contigerit* » *litteras recepisse.* » Unde in tali rescripto attendi non debet tempus *datæ* sed *præsentationem* ejus : irritusque esset processus ante præsentationem rescripti; nec convalesceret per secutam hanc præsentationem, quia factus fuisset à non habente jurisdictionem. Ita communiter.

Imò litteræ delegationem continentes exhiberi debent in formâ authenticà litigantibus, ipsisque coram delegato comparentibus dari debet copia, alioquin obtemperare non tenentur, prout constat ex cap. *Cùm in jure* 31, tit. 29, lib. Decret., ubi Episcopo Bajocensi respondet Innocent. III: « Nisi de mandato Sedis Apostolicæ certus exstiteris, exequi » non cogeris quod mandatur. » Et ratio quia nemo, præter judicem ordinarium, præsumitur habere jurisdictionem, nisi probetur.

5580. Prædictæ regulæ dantur quædam exceptiones : videlicet 1° Delegatus ab Ordinario non principe potest suam commissionem probare per testes. 2° Ipsemet delegatus à Papâ non tenetur exhibere suum rescriptum, si litigantes et Ordinarius fidem velint dare delegato asserenti se habere mandatum. 3° Si delegans sit præsens et ab ipso quæri facilè possit an verè delegationem concesserit. 4° Si ante exhibitas litteras partes coram delegato litem sint contestatæ.

5581. Resp. 2° Non debere delegatum procedere ultra mandatum, quia ultra illud nullam habet potestatem : non tamen censetur ultrà mandatum procedere si cognos-

cat de connexis et necessariis causæ delegatæ : « quia, in » quit Alexander III (in cap. *Præterea* 5, tit. 29 lib. 1 » Decret.), ex eo quòd causa sibi committatur super om- » nibus quæ ad causam ipsam spectare noscuntur, plena- » riam recipit potestatem. » Sic potest partes compellere ad comparendum et contumaces pœnis coercere etiamsi litteræ id non exprimant. — Nec etiam ultra mandatum procedit delegatus si partes renuntient favori per rescriptum ipsis concesso : v. g. si rescriptum præscribat causam judicari in aliquo loco et partes consentiant ut in alio pertractetur. « In nullo quoque, ait Bonifac. VIII (cap. *Statu-* » *tum* 11, tit. 3. lib. 1 Decret. in 6°), casuum prædictorum » judex extra civitatem seu diœcesim, in quibus depu- » tatus fuerit, citet partes, nec de causâ sibi commissâ » cognoscat, nisi *ad id expressus accesserit* eorumdem » assensus. » Vide alia apud Bouix, *De Judiciis* (tom. 1, p. 155).

5582. Quærit. 9° Quousque se extendat potestas judicis delegati?

Resp. Delegati judicis potestas dimentienda est ex potestate delegantis et ex verbis mandati concessi, ita ut necessariò censeatur habere eam potestatem sinè quâ mandatam sibi jurisdictionem exequi non valeret. — Unde :

1° Potest citare partes ut compareant, et ad comparendum mediis opportunis compellere. Ita cap. *De Causis* 4, tit. 29, lib. 1 Decret. ; et cap. *Ex litteris*, *ibidem*.

5583. — 2° Coercere potest, etiam non litigantes qui ipsius jurisdictionem et processum causæ vellent impedire aut malitiosè retardare : cap. *Quia quæsitum* 1, tit. 29, lib. 1 Decret. : quod etiam intelligi debet de Episcopis qui delegatum Papæ in exercitio suæ jurisdictionis impedirent. Cap. *Sane* 11, tit. 29, lib. 1 Decret. ; mitiùs tamen agere deberent in eos propter dignitatem « nisi fortè aliter » fieri suaserit nimia contumaciæ protervitas seu culpa. » Cap. *Quia Pontificale* 2, *de offic. et potest. judicis delegati*, in 6°.

5584. — 3° « Potest judex delegatus, si ei pars citata » objiciat jurisdictionis defectum, cognoscere regulariter

» num sua sit juridictio, prout sumitur ex cap. *Ex parte*, » *de rescript.*, et hinc discrimen est inter judicem ordina- » rium et delegatum : nam judex ordinarius tantùm potest » cognoscere an sua sit jurisdictio, quando ipsi objicitur » quòd non sit competens respectu partis citatæ, non verò » quando ipsi objicitur quòd nullam habeat jurisdictio- » nem ; at verò delegatus cognoscere potest num sua sit » jurisdictio, etiamsi pars citata ipsi objiciat quòd nullam » jurisdictionem habeat. Ratio discriminis est quia judex » ordinarius, cùm defectus omnis jurisdictionis ipsi obji- » citur, hanc fundatam non habet, et hinc nec pronun- » tiare interlocutoriè de illâ potest, ne judicet in propriâ » causâ ; at judex delegatus, cùm omnia agat nomine dele- » gantis, de cujus jurisdictione, ut supponitur nullum » movetur dubium, ipse quoque jurisdictionem fundatam » consequenter etiam potestatem habet cognoscendi utrum » litteræ delegationis... sint validæ. » Ita Schmalzgrueber ap. Bouix (*ib.*, p. 157).

5585. — 4° Cùm excommunicatio à communicatione forensi removeat, « potest delegatus absolvere actorem ab » excommunicatione quam incurrit post rescripti impetra- » tionem ob causam pertinentem ad eam, ob quam dele- » gatio facta est, nisi illa sit specialiter reservata Papæ. » Ita Schmalzgr. ex cap. *Prudentiam de offic. et pot. jud. deleg.* Dictum fuit *ob causam pertinentem*, etc. : nam si ob causam diversam et ad eam quæ delegata est non perti- nentem, excommunicatus est, ad excommunicatorem est remittendus, qui si absolvere renuat, vide quit sit agendum ap. Schmalzgrueber à D. Bouix (p. 158) relatum.

5586. — 5° Si reus absque legitimâ causâ intra tempus præfixum non compareat, et actor probet se fuisse in possessione et postea fuisse spoliatum, delegatus potest eum in possessionem restituere. Cap. *Consultationibus* 10, tit. 29, lib. 1 Decretalium.

5587. — Item potest delegatus à Papâ exequi latam à se sententiam et pro eo habet annum integrum à die latæ sententiæ computandum. Cap. *Significasti* 7, et cap. *Quæ-*

renti, tit. 29, Decret. Idem probabiliùs est dicendum de delegato à judice inferiori.

Potest tamen delegatus à Papâ mandare Ordinario ut sententiam suam exequatur : quo casu communiter aiunt DD. Ordinarium teneri parere et posse ad id compelli à delegato, quippe qui *ipso Ordinario in hâc causâ major et superior est*, inquit Pirrhing ap. D. Bouix (*ib.*, p. 159).

Imò delegatus S. Sedis posset etiam censuris compellere judicem civilem ad ei præstandum auxilium brachii sæcularis, etsi ad hoc non sit munitus speciali clausulâ. Colligitur ex can. *Administratores* 26, causa 23, q. 5 (*ib.*).

5588. Quærit. 1° Quomodo cesset jurisdictio delegata ?

Resp. 1° Cessat per mortem delegati et ipsius mutationem ; sed vide quomodo id fiat, supra (493, etc.).

2° Per mortem delegantis, si res sit adhuc integra : de quo vide dicta supra (71, 72).

5589. — 3° Per delegati revocationem à delegante vel ejus Superiore factam : est autem discrimen inter revocationem à primo delegante factam et revocationem à subdelegante peractam ; primus revocare potest jurisdictionem in totum, etiam causâ jam inceptâ, non ita secundus. Nam is vel subdelegavit in totum, et tunc non potest jurisdictionem revocare, quia per totalem subdelegationem sese spoliavit omni auctoritate ; vel subdelegavit partem tantùm jurisdictionis sibi commissæ, et tunc causâ etiam inceptâ, hanc partem potest revocare. Vide Bouix (*ib.*, tom. 1, p. 162).

5590. — 4° Cessat quando delegatus sententiam tulit, eamque executioni mandavit, vel mandari præcepit : « Ex quo judex delegatus *per se*, vel per alium sententiam » executioni mandavit, vel mandari præcepit, ejus auc- » toritas et jurisdictio cessat, quia semel est officio suo » functus. » Cap. *Ex litteris* 9, tit. 29, lib. 1 Decret. — Et hoc procedit etsi *nulliter* judicaverit.

Item cessat, finito quocumque modo negotio, v. g. per transactionem, compositionem, etc. (Bouix, *ib.*, p. 163.)

5591. — 5° Cessat quando delegatus interloquendo pronuntiat nullam sibi competere jurisdictionem in causâ

delegatâ, ob rescripti invaliditatem. Vide cap. *Significantibus* 38, tit. 29, libr. 1 Decret: excipe nisi pars impetrans rescriptum à tali sententiâ interlocutoriâ appellaverit. (Bouix, *ibidem.*)

5592. — 6° Cessat si fuerit recusatus tanquam suspectus et pronuntiatum fuerit causam suspicionis esse legitimam. Vide cap. *Judex* 5, lib. 1, tit. 14, in 6°; et infra dicenda (5912, 5913).

5593. — 7° Cessat lapsu temporis ad dicendam causam præfixi, nisi terminus ille de consensu partium prorogetur. Vide cap. *de Causis* 4, tit. 29, lib. 1 Decret.

5594. Quærit. 11° Quid sint judices conservatores?

Resp. Conservator dicitur judex deputatus à Papâ ad defendendos aliquos ab injuriis, damnis et violentiis manifestis, absque judiciali causæ cognitione. Ita Innoc. IV (cap. 1, tit. 14, in 6°) : « Statuimus ut Conservatores quos » plerumque concedimus, à manifestis injuriis et violentiis » defendere possint quos eis committimus defendendos: » nec ad alia quæ judicialem indaginem exigunt, suam » possint extendere potestatem. »

Præcipuas de Conservatoribus juris dispositiones exhibet Decret. Bonifac. VIII, cap. *Hæc constitut.* 15, tit. 14, in 6°. Ex Bullâ autem *Regimini* Leonis X, Conservatores debent esse doctores in alterutro saltem jure; secus assumere debent consultorem graduatum, partibus non suspectum.

Vetus jurisprudentia circa Conservatores in multis fuit immutata à Concil. Trident. (sess. 14, c. 5, *de reform.*); nec hodie adhiberi solent nisi pro Universitatibus, Ordinibus regularibus, collegiis doctorum et hospitalibus, ut dicitur in fine dicti capitis. Vide dicta supra (2946-2954).

ART. II.

DE ACTORE ET REO.

5595. Dicendum I. Quinam sint habiles ad standum in judicio tanquam actores, vel rei.—II. An quis possit cogi ad agendum in judicio, et quomodo cogi possit ad comparendum.

I. Non omnes habiles sunt ad standum in judicio, tanquam *actores* vel *rei*. Quinam verò ad hoc sint habiles, hîc est sigillatim exponendum :

1° Non solùm jure Justiniano, in foro Ecclesiæ quoad hoc admisso, sed etiam jure naturali, infantes usum rationis nondum habentes, furiosi, amentes, per seipsos in judicio stare nequeunt tanquam *actores*, neque tanquam *rei*, quia sua jura prosequi aut defendere non possunt; proinde tales nequeunt in judiciis ecclesiasticis convenire aut conveniri; sed eorum loco conveniri aut convenire debent eorum tutores aut curatores.

5596. Idem est dicendum, ex lege Justinianâ, de surdis et mutis; sed meritò dubitari potest an hæc legislatio, quoad personas quæ sufficienter edoctæ sunt per methodos noviter inventas, adhuc hodie perseveret : quoad eas enim cessasse videtur fundamentum incapacitatis à lege statutæ.

5597. Idem sancivit lex Justiniana quoad interdictos ob vitium prodigalitatis; et hæc legislatio observanda est in judiciis ecclesiasticis saltem in materiâ civili : de materiâ verò criminali non liquet (Vide Bouix, *ib.*, t. 1, p. 169).

5598. — 2° Quoad minores : vel sunt impuberes seu minores annis 14, vel sunt tantùm minores 25 annis.

In *primo casu*, minores nequeunt per seipsos in judicio stare, neque in temporalibus neque in spiritualibus causis; ipsisque, si agatur de causis spiritualibus vel spiritualibus annexis, curator est dandus à judice ecclesiastico, Episcopo nempe, vel Officiali, vel alio judice delegato. Unde in his nequit se intromittere pater vel curator temporalis : potest tamen Episcopus vel alius judex ecclesiasticus facere potestatem minori qui infante major esset, ut loco curatoris, aliquem sibi procuratorem constituat. Ita cap. *Si annum*, *de judiciis*, in 6°.

5599. Nota, quoad causas criminales, quòd pupilli tanquam actores admitti possint in his causis in quibus delictum non posset aliter probari : quia bonum commune exigit ut delicta plecti possint. (Bouix, *De Judiciis*, tom. 1, p. 169.)

5600. In *secundo casu*, si agatur de causis spiritualibus vel spiritualibus connexis, certum est minores posse per seipsos, vel per procuratorem à se constitutum convenire vel conveniri absque curatore. Constat ex eâdem Decretali Bonifacii VIII *Si annum*.

Si verò agatur de causis temporalibus quæ ex privilegio fori coram judice ecclesiastico ventilantur, minores 25 annis indigent curatore ut possint in judicio stare : ita disponit lex Justiniana ab Ecclesiâ in hoc recepta ; sed plures casus sunt excipiendi, sive ex legitimâ consuetudine, sive peculiari statuto, aut aliâ ex causâ. Vide Bouix (*ib.*, p. 171).

5601. — 3° Circa feminas sic habet legislatio ecclesiastica : etiam consentientes in nullo casu mulieres religiosæ possunt personaliter stare in judicio, et hoc intelligi debet, etiam de religiosis quæ clausuræ non subduntur. Quoad autem cæteras mulieres, in causis civilibus non sunt personaliter trahendæ invitæ ad judicium ; si tamen velint, agere et respondere possunt : in criminalibus autem non quidem permittuntur personaliter agere vel accusare, nisi suam vel suorum injuriam prosequantur, aut publica utilitas id postulet, aut causa ejus generis sit ut corporalem præsentiam exigere videatur (Card. Soglia, *Inst. jur. priv.*, § 206) ; sed si alicujus atrocis criminis reæ sint, invitæ in judicium trahi possunt. Quæ omnia constant tùm ex Decretali *Mulieres* 2, *de Judiciis*, in 6° ; tum ex jure Justiniano quod Bonifacius VIII in dictâ Decretali præservavit his verbis : *aut aliâ quâlibet quæ in jure non exprimitur*.

5602. — 4° De excommunicatis sequentia sunt tenenda : 1° *vitandi* seu *publicè denuntiati* non possunt esse *actores* quamvis possint esse *rei*. Vide cap. *Exceptionem* 12, tit. 25, lib. 2 Decret. Quod intelligitur etiam de tribunalibus sæcularibus, juxta cap. *Decernimus* 7, *de sentent. excomm.*, in 6°, ubi dicitur : « Decernimus ut judices sæculares per censuram ecclesiasticam ab ecclesiasticis judicibus (canonicâ monitione præmissâ) repellere excommunicatos ab agendo, patrocinando et testificando, in suis curiis et judiciis compellantur. »

5603. Quidam casus sunt excipiendi, videlicet si excom-

municatus probare intenderet excommunicationem contra se latam fuisse ipso jure nullam : non autem sufficeret si solùm vellet probare ipsam fuisse injustam. Item in omnibus casibus in quibus esset necessitas. Vide apud D. Bouix (*ib.*, tom. 1, p. 174).

5604. Potest autem *vitandus* stare in judicio tanquam *reus* juxta Decretalem *Intelleximus* 7 Alexandri III, lib. 2, tit. 1, ubi dicitur quòd : « Conveniri potest, et debet per » alium respondere, ne videatur de suâ malitiâ commo- » dum reportare. » Excipitur casus ubi esset reus voluntarius et pro suo commodo in judicio staret. Vide Schmalzgrueber, apud Bouix (*ib.*, p. 174, etc.).

Aliqui putant plures adesse casus in quibus excommunicati possunt per seipsos respondere ; imò ipsis relinqui facultatem per seipsos semper respondendi sentit Suarez, apud Bouix (*ib.*, p. 175). Vide infra dicenda (6537.)

5605. — *Excommunicatus non vitandus* potest quidem tanquam *actor* repelli etiam ab adversâ parte ; sed potest à judice admitti, si adversarii consentiant : ut verò *reus necessarius* admitti aut etiam compelli potest : ut autem *voluntarius* potest admitti aut repelli arbitrio judicis et actoris ; hæc deducuntur, tum ex Constit. Martini V *Ad evitanda*, tum ex supra dictis. Vide Bouix, *ibid.*, p. 175.

5606. — 5° Quoad religiosos, absque consensu Prælati, in judicio stare nequeunt, ita ut nulla sint quæ sinè dicto consensu religiosus ageret : ratio est quia religiosus per professionem suam desinit esse sui juris. Ita communiter. Sunt tamen plures casus excipiendi quorum enumerationem facit Schmalzgrueber apud Bouix (*De Judiciis*, tom. 1, p. 176, etc.). Inter hujusmodi casus computatur : 1° si religiosus velit ut in religione retineatur, vel ab eâ expulsus restituatur, vel ne ei alimenta debita aut expensæ à monasterio denegentur, vel jure quod habet ferendi suffragium, sedendi in choro, etc., non privetur ; 2° si proprius Prælatus tanquam dilapidator, etc., sit accusandus, vel si è contra sit defendendus qui incarceratus est ; 3° si tuenda sit causa monasterii dum Prælatus est absens, nec commodè potest haberi ejus licentia et periculum est in

morâ ; 4° in causâ delicti proprii : nam in hoc casu, non monasterium sed delinquens est conveniendus : à monasterio tamen in his casibus expensæ sunt suppeditandæ. Vide alios casus (*ibidem*).

5607. — 6° *De ecclesiis et monasteriis* tenetur quòd, cùm habeantur ut personæ morales quæ varia jura sibi vindicare possunt, necesse est ut in judicio possint conveniri et convenire, sed hoc fieri nequit nisi mediantibus certis personis quibus committitur officium nomine monasterii et ecclesiæ agendi et respondendi.

Ex Decretali autem *Edoceri* 21, lib. 1, tit. 3, Decret., ad Prælatum monasterii, saltem cum consensu conventûs, et ad Prælatum ecclesiæ, saltem cum consensu Capituli, regulariter pertinet agere et respondere, *cùm ex officio suo teneantur*, inquit Innocentius III in dictâ Decretali, *Congregationum suarum negotia procurare*, nisi aliter ex ipsâ monasterii constitutione caveretur. Idem constat ex cap. *Nullum* 9, causa 18, q. 2.

An autem Prælatus absolutè indigeat consensu monasterii vel Capituli, controvertitur, et solutio pendet à diversitate casuum et circumstantiarum. Vide apud Bouix, *ibid.*, p. 178 et 179.

5608. Per Prælatum hîc intelligendi sunt Prælati præcipui, videlicet : 1° Episcopus relativè ad Ecclesiam Cathedralem, Cathedrale Capitulum ; 2° Prælati qui jurisdictionem quasi-episcopalem habent in aliquam ecclesiam in quâ est Capitulum ; 3° Primarii religionum ordinum Prælati, nempe Abbates et Præpositi generales Ordinum.

Quoad autem alios Superiores, nihil possunt in præsenti materiâ : unde recurrendum est ad varia Ordinum statuta et receptas consuetudines. Vide Bouix (*ib.*, p. 180).

5609. Abbatissæ verò et aliæ quæ monialium conventibus præsunt, agere et respondere possunt per constitutos procuratores in negotiis suorum conventuum, prout valent Prælati, Abbates et alii monasteriis virorum præpositi, nisi tamen secus disponant speciales Ordinis constitutiones. Vide Bouix (*ibidem*).

5610. — 7° *Parochiæ* cùm per parochos sub directione

Episcoporum administrentur, quæritur an Episcopus vel parochus stare debeat in judicio pro eorum negotiis? Circa quod distinguit Schmalzgrueber : « Vel enim, inquit, admi-
» nistratio rerum et jurium est penès utrumque, vel est
» penès inferiorem tantùm, ita ut Superior administrationi
» ordinariæ se non immisceat ; si *primum* inferior in judicio
» quidem agere et respondere super rebus et juribus Ec-
» clesiæ sibi concreditæ potest ; si tamen Superior ipsemet
» velit agere.. est præferendus, prout sumitur ex Clement. I,
» verbo *liceret*, *de rescriptis ;* si *secundum*, præferri debet
» rector vel administrator immediatus, si perpetuus ille
» sit ; secus, si temporalis et ad nutum Superioris amovi-
» bilis ; de perpetuo constat, quia hujus eo casu principa-
» liùs interest ; de temporali ostenditur : hunc enim tali casu
» Superior ab administratione amovere omninò potest : igi-
» tur, multò magis amovere eumdem poterit à particulari
» potestate agendi in hâc vel in illâ causâ. » Vide apud Bouix (*ib.*, p. 182).

Quoad parochias monasteriis aut aliis ecclesiis unitas quibus vicarii præficiuntur, vide, *ibidem* (p. 181).

5611. — II. Reus quidem potest compelli ad judicium ; et si non compareat, damnari potest ; sed *regulariter* nemo cogi potest ut tanquam *actor* in judicium veniat. Sunt tamen quædam exceptiones : sic 1° qui jam actionem proposuit cogi potest ad cœptam actionem prosequendam : gravari enim posset reus si non deveniretur ad sententiam quâ injustitia actionis demonstretur. Ita auth. *Qui semel*, c. *Quom. et quando jud.*, quæ in foro ecclesiastico recepta est. Sic 2° qui alterum diffamavit, compelli potest ad agendum intra certum tempus nisi velit sibi silentium imponi. Ita pariter *Lex Diffamari* 5, e. *de ingenuis*, à jure canonico admissa. Sic 3° ad agendum in judicio compelli possunt tutores, curatores, procuratores, etc., quando id postulat interesse eorum quorum bona et jura tenentur ex officio tueri.

5612. Quærit. 1° An actor vel reus possit cogi ad comparendum personaliter ?

Resp. 1° Certum est illum cogi posse à Principe seu à S. Pontifice : ita cap. *Juris*, *de Judiciis*, in 6°, ubi supponitur

judicem etiam delegatum posse cogere ad personaliter comparendum in judicio, si à *Sede Apostolicâ mandatum ad hoc receperit speciale.*

2° Cæteri judices non possunt *regulariter* cogere ad comparendum *personaliter*. Illud constat ex eodem capite, et insuper ex cap. *Querelam*, *de Procuratoribus*, ubi Alexander III affirmat *reum* posse, si velit, procuratorem constituere. Diximus *regulariter* quia sunt plures casus excipiendi : nempe 1° si causa sit criminalis, ex modò citato cap. *Juris*, et imponenda sit pœna corporis afflictiva vel quæ exilio reputetur major ; nam in cæteris causis criminalibus reus et à fortiori actor possent stare per procuratorem, ut praxi constat : vide Bouix (*ibid.*, p. 185) ; 2° si specialiter examinanda sit qualitas personæ, maturitas, integritas facultatum intellectualium, etc. ; 3° si veritas meliùs perspici possit per personalem actoris vel rei enarrationem ; quando nempe lis versatur circa factum ; 4° si talia sint indicia contra reum, ut speretur posse veritatem faciliùs detegi ex inspectione vultûs, aut personalibus ejus responsis. Uno verbo, personalis comparutio præscribi potest quoties adest gravis necessitas. (*Ibid.*, p. 186.)

5613. Sed non tenentur citati ab inferiore judice personaliter comparere, nisi causa in citatione exprimatur, cùm sinè sufficienti causâ talis judex potestatem non habeat cogendi ad personalem præsentiam.

5614. Quærit. An ea quæ ad factum pertinent proponi debeant per personas principales ?

Resp. Regulariter quæ ad factum pertinent, non per advocatos sed per personas principales sunt proponendæ. Ita Innocent. III in cap. *Pastoralis* 14, *de Judiciis*. Excipiuntur casus sequentes : 1° si principalis sit homo simplex, qui mentem suam sufficienter explicare nequeat (cap. citato *Pastoralis*) ; 2° si consuetudo expositiones ab advocatis admittat ; 3° si advocatus ad factum in judicio proponendum speciale habeat mandatum ; 4° si judex et pars altera non contradicat. Ita Schmalzgrueber (ap. Bouix, *ib.*, p. 187).

ART. III.

DE PROCURATORIBUS.

5615. Juxta nominis etymologiam, vox *procurator* à verbis *pro alio curator* venit : definitur autem *procurator* à lege romanâ (L. *Procurator* 1, ff. *de procuratoribus*) is « qui aliena negotia mandato domini administrat. »

5616. Procurator ab advocato differt; iste enim non administrat negotium, sed duntaxat domino vel ipsius procuratori in judicio egenti auxilium præstat : unde si juramentum exigatur, non ab advocato, sed vel à domino vel ab ipsius procuratore præstandum est : si requiratur consensus ad aliquam compositionem, non advocati consensus quidquam valet, sed litigantis, vel ipsius procuratoris, etc.

Differt etiam procurator à tutore vel curatore, quia isti non à pupillo vel minore, sed à lege, testatore, etc., constituuntur, dum procurator ab ipso litigante potestatem accipit.

5617. Procuratores alii sunt *generales* qui ad omnia negotia omnesque lites constituuntur; alii *speciales* qui deputantur ad determinatum negotium, litem specialem, etc.

Procuratores generales constituuntur vel *simpliciter*, et ipsi non possunt alienare nisi ea quæ brevi corrumpuntur et servari nequeunt; vel cum *liberâ* et *plenâ potestate*, et tunc alienare possunt tum mobilia tum immobilia, non tamen contractu donationis.

Iterùm procuratores : alii sunt *principales*, qui ab ipsomet domino constituti sunt; alii *substituti*, qui à principali procuratore constituuntur.

Præterea alii sunt *judiciales et ad lites* deputantur, alii *extrajudiciales* qui ad cætera negotia tractanda mandatum accipiunt : de prioribus tantùm hîc agimus.

5618. Tandem alii *simpliciter* constituuntur, alii *in solidum*, ita ut quilibet possit causam expedire : de casu quo plures constituuntur procuratores sic habet Bonifacius VIII cap. *Si duo* 6, *de procurat.*, in 6° : « Si duo procuratores » simul, non adjecto *in solidum*, deputentur, unus sinè

» altero non debebit admitti, secus si sint in solidum con-
» stituti; sed tunc illius melior erit conditio, qui per litis
» contestationem, negotium primitùs occupabit, post oc-
» cupationem alter se intromittere nequibit ulteriùs... nisi
» dictum sit in constitutione, quòd non fieret melior con-
» ditio occupantis : tunc enim si eum qui occupavit, in-
» firmari, mori, absentari, vel aliàs impediri contingat,
» aut si prosequi fortè nolit, poterit alter suscipere ac
» perficere negotium ab alio inchoatum : dum tamen ab
» alio non fuerit alius substitutus : nam si sit, is præferri
» debebit eidem. »

5619. Quærit. 1° Quinam sibi procuratorem constituere possunt?

Resp. Generaliter omnes posse sibi procuratorem constituere nisi à lege prohibeantur : prohibentur autem sequentes : 1° pupilli et minores habentes curatorem, nisi concurrat tutoris aut curatoris auctoritas; 2° filiifamiliàs in iis causis quibus ipsis non licet stare in judicio, et generaliter qui rerum suarum non sunt domini; 3° excommunicati excommunicatione majori, nisi ad se defendendum si in judicium vocentur. Ita cap. *Intellexímus* 7, *de judiciis* : « Excommunicatus... conveniri potest, et debet per alium » respondere. » V. etiam c. *Consulti* 15, lib. 1, tit. 28, Decret.

4° Prælatus quidem non potest procuratorem constituere quoad bona Capituli quorum administratio est omninò separata; sed potest constituere etiam absque consensu Capituli procuratorem pro causis non arduis, quæ respiciunt alias res ecclesiæ aut Capituli; pro causis autem arduis, consensus Capituli requiritur : tales autem reputantur quæ ecclesiæ vel monasterii libertatem, subjectionem, limites, honorem, alienationem bonorum immobilium vel mobilium pretiosorum, concernunt, vel si constituendus sit procurator generalis et perpetuus. (V. Bouix, *De Jud.*, t. 1, p. 191).

Universitates possunt procuratorem constituere, ex cap. 7, tit. 38, lib. 1 Decretalium.

5620. Quærit. 2° Quinam possint procuratores constitui?

Resp. « Regulariter, inquit Bonifacius VIII (cap. *Non* » *indiscreti, de procurat.*, in 6°), qui non prohibetur expressè

» ad exercendum procurationis officium, idoneus debet re-
» putari. »

5621. Sed prohibentur : I. Excommunicati excommunitione majori (c. *Intelleximus* 7, lib. 2, tit. Decret.); — II. Minores 25 annis procuratores judiciales esse nequeunt (cap. *Qui generaliter* 3, *de procur.*, in 6°); — III. Infames (c. 1, causa 3, q. 7); — IV. Feminæ, ex jure romano ab Ecclesiâ admisso, furiosi et surdi-muti ex eodem jure et ex jure naturali, milites, etc. Vide ap. Bouix (*ib.* p. 192).

5622. — V. Quoad clericos sic habet Gregorius IX in Decret. cap. 3, tit. 37, lib. 1 : « Cùm sacerdotis sit offi-
» cium nulli nocere, omnibus autem velle prodesse, non-
» nisi pro seipso, vel ecclesiâ suâ, vel (si necessitas
» immineat) pro personis conjunctis aut miserabilibus,
» sibi licitum est postulare. Clericus autem, qui contra
» ecclesiam à quâ beneficium obtinet, pro extraneis ad-
» vocatus vel procurator esse præsumit, tanquam ingratus,
» potest (maximè si clericus sit ejusdem ecclesiæ) beneficio
» hujusmodi spoliari. »

In Concilio verò Lateranensi anni 1179 decretum fuerat quòd : « Clerici in subdiaconatu et supra (et in ordinibus
» quoque minoribus si stipendiis ecclesiasticis sustententur),
» coram sæculari judice advocati in negotiis sæcularibus
» fieri non præsumant, nisi propriam causam vel ecclesiæ
» suæ fuerint prosecuti, aut fortè pro miserabilibus fortè
» personis quæ proprias causas administrare non possunt »
(cap. 1, tit. 37, lib. 1 Decret.). Porrò disciplina per duas præfatas Decretales statuta, non fuit ab Ecclesiâ revocata saltem lege generali : unde adhuc viget; proinde :

1° Clerici minores sæculares regulariter esse possunt advocati coram judice ecclesiastico, non tamen pro extraneis contra ecclesiam à quâ beneficium obtinuerunt. Vide quasdam exceptiones ap. Schmalzgrueber à D. Bouix citatum (*ib.*, p. 200).

2° Iidem clerici minores si habeant beneficium ecclesiasticum, imò et probabiliter si ex ecclesiæ bonis sustententur, non possunt regulariter esse advocati coram judice sæculari in negotiis sæcularibus, nisi in casibus exceptis

à præfato capit. *Clerici* Concil. Lateran. 1179. — Nunquam autem advocari possunt contra reum in causâ criminali, si reo immineat pœna sanguinis. Cap. *Sententiam* 9, tit. 30, lib. 3 Decret. — Quod verò dicitur de officio advocati, intelligitur communiter de officio procuratoris V. Concilium Chalcedonense, can. 3, ap. Bouix (*ib.*, p. 202.)

3° Modò dicta de minoribus quoad causam sanguinis, et quòd possint esse advocati et procuratores coram judice ecclesiastico, dicenda sunt pariter de diaconis et subdiaconis, qui regulariter etiam nequeunt esse advocati aut procuratores coram judice sæculari, « nisi propriam causam vel ecclesiæ suæ fuerint prosecuti, aut pro miserabilibus fortè personis quæ proprias causas administrare non possunt. » Et idem dicendum de sacerdotibus quoad tribunalia sæcularia. Item communiter negatur sacerdotes posse esse advocatos aut procuratores etiam coram judice ecclesiastico (S. Liguor., lib. 4, n° 219) : ratio est quia cap. 3, tit. 37, lib. 1 Decret., supra relatum, dicit ipsis non *esse licitum postulare, sinè distinctione inter tribunalia civilia aut ecclesiastica*, eò quòd *sacerdotis sit officium nulli nocere, omnibus autem velle prodesse ;* plures tamen casus excipiuntur, ut videre est in eodem capite : excipitur enim casus quo defendendus esset proprius Episcopus, prout colligitur ex cap. *In nostrâ* 4, *de procuratoribus.*

3623. Non benè intelligimus cur sacerdos nequeat esse advocatus aut procurator in materiâ criminali ad tuendum innocentem, vel eum qui talis reputatur, cùm sacerdos nulli sic noceat, et è contra prosit, saltem hodie quo non viget usus accusatorem puniendi pœnâ talionis ; et congruum imò summè decens videtur, præsertim coram tribunali Episcopi, ut pro reo sacerdote procuratoris et advocati munera exerceat potiùs sacerdos quàm inferior clericus et maximè laicus (Vide Bouix, *De Judic.*, tom. 1, p. 204). — In hâc diœcesi Valentinensi soli presbyteri approbati munus advocati implere valent in Curiâ Episcopali. Vide *Mandement de Mgr Chatrousse pour l'établissement de l'officialité* (n° 55, p. 20). — Si quis autem ex presbyteris semel vel bis causas advocaret contra prohibitionem, graviter non pec-

caret. juxta S. Liguor.; secus si ex professo (lib. 4, nº 219). Idem est dicendum de religiosis (*ib.*).

5624. Ex consuetudine et indulgentiâ S. Pontificis, clerici omnes, etiam sacerdotes, obire solent munera advocationis et procurationis in Curiâ Romanâ. Vide D. Bouix (*ib.* p. 207).

5625. — VI. Regulâ generali, religiosi advocati et procuratoris munus exercere nequeunt, etiam coram judice ecclesiastico, nisi pro causis sui monasterii, modò à Prælato suo regulari ad id deputentur; Gelasius tamen Papa permittit illos ex dispensatione fieri defensores (Vide cap. *De præsentium* 20, q. 1, causa 16). Canonici regulares comprehendi debent in prohibitione, juxta cap. 2, tit. 37, lib. 1 Decret. — Prælatus autem Ordinis potest esse advocatus vel procurator, non solùm pro utilitate monasterii, sed etiam pro aliis causis ecclesiasticis, si sint graves et ad utilitatem publicam pertineant: v. g. si ageretur de electione Episcopi, nec indiget licentiâ sui conventûs ut dicto munere fungi possit. — Utrum autem religiosi advocati aut procuratores esse possint ad tuendas miserabiles personas disputant DD. Vide Bouix, *ib.*, p. 211.

Nota quòd nemo possit cogi ad suscipiendum procuratoris munus, nisi fortè in aliquâ curiâ ecclesiasticâ officium illud esset publicum. (Bouix, *ib.*, p. 193.)

5626. Quærit. 3° Quibus in causis procurator constitui possit?

Resp. In omnibus causis in quibus id non reperitur in lege expressè prohibitum: ita omnes. Excipitur autem casus ubi infligenda esset pœna corporis afflictiva, pro quâ reus deberet personaliter stare in judicio: alioquin illusoria sæpe effici posset sententia, cùm reus absens fugere posset, et talis pœna non potest in procuratorem executioni mandari. Quoad autem actorem, vide ap. Bouix (*ib.*, p. 213), ubi dicitur quòd hodie non requiratur amplius personalis ipsius præsentia.

5627. Quærit. 4° Quomodo procurator sit constituendus?

Resp. I. Etiam absens procurator constitui potest, modò consentiat: consentire verò censetur litteras procuratorias palam accipiendo, imò scienter illas recipiendo sinè pro-

testatione in contrarium Vide Clementin. *Instrumento* 1, lib. 1, tit. 10.

5628. — II. Regulariter actoris procurator mandato legitimo indiget sub pœnâ nullitatis : vide cap. *Inter nostra* 4, tit. 38, lib. 1 Decretalium.

Excipitur 1° si mandans sit præsens et sciens ; 2° si causas tractare consuevit, et secum habet instrumenta seu acta causæ; 3° si sit consors ejusdem litis (L. *Commune* 2, c. *de consortibus*, ejusdem tit.); 4° si sint personæ conjunctæ, parentes et affines usque ad 4ᵐ gradum, vel si sit maritus erga uxorem, etiam quoad bona quorum administratio penès uxorem remanet; 5° casu quo Episcopus vel Prælatus bona et jura Ecclesiæ perdit, aut servare negligit, Canonici imò et singuli clerici agere possunt super iisdem, etiam sinè mandato (Cap. *Licet* 1, *de rest. spol.*; cap. *Cùm olim* 34, *de testibus et attest.*; cap. *Si quis* 6, *de rebus eccles. non alien.*). — Hæc agi possunt quidem nisi aliud constaret de voluntate domini pro quo intervenitur, vel nisi causa talis sit ut speciale mandatum exigat. Ita Schmalzgrueber, ap. Bouix, *De Judic.*, tom. 1, p. 215.

5629. — III. Rei procurator non absolutè indiget mandato : quilibet enim ex iis qui in judicio stare valent, potest rei absentis sese procuratorem vel defensorem constituere, modò tamen satis præstet pro judicato solvendo, et cautionem det de *rato*, casu quo reus convenitur actione reali. Ita jus romanum in hoc ab Ecclesiâ admissum.

IV. Ut mandatum legitimâ formâ vestiatur, requiritur ut ponatur nomen constituentis, procuratoris constituti, actoris contra quem, judicis apud quem est agendum, qualitas causæ mandatæ, dies et annus : ita communiter. Vide formulas apud Bouix, ad calcem tomi 2, *De Judiciis*.

Falsi procuratoris exceptio, non solùm ante sententiam, verùm etiam postea objici potest, utpote quâ probatâ judicium nullum reputatur (c. 4 et 5, *de procur.* in 6°). Vide Card. Soglia (*Inst. jur. priv.*, § 207).

5630. Quærit. 5° Quænam sit procuratorum potestas?

Resp. I. Generaliter potestas procuratorum extendere se non debet ultra ea quæ eis fuerant mandata : proinde

nomino nullatenus præjudicant quæ à procuratore extra fines mandati peraguntur. Ita communiter ex jure romano et jure naturali.

II. Nulla confertur potestas per mandatum, si mandans plenam libertatem in dando mandato non habuerit. (Cap. *Accedens* 10, tit. 38, lib. 1 Decretalium.)

III. Procurator constitutus ad lites potest non solùm agere, sed etiam respondere, id est dominum defendere si à reo reconveniatur. Imò si tunc noluisset defendere, posset revocari. Ita ex jure romano ab Ecclesiâ admisso.

IV. « Qui generaliter constituitur ad negotia procurator, » agere ac experiri potest (id est agere et respondere potest » in judicio) exceptis his casibus qui mandatum exigunt » speciale. » Ita Bonifac. VIII, cap. 5, tit. 19, lib. 1, in 6°. — Attamen procurator generaliter constitutus, non censetur datus ad causas criminales agendas nisi id specialiter exprimatur, aut nisi de crimine agendum esset duntaxat civiliter. Vide ap. Bouix (*De Judic.*, tom. 1, p. 217).

5631. Casus autem qui speciale mandatum requirunt, enumerantur à Bonifac. VIII, in cap. *Qui ad agendum* 4, tit. 19, lib. 1, in 6°, ubi dicit : « Procurator... absque spe- » ciali mandato, juramentum deferre, transigere vel » pacisci non potest, nisi ei bonorum vel causæ adminis- » tratio liberè sit concessa. » Plures alii casus à Glossâ in cit. capit. adduntur.

5632. Non sufficit in dictis casibus ut mandans dicat generaliter se constituisse procuratorem ad omnes causas *quæ etiam speciale mandatum requirant;* sed debet illas exprimere. Ita idem Bonif. VIII in citatâ Decretali :

« Qui ad agendum et defendendum, *ac generaliter ad* » *omnia, etiamsi mandatum exigant speciale, constituitur pro* » *curator*, ex vi generalitatis hujusmodi ad aliquem articu- » lum in quo speciale mandatum exigitur, admitti non » debet..; sed si aliquis vel aliqui de articulis speciale man- » datum exigentibus, specificati fuissent, adjectâ clausulâ » generali (et alias causas quæ speciale mandatum exigunt), » tunc ad non expressas etiam admittitur. » Intellige qui graviores non essent casibus expressis, sed tantùm qui

essent similes vel minores. Constat ex cap. *Sedes* 15, *de Rescriptis;* et Clem. *Non potest*, *de procuratoribus*. — Vide Card. Soglia, *Inst. jur. priv.*, § 207.

5633. — V. « Licet autem à procuratore post litem contestatam possit (cùm dominus sit litis effectus) dari alius » procurator, antea tamen non potest, nisi in rem suam » sit datus, vel à domino substituendi alium... sibi fuerit » concessa potestas. » Ita cap. *Non indiscretè* 1, tit. 19, lib. 1, in 6°.

Mortuo autem procuratore, substitutus ex permissione domini, poterit, re adhuc integrâ, litem prosequi. Secus si substitutus fuerit vi facultatis procuratori à lege concessæ post litem contestatam : tunc, mortuo procuratore substituente, expirat substituti mandatum.

5634. — VI. Effectus autem procurationis sequentes sunt : « 1° Si ex judicis vel legis præcepto dominus aliquid » facere debuisset et hoc facere omisit ipsius procurator, » omissio domino imputatur et nocet, nisi tamen procu- » ratori supervenerit faciendi moralis impossibilitas. » (Bouix, *De Judic.*, t. 1, p. 219.)

Si autem procurator, non dominus, aliquid facere debuit et non fecit, et propter culpabilem omissionem puniendus sit, ipse non dominus est puniendus.

Si verò propter dictam omissionem non sit puniendus, negligentia tamen ipsius nocet domino : v. g. si omisit intra decem dies appellare, sententia nihilominus in rem judicatam transit : quia sibi dominus imputare debet si negligentem vel imperitum procuratorem elegerit.

5635. Confessio procuratoris (non autem advocati) domino præjudicat, maximè si fiat post litis contestationem : nam antea non fit ex necessitate, ac proinde habenda est ut abdicatio juris quæ fieri nequit absque speciali mandato : et idem est dicendum quoties confessio procuratoris facta fuerit sinè necessitate. (Cap. *Suborto* 21, *de sentent. et re judic.*, et cap. *Olim*, *de censibus.*)

5636. — 2° Tenetur procurator rationem mandanti reddere omnium quæ gessit eique restituere quæ ex re seu lite consecutus est. Item mandans potest exigere ut com-

pensetur omne damnum ipsi per culpam procuratoris illatum : si verò procurator dictum damnum compensare nequeat, domino conceditur restitutio in integrum · id est ei conceditur facultas de causâ judicatâ iterùm litigandi, ac si nondum fuisset judicata (Leg. *Eleganter*, ff. *de dolo*). Vide Bouix (*ib.*, p. 221).

Vicissim procurator jus habet repetendi omnes expensas quas occasione mandati bonâ fide fecit (vide cap. *Cùm pro causâ* 6, tit. 38, lib. 1 Decret.). Ad hæredes transit utraque dicta actio tum mandantis, tum procuratoris. Vide Card. Soglia (*Inst. jur. priv.*, § 207 *in fine*).

5637. Quærit. 6° Quotuplici modo cesset procuratoris officium?

Resp. Cessare 1° per revocationem, re adhuc integrâ ; si verò res non ampliùs sit integra non valet revocatio nisi ex justâ causâ fiat. Vide cap. *Quamvis* 6, *de Procurationibus*, in 6°, ubi enumerantur plures causæ justæ revocationis.

5638. Ut valida sit revocatio ex justâ causâ, requiritur insuper ut intimetur sive judici, sive parti adversæ : ita cap. 13, tit. 38, lib. 1 Decret. ubi Gregorius IX ait : « Man» dato procuratoris post litem contestatam à domino re» vocato, si *hoc, ignorante judice vel adversario, factum* » *fuerit,* judicium quod idem quasi procurator postmo» dum expertus est, ratum esse debebit. »

5639. — 2° Mutuo consensu mandantis et procuratoris, etiam re non integrâ : in hoc tamen posteriori casu, Schmalzgrueber exigit partis adversæ consensum. Vide rationes apud D. Bouix (*ib.*, p. 222).

3° Per renuntiationem procuratoris, lite nondum contestatâ : nequit enim procurator, post litis contestationem, invito mandante, sese exonerare officio, nisi ex justâ causâ, puta ob infirmitatem supervenientem, inexpectatum negotium, inimicitiam cum principali, etc.

4° Per substitutionem alterius procuratoris, quia sic prior censetur revocatus : unde huic casui applicanda sunt quæ dicta sunt supra de revocatione.

5° Definitivâ sententiâ latâ, à quâ tamen procurator

debet appellationem interponere, vel saltem dominum admonere ut ipse, si velit, appellet; sed non tenetur appellationem prosequi. Ita communiter.

6° Per mortem constituentis, re adhuc integrâ : ita lex *Inter causas*, tit. 1, lib. 17 Digest., ab Ecclesiâ in hoc admissa. Si verò res non ampliùs sit integra, perseverat quidem mandatum ex jure romano; sed jus hoc modificatum est ex cap. 4, tit. 10, lib. 1 Clem., juxta quod, etiam lite contestatâ, cessat mandatum per mortem constituentis, si constituens deputaverit *pro rebus ecclesiæ suæ* vel *beneficii sui*.

7° Expirat procuratoris potestas per ipsius obitum, nec ad ipsius hæredes transit. Ita omnes. Vide apud Bouix (*ib.*, p. 224).

8° Cessat si dominus litem per sé agere velit : cap. 8, *de Procurat.*, in 6°. Vide Devoti, tom. 3, tit. 2, § 4.

5640. Quærit. 7° Quid specialiter sit dicendum de procuratoribus communitatum et collegiorum ?

Resp. Universitatum procuratores proprio nomine vocantur *syndici*, quamvis hodie hæc appellatio soleat reservari *procuratoribus collegiorum studiorum*. Universitates agere non possunt nisi per syndicos vel per Superiorem. Vide Devoti, tom. 3, § 6.

Ut autem syndici rite constituantur, vocandi sunt omnes qui jus suffragii habent, juxta regulam juris 29, in 6° : « Quod omnes tangit, ab omnibus debet approbari. » Præsentes tamen possunt procuratorem constituere, si duæ ex tribus partibus membrorum adsint, et major pars præsentium consentiat. Ita communiter.

Electio syndici confirmari debet respectivè vel ab Abbate si de monasterio agatur, vel ab Episcopo si de Capitulo Cathedrali. Tali confirmatione non indigeret syndicus si constitueretur super bonis et juribus quæ separatim ab Abbate vel Episcopo, Capitulum possidet. Vide apud Bouix, *ibid.*, p. 225.

Sunt Ordines religiosi in quibus regula tribuit Superioribus potestatem procuratores eligendi. In hujusmodi autem Ordinibus electio non est facienda capitulariter, ut patet.

Si plures syndici à communitate constituantur, *in solidum* censentur deputati et cum plenâ potestate. Ita communiter.

Licet monasteriorum syndici à solo Abbate, sinè consensu Capituli, constitui haud possint, à solo tamen Abbate possunt revocari, quia Abbas potest, si velit, solus causas monasterii agere. Vide Bouix, *ib.*, p. 227.

Quid speciale sit Fratrum Minorum Ordini, vide apud Ferraris, v° *Syndicus*, n° 9.

5641. « Jus eligendi syndicos... monasteriorum moniaı lium jure ordinario pertinet ad Episcopum : aliquando » tamen, vigore fundationis, consuetudinis, aut constitu» tionis, ad moniales, et aliquando... etiam ad laicos.

» Quatenus hoc jus spectet ad moniales, Episcopus sinat » eas suo jure uti, servatâ sibi approbatione et remotione » ad formam Concilii Trident. (sess. 22, c. 8 et 9 *de ref.*), » et Decretorum S. Congreg.

» Syndici sive officiales monasteriorum monialium du» rare debent per triennium et non ultra (S. C. in *Oriens.*, » 30 jul. 1615). Imò si Episcopus animadverterit non esse » utiles... etiam durante triennio poterit eos removere; » sicuti S. Congr... 12 maii 1617... respondit Archiepis» copo Surrentino... Verumtamen prudenter agat et cum » causâ gravi...; sequitur quòd peccet contra justitiam, si » quis ab officio (ab alio quàm Episcopo collato) depellatur » sinè magnâ causâ. » Ita Monacelli apud Bouix, p. 228, ubi plura alia circa procuratores Universitatum inveniuntur.

ART. IV.

DE ADVOCATIS.

5642. Advocatus propriè dictus est ille qui pro altero præsente postulat, seu defensionem præstat, eique auctoritate, consilio, operâ suâ in judicio assistit. Ita Schmalzgrueber, apud Bouix (*ib.*).

« Est autem postulare, ait Gratianus (can. 2, causa 3, » q. 7), desiderium suum vel amici sui, in jure apud eum

» qui jurisdictioni præest exponere, vel alterius desiderio » resistere. » Hæc definitio Ulpiano tribuitur. (Vide Bouix, *ibidem*, p. 229.)

Præfata definitio convenit tantùm advocatis strictè sumptis : antiquitùs generaliori et diverso sensu accipiebatur, ut videre est ap. Ferraris (v° *Advocati Ecclesiarum*), et in Curiâ Romanâ etiam hodie, nomen *Advocati* designat munus meri jurisconsulti, qui propositis sibi titulis quibus se fundat procurator, respondet de *jure*. Vide Card. Luca ap. Bouix, *ib.*, p. 223, etc.

5643. Quærit. 1° Quinam valeant advocati munus implere coram judice ecclesiastico ?

Resp. Omnes quibus expressè à jure id non est prohibitum : ita communiter. Quod autem in hàc re disponit jus romanum regulariter valet etiam in foro ecclesiastico, quando nec canones nec legitima consuetudo adversantur : unde 1° nec pro se, nec pro aliis advocatiam exercere queunt minores 17 annis (Leg. 1. ff. *de Postulando*), imò quidam requirunt 25 annos : sed communior sententia dicit sufficere 17 annos (ap. Soglia, *Inst. jur. priv.*, § 207). 2° Pro se quidem, sed non pro aliis, advocati esse possunt feminæ (ex eâdem lege) ; excipitur tamen tutrix filii quæ pro ipso postulare potest (cap. *Ex parte* 67, *de appell.*) ; idem est dicendum de notatis insigni infamiâ (ex citatâ lege 1, ff. *de Postulando*), de cohortalibus seu apparitoribus aut officialibus præsidum (Lege ult. citat., *de Advocatis*) de paganis et hæreticis (*ib.* et can. *Nemo* 7, *de Pœnitent.*, dist. 1). 3° Pro se autem, pro consanguineis, affinibus, necnon pro minoribus suis et pupillis, non autem pro ullâ aliâ personâ advocati esse possunt infames minùs insignes, et id quidem ex jure Romano ab Ecclesiâ admisso, de quibus vide ap. Bouix (*ib.*, p. 236). 4° Advocati esse prohibentur à lege ecclesiasticâ excommunicati, qui etiam in jus vocati per alium respondere debent (Cap. *Decernimus* 8, *de sent. excomm.*, in 6°; et cap. 7, *de Judic.*). 5° Quibus in casibus clerici et monachi advocati officium obire valeant diximus supra (5622-5624).

5644. — 6° Judex officio advocati fungi nequit in causâ

de quâ judicare debet (Leg. *Quisquis* 6, c. *de Postulando*). 7° Notabiliter præpotentibus divitiis muneribusve aut alio titulo munus advocati obire non licet ne pars adversa opprimatur (tit. *Ne liceat Potentioribus* 14, lib. 2, *Cod. Justin.*); item litterarum et jurium imperitis (L. *Nec cæter.* 2, tit. *de Postulando*) : non tamen jure communi requiritur ut approbatus sit qui munus advocati coram tribunali ecclesiastico functurus est : secus esse posset de jure particulari. Vide Bouix (*ibidem*, p. 237).

5645. Quærit. 2° Quænam sint advocatorum obligationes ?

Resp. Ad quatuor capita referri possunt advocatorum obligationes : nempe ad scientiam competentem, ad justitiam causæ, ad fidelitatem servandam erga clientem, et ad justum pretium.

1° De scientiâ competente nulla potest esse difficultas : est enim grave peccatum in genere suo, officium advocati exercere sinè sufficienti idoneitate.

5646. — 2° Advocatus nequit sub gravi suscipere causam quam scit esse injustam ; si sciens hoc faciat, vel culpabiliter ignoret causam esse injustam, tenetur ad compensationem omnium damnorum inde consequentium : unde parti contrariæ restituere debet qui fuit causa positiva damni ; item suo clienti, si ignorabat causæ injustitiam et illum non admonuit.

Antequam ergo patrocinium causæ suscipiat advocatus, tenetur examinare ejus æquitatem et probabilitatem, eamque clienti sincerè indicare : si enim falsâ promissione vel inani spe victoriæ sumptibus involvat, tenetur ad restitutionem, uti si periculum ejus perdendæ neglexerit indicare casu quo admonitus cliens litigaturus non fuisset : in dubio tamen an cliens fuisset litigaturus, non teneretur ad restitutionem erga clientem quia melior est conditio possidentis. (Vide S. Liguor., lib. 4, n° 223.)

5647. Distinguendum est tamen inter causas civiles et causas criminales : in causis enim civilibus in utramque partem probabilibus, potest utramvis, etiam minus probabilem defendere : sed hoc controvertitur, quamvis communiùs affirmetur si de dubiis juris agatur ; si autem de

dubiis facti, communiter docetur non esse licitum advocato tueri actorem sed solum reum, quia iste possidet (S. Lig., lib. 4, n° 222; Bouix, *ibid.*, p. 239). Si causa nihil ferè habet probabilitatis, veriùs non licet clientem defendere etiam pro causâ possessionis. (S. Liguor., *ib.*, 223.)

5648. In causis verò criminalibus dubiis non licet tueri partes actoris, quia actori illicitum est tunc agere contra reum; idem dicendum de casu quo actor contra possessorem agens scit se nihil posse evincere, sed rem mansuram semper dubiam, quia tunc injustè vexatur possessor pro quo tandem judex debebit judicare. (S. Lig., *ib.*, n° 220.)

Advocatus autem in causâ criminali potest semper reum etiam sontem defendere: quia reus non tenetur subire pœnam nisi convictus; ergo potest per se vel alium eam avertere donec convincatur. (*Ibidem.*)

5649. Causam semel susceptam advocatus non debet, invito cliente, deserere. Si autem in progressu causæ iniquitatem videt, tenetur monere clientem eique suadere ut desistat, aliàs ad restitutionem damnorum obligabitur: quia cum stipendio sit conductus, tenetur ex justitiâ monere, neque ipse neque judex potest suadere compositionem cum damno partis, quippe locus compositioni esse non debet nisi quando res est dubia. (S. Liguor., *ibidem*, p. 223, *in fine.*)

5650. — 3° Peccat advocatus contra fidelitatem clienti debitam, si rationes et instrumenta clientis quem justè defendit vel secreta causæ detegat adversario, et tenetur ad restitutionem, si ob id cliens causam suam perdat, aliàs victurus. Item peccat et ad damni reparationem tenetur si causarum expeditiones cum præjudicio clientium differat, postponat, vel plures acceptet quàm expedire potest. (S. Liguor., *ib.*, n° 226.)

5651. — 4° Quoad *pretii justitiam*, generaliter dici potest quòd si taxatum sit pretium, non licet ultra accipere; si verò non sit taxatum, debet esse justum. Vide quædam alia ap. S. Liguor (lib. 4, n^is^ 224-225).

Advocatus autem tenetur gratis patrocinari in gratiam pauperum, etiam cum gravi suo incommodo (non autem

gravissimo) si pauperes sint in extremâ necessitate; si autem sint tantùm in gravi necessitate, ad idem quidem tenetur, sed sinè notabili suo incommodo; in necessitatibus tantùm communibus sufficit si advocatus hoc faciat quando habet superfluum temporis et divitiarum. (S. Lig., lib. 4, nº 221.)

Si tamen sit immatriculatus, id est in advocatorum album relatus, et judex ei præcipiat patrocinium præstare clienti qui sibi defensorem acquirere nequit, non potest recusare sinè justâ causâ, et tenetur gratis defendere si cliens non habeat unde salarium solvat, nec aliunde pro talibus advocatis de salario provisum ex ærario publico. Ita jus roman. (L. *Hunc titulum* 1, § *Ait Prætor*, ff. *de Postulando*) et sic communiter docent DD. ap. Bouix, *De Judiciis*, tom. 1, p. 240.

ART. V.

DE AUDITORIBUS, ASSESSORIBUS, FISCALI PROMOTORE ET ADVOCATO, NOTARIIS ET ACTUARIIS, NECNON CURSORIBUS SEU BAJULIS.

5652. De iis infra agemus tractando de Curiâ Episcopali (5758-5790).

CAPUT IV.

DE FORO COMPETENTE ECCLESIASTICO.

5653. Duæ quæstiones ad hoc caput reduci possunt, nempe : 1° quænam causæ ad judicem ecclesiasticum pertineant ; 2° quisnam ex judicibus ecclesiasticis competens sit quoad singulas illas causas. Sed quia jam priorem quæstionem expendimus supra (5506-5538), superest ut hic duntaxat explanemus secundam.

ART. I.

QUID ET QUOTUPLEX SIT FORUS.

5654. *Forus* seu forum ex primævâ quidem institutione

significat locum publicum ad quem res venales deferuntur, sed etiam et præsertim designat locum in quo lites et judicia exercentur (cap. *Forus*, 10, *de verb. signif.*). Forum etiam significat totum territorium in quo quisque judex habet jurisdictionem (Leg. *Pupillus* 239, ff. *de verb. signif.*): quo sensu diœcesis dicitur *Forum Episcopi*.

« Itaque, ait Pirrhing, propriè loquendo forum com-
» petens vocatur tribunal judicis cujus jurisdictioni reus
» subjicitur, sive in quo reus ab actore conveniri debet aut
» potest..: adeòque forum... importat... tum jurisdictionem
» quæ exercetur in litibus dirimendis, tum etiam locum
» seu tribunal in quo lites dirimuntur. »

5655. Competentia nihil aliud esse potest quàm ipsamet jurisdictio : quippe judex competens nullus esse potest nisi qui potestatem habet jus dicendi erga litigantes quoad materiam de quâ litigatur. Illa jurisdictio requiritur simul in personas et causam litis, nec sufficit in alterutram : sic Episcopus non potest judicare causas merè temporales, etiamsi diœcesanos suos respiciant, nec causas spirituales, ad ipsius tribunal pertinentes, si alienigenas concernant; sufficit tamen ut judex sit competens quoad reum : nam est regula generalis ab omnibus admissa tanquam certa quòd actor forum *rei* sequi debeat.

5656. Quæstio ergo : *Utrum quis sit competens*, reducitur ad istam : *An quis jurisdictionem sive ordinariam sive extraordinariam in causam talium litigantium habeat.*

Quotuplici modò pariter dividendus sit forus resolvi potest ad istam : *Quotuplici modò dividi debeat jurisdictio?* Circa quod vide quid dixerimus supra (277-288).

ART. II.

DE MODO DIGNOSCENDI AN QUIS HABEAT COMPETENTIAM.

5657. Cùm duplici modo quis possit habere competentiam, videlicet : 1° ratione extraordinariæ, et 2° ratione ordinariæ jurisdictionis, materiam hanc in duplicem paragraphum dividemus.

§ I.

De modo dignoscendi competentiam ratione extraordinariæ jurisdictionis.

5658. Examinandum est primùm quomodò fuerit acquisita extraordinaria jurisdictio, et an non suspensa aut etiam sublata fuerit. Omnis autem jurisdictio extraordinaria acquiritur vel delegatione, vel prorogatione, vel causæ connexione, vel reconventione, vel compromissione partium, vel privilegio. Tollitur verò vel suspenditur avocatione, præventione, appellatione, relatione et quibusdam aliis circumstantiis à jure determinatis intervenientibus, de quibus dicturi sumus infra.

5659.—I. Si *jurisdictio acquisita fuerit per delegationem*, ipsius extensio, sive quoad loca, sive quoad causas dijudicari potest tàm ex eo à quo dimanat, quàm ex verbis mandati : unde si concessa fuerit ab Episcopo non potest extendi extra diœcesim, ut patet. Quæ dicturi sumus in § 2, *de Judice territoriali ordinario*, debent delegato applicari.

5660.—II. Ut intelligatur competentia in casu jurisdictionis per *prorogationem* acquisitæ, plura quoad prorogationem sunt examinanda : 1° Quid sit prorogatio ? — Per eam intelligitur : *Extensio jurisdictionis judicis alioquin incompetentis ipsi facta per consensum partium, sponte eidem se subjicientium :* certum est enim jure romano partibus concedi, multis in casibus, facultatem adeundi judicem non suum, eumque competentem efficiendi : et hæc dispositio in pluribus casibus ab Ecclesiâ admittitur.

5661. Quatuor potissimum modis fieri potest prorogatio, videlicet de unâ ad aliam personam, de re ad rem, de tempore ad tempus, de loco ad locum : eorum omnium exempla vide apud Pirrhing à D. Bouix citatum (*ibid.*, p. 249, etc.).

5662. — 2° Plures requiruntur conditiones ut prorogatio valeat : requiritur enim : 1° ut is cui litigantes se subjiciunt aliquam habeat jurisdictionem : prorogatio enim supponit auctoritatem jam existentem ; 2° ut habeat

jurisdictionem ordinariam: constat ex cap. 40, tit. 29, libri 1 Decret., ubi sic decernit Gregor. IX: « Jurisdictionis prorogatio nulla noscitur exstitisse, cùm... *delegata* jurisdictio » ad alias personas nequeat prorogari » : probabiliter tamen prorogari potest jurisdictio delegata quoad universitatem causarum, quia ordinariæ æquiparatur; imò etsi quoad substantialia seu de personâ ad personam, vel de re ad rem jurisdictio delegata prorogari nequeat, potest tamen quoad accidentalia, nempe de tempore ad tempus, vel de loco ad locum, vel de minori quantitate ad majorem (Bouix, *ib.*, p. 250); 3° ut Judex habeat jurisdictionem similem, seu ejusdem generis, v. g. spiritualem, si agatur de causâ spirituali; criminalem si agatur de causis criminalibus criminaliter intentatis : in causis tamen criminalibus præjudicium inferri nequit ordinario judici competenti, qui, non obstante prorogatione factâ à litigantibus, potest de crimine inquirere, illudque punire; 4° requiritur ut partes scienter et liberâ voluntate se subjiciant : non requiritur tamen ut consensus sit expressus, sed sufficit tacitus, v. g. litis contestatione, vel appositione alicujus exceptionis dilatoriæ ante litem; non sufficeret verò comparere post citationem (Pirrhing, ap. Bouix *ib.*, p. 251) : non autem requiritur consensus Judicis ordinarii (*ib.*); 5° ut lex non prohibeat sed permittat.

5663. Fieri autem nequit prorogatio in casibus sequentibus : 1° in causis appellationis, quia natura appellationis est ut gradatim procedatur de inferiori ad superiorem : ita communiter; 2° in causis criminalibus si ex mero officio judicis procedatur, non per viam accusationis; 3° in causis Papæ reservatis aut à Papâ advocatis; 4° laici nequeunt absque consensu proprii Episcopi, judicem non suum adire et competentem eligere in causis sacramentalibus : ita unanimiter; imò communiter idem tenetur in cæteris causis ecclesiasticis, ex cap. *Nullus* 3, tit. 29, lib. 1 Decret., ubi dicitur : « Nullus Episcopus alterius parochianum » judicare præsumat : nam qui eum ordinare non potuit, » nec judicare potest; » 5° quoad autem clericos sic habet cap. *Significasti* 18, tit. 2, lib. 2 Decret. : « Significasti

» nobis, inquit Gregor. IX, quòd P. clericus, ad peti-
» tionem C... mercatoris, se tuæ jurisdictioni subjecit, si
» in termino nunc elapso, de pecuniâ mutuatâ non satis-
» fecisset eidem... : Inquisitioni tuæ... respondemus quòd
» licet privatorum consensus, qui jurisdictioni præesse
» dignoscitur, suum possit judicem constituere, clerici
» tamen in judicem non suum (nisi fortè sit persona eccle-
» siastica, et Episcopi diœcesani voluntas accedat) con-
» sentire non possunt. » Ex hâc Decretali deducitur : 1° clericos haud posse judicem non suum competentem efficere, absque consensu sui proprii Episcopi, *nisi Episcopi diœcesani voluntas accedat :* sufficit tamen consensus tacitus.—2° Etiam consentiente proprio Episcopo, competentem judicem facere nequeunt clerici, nisi ille *sit persona ecclesiastica :* coram enim judice sæculari litigare nequeunt clerici ob privilegium fori, ut constat ex cap. *Si diligenti* 12, *de foro competenti*, ubi dicitur : « Clericus non potest
» constituere sibi judicem laicum, etiamsi proprium jura-
» mentum, et adversarii consensus accedat. »

5664. Reverà judex sæcularis posset ex delegatione Episcopi cognoscere de causis clericorum merè temporalibus, quia tunc non ex vi suæ auctoritatis id ageret judex, sed ex vi potestatis ecclesiasticæ; sed nequit ipsius auctoritas prorogari voluntate litigantium ecclesiasticorum, etiam cum consensu proprii Episcopi, quia tunc judex judicat vi propriæ auctoritatis, quo certè læditur privilegium fori, nec potest Episcopus consentire ut clerici huic privilegio renuntient (Vide Pirrhing, ap. Bouix, *ib.*, p. 255).—3° Nec etiam Metropolitani jurisdictionem prorogare possunt clerici, absque consensu sui Ordinarii, ut constat ex cap. 1, *de foro compet.*, in 6°, — 4° Imò neque ipsi Ordinarii sinè licentiâ sui Metropolitani prorogare possunt jurisdictionem alieni judicis ecclesiastici, « quia, inquit Pirrhing, sicut
» Episcopus est judex ordinarius clericorum sibi subdito-
» rum, ita etiam Archiepiscopus suorum suffraganeorum » : quod est tamen intelligendum de iis negotiis in quibus Metropolitanus jurisdictionem retinuit post Concil. Trid. (ap. Bouix, *ib.*, p. 256).

5665. — 6° Sat unanimes sunt DD. in asserendo quòd religiosi exempti haud possint, in iis quæ pertinent ad jurisdictionem contentiosam, se subjicere, per viam prorogationis, jurisdictioni Ordinariorum. Controvertitur autem an idem sit dicendum quoad jurisdictionem voluntariam : communior sententia affirmat, et dicit religiosos exemptos posse recurrere ad Ordinarii jurisdictionem, sub his solùm conditionibus : 1° ut facilè Papa aut ejus Legatus adiri non possit; 2° ut Superiores Ordinis potestate necessariâ careant; 3° ut Prælatus Religionis consentiat, saltem tacitè, vel etiam aliquoties præsumptivè, v. g., si sit impeditus. (Bouix, *ib.*, p. 256.)

5666.—III. *Ex compromissione* acquiri potest quasi-jurisdictio : unde ut plenè dignoscatur quandonam judex sit competens, inquirendum est quandonam quis tanquam arbiter, de causâ cognoscere et pronuntiare legitimè potest : arbiter quidem intelligitur *persona quæ sive ex dispositione juris, sive ex conventione partium constituitur ut de causâ cognoscat et sententiam proferat.* Priores arbitri dicuntur *juris* seu *necessarii*, posteriores verò *compromissarii* seu *voluntarii.*

5667. Compromissarii sunt vel propriè dicti, qui servatis juris ordine ac formâ judicii procedere et pronuntiare debent; vel impropriè dicti, seu *arbitratores*, qui ex æquo et bono, etiam non servatâ judicii formâ, litem componere possunt.

5668. Multùm differunt arbitri compromissarii à judice propriè dicto, non solùm quoad constitutionem, sed etiam quoad potestatem, sententiæ efficaciam et executionem : major enim est potestas judicis propriè dicti : ex ipsius sententiâ actio oritur; ipse potest exequi sententiam à se latam; potestas verò arbitri est stricti juris et fines compromissi excedere non debet, ad ordinarium judicem est recurrendum ut ipsius sententia executionem accipiat (*ibidem*, p. 257 et 258).

5669. Multipliciter etiam differunt arbitri *juris à compromissariis;* priores enim compelli possunt ad hoc munus accipiendum; posteriores verò non tenentur munus implere nisi illud acceperint : in quo etiam casu excusari

possunt ob superveniens impedimentum ; arbitri juris jurisdictionem quasi-ordinariam habent, partes citare et cætera possunt facere quæ ad causæ definitionem sunt necessaria : ea verò nequeunt arbitri compromissarii. Item à sententiâ arbitri juris potest appellari, non autem à sententiâ compromissarii. (Bouix, *ib.*, p. 258.)

Casus in quibus constituendi sunt arbitri juris vide enumeratos apud Schmalzgrueber à D. Bouix relatum (*ibid.*).

5670. Quænam autem conditiones requirantur ut arbitri compromissarii competentiam habeant? Ad hoc requiritur ut arbitri sint de iis qui possunt constitui, ut compromittentes illos valeant constituere, et tandem ut causa sit de earum numero quæ arbitrio terminari possunt. Porrò :

1° Arbitri esse nequeunt : 1° pupilli, furiosi, surdi et muti, excommunicati vitandi (cap. *Si quem* 59, *de sentent. excomm.*) : probabiliùs tamen validaesset istorum sententia, licet illicita; 2° mulieres nisi ex jure, consuetudine vel privilegio jurisdictionem obtineant, quales sunt Reginæ, Ducissæ, Abbatissæ, etc. ; 3° religiosi, absque Superioris consensu ; 4° laici in causis spiritualibus, nisi Indultum Apostolicum habeant, vel assumantur conjunctim cum clericis (cap. *Per tuas* 9, *de arbitris*); 5° tandem nullus arbiter esse potest in propriâ causâ.

5671. Licet prædicti nequeant in arbitros propriè dictos assumi, non sequitur indè eos omnes prohiberi etiam esse *arbitratores*. Mulieres possunt esse arbitratrices, et juxta communiorem sententiam etiam laici arbitratores esse valent in causis spiritualibus. (Bouix, *ib.*)

5672.—2° Generaliter ad constituendum arbitrum requiritur ut quis habeat rerum suarum liberam administrationem (cap. *Cum tempore* 5, tit. 43, lib. 1 Decret.) : sic pupilli minores arbitros constituere non possunt sinè tutoris vel curatoris et judicis auctoritate, si de iis agatur de quibus disponere non valent, v. g., de suis immobilibus ; item furiosi, prodigi, mulieres in pluribus casibus, tutores, curatores, quoad res quas alienare nequeunt sinè debitis solemnitatibus ; procuratores in negotio sibi commisso, nisi ad hoc speciale mandatum habeant; religiosi sinè Præ-

lati licentiâ ; parochi vel beneficiati in præjudicium Ecclesiæ vel beneficii sui sinè consensu Episcopi. (Bouix, *ib.*)

5673. Difficultas est de Prælatis, an nempe indigeant consensu Capituli et aliis solemnitatibus ad compromittendum super rebus mobilibus pretiosis aut super immobilibus. Affirmativa sententia habetur ut probabilior à Schmalzgrueber (ap. Bouix, *ib.*, p. 261).

5674. — 3° Generaliter compromissio fieri potest quoad omnes causas pro quibus id à jure non est prohibitum : jure autem prohibetur ut per arbitros dirimantur : 1° causæ criminales si criminaliter intentantur (cap. *Causa* 9, *de in integrum rest.*); 2° causæ matrimoniales quando de matrimonii valididate agitur (*ibid.*); 3° *causæ beneficiales*, quia ex regulâ juris in 6°, « beneficium ecclesiasticum non potest licite » sinè institutione canonicâ obtineri » ; 4° causæ exemptionis (cap. *Cum tempore* 5, *de arbitris*) ; 5° causæ decisæ quæ in rem judicatam transierunt, quia compromissio de re dubiâ fieri debet (cap. *Exposita* 11, *de arbitris*) ; 6° causæ restitutionis in integrum nisi incidenter tractentur (cap. *Causa* 9, *de in integrum rest.*[1]) ; 7° causæ communitatum et omnes de quibus transigi non potest. (Schmalzgrueber, ap. Bouix, *De Judic.*, tom. 1, p. 261 et 262.)

5675. — IV. Jurisdictio (proinde competentia) acquiritur *reconventione* quæ locum habet quando reus coram judice conventus, vicissim ipse actorem coram eodem judice convenit : quod facere potest licet judex aliunde jurisdictionem in actorem non habeat, ut constat ex tit. 4, *de mutuis petitionibus*, lib. 2 Decret.

5676. — V. Item competentia acquiritur *causarum connexione* : connexæ autem dicuntur causæ quando una sinè alterâ commodè discuti et dirimi nequit, prout evenit si agatur de cohæredibus, de sociis, vel quando decisio pendet à pluribus quæstionibus.

Controvertitur quisnam, quoad hujusmodi causas, sit legitimus judex : an superior nempe, vel qui prior præoccupavit. Vide ap. D. Bouix, *ib.*, p. 263.

[1] Restitui in integrum causa dicitur quando per judicem in eum statum in quo erat antequam cœpta fuisset reducitur. V. infra (6065, etc.).

Duo excipiuntur à regulâ connexionis : 1° si actor causas connexas dividat, et deferat ad diversos judices ; reus verò ante litis contestationem, exceptionem non apponat *non dividendæ causæ;* 2° si una ex causis connexis spiritualis est, judex laicus de temporali judicans, tenetur spiritualem remittere ad judicem ecclesiasticum : ita cap. *Tuam* 3, *de ordine cognit.* Vide alia ap. Schmalzgrueber in tit. 1, lib. 2 Decret., n° 74.

5677. — VI. *Privilegio* judex potest competentiam acquirere, et vice versâ, ob obtentum privilegium, potest amittere competentiam quam aliunde habet : ad hæc dignoscenda examinandus est Indulti tenor. (Bouix, *ib.*, p. 264.)

§ II.

De modo dignoscendi competentiam ratione ordinariæ jurisdictionis.

5678. Duæ sunt classes judicum ordinariorum : *territoriales* nempe seu quorum jurisdictio limitatur intra certos territorii fines, veluti, v. g. Episcopi ; et non *territoriales* seu quorum jurisdictio nullatenus limitatur, prout sunt non solùm Papa, sed Generales Ordinum religiosorum, Congregationes romanæ, etc. De istis judicibus non multùm est difficultatis : ut enim rectè judicetur de illorum competentiâ, sufficit expendere utrum causa sit de earum specie quæ ad hujusmodi judicum jurisdictionem pertinent, et utrum causa agitetur inter personas qui talibus judicibus subjiciuntur. Quoad autem judices territoriales, major est difficultas, quæ ut luculenter explanetur in memoriam revocandæ sunt variæ species domiciliorum.

5679. Duplex præcipuè distinguitur domicilium : *originis* nempe et *habitationis :* prius est locus in quo quis est natus ; posterius in quo quis degit seu commoratur. Reus autem non est conveniendus in loco originis quatenus originis : unde de eo loco sufficiunt quæ diximus supra (1968 etc.).

Domicilium habitationis dividitur in *propriè dictum* et

impropriè dictum seu quasi-domicilium; quid per ea sit intelligendum, diximus supra (1349).

5680. Iterùm distingui potest domicilium in *verum* et *fictitium*. *Verum* est illud quòd quis verâ seu corporali præsentiâ alicubi contrahit. *Fictitium* est locus quem jus tanquam verum domicilium assignat certis personis ob specialem earum conditionem, licet de facto ibi non commorentur: sic ex fictione juris, uxor, ubicumque ipsa habitat, mariti domicilium habere censetur, et hujusmodi domicilium servat, etiam defuncto viro, quandiu in viduitate manet. Ita jus romanum (Ult. lege, *de Incolis*, Cod. Justin).

5681.—I. Ut quis habeat alicubi *domicilium propriè dictum* requiritur et sufficit quòd ibi habitare cœperit cum animo ibidem perpetuò manendi: nec requiritur ut habitatio non sit interrupta, modò revertendi animus perseveret; si verò non constet de animo ibidem perpetuò manendi, quidam dicunt sufficere habitationem decennii: sed de hoc potest esse difficultas, ut videre est apud Schmalzgrueber, à D. Bouix relatum (*De Judic.*, tom. 1, p. 272).

5682. Regulariter talis est vis domicilii propriè dicti ut inter varios judices qui, attentâ specie causæ et personarum inter quas vertitur, jurisdictionem habent, ille semper sit competens: unde quamvis competens sit judex loci in quo contractum fuit, vel patratum delictum, vel sita est res de quâ lis movetur, hoc tamen non impedit quin simul cumulativè competens etiam sit judex domicilii, modò tamen ab aliis non fuerit præventus, et hoc etiamsi reus in loco domicilii tunc non existat: potest enim citari, et si contumaciter non compareat, immissio in ejus bona fieri potest et sententia pronuntiari; et si legitimè citatus mutet domicilium, nihilominus judex qui eum prævenit, judicium potest prosequi. (Cap. *Proposuisti* 19, *de foro compet.*)

5683. Excipiuntur autem 1° uxor et vidua quæ conveniendæ sunt in loco domicilii maritalis; ubicumque existant (Lex Just. *Filii* 22, ff. *ad Munic.*, ab Ecclesiâ admissa, utpote quæ non contradicit); 2° hæres quando convenitur

ex personâ defuncti, et per defunctum incœptum jam fuerit judicium : tunc enim hæres conveniendus est in eo loco ubi defunctus fuit conventus (lex Just. *Is qui Romæ* 34, ff. *de Judic.*).

5684. — II. Circa *quasi-domicilium* controvertitur an præter casum contractûs in eo initi, vel delicti ibidem commissi, reus possit conveniri in loco quasi-domicilii. Vide rationes pro et contra, apud D. Bouix (*De Judiciis*, tom. 1, p. 276).

5685. — III. Quoad autem *domicilium fictitium*, varii casus sunt exponendi : 1° uxor, ut jam diximus, forum mariti sortitur ubicumque habitet, idque etiam defuncto marito retinet quandiu in viduitate permanserit : ita jus romanum. Hoc tamen non impedit quin eadem, si alibi commoretur cum proposito in perpetuum remanendi, ibidem etiam acquirat domicilium : quo in casu, assimilanda erit ei qui duplex habet domicilium, et ratione utriusque duplici Ordinario suberit, ita ut inter illos posset esse locus prævention.

5686. — 2° Etsi religiosus non possit habere domicilium propriè dictum, cùm non sit sui juris, nec penès ipsius arbitrium sit plus minusve alicubi habitare, attamen, fictione juris, ipsius domicilium est monasterium cui adscriptus est, et tandiu in eo perseverat quandiu voluntate Superiorum ad aliud monasterium non transfertur. Ita communiter ap. Bouix (*ibid.*, p. 278).

5687. — 3° Item militum domicilium, juxta legem Justinianam (*Municeps* 23, ff. *ad Municip.*) à jure canonico receptam, est locus in quo merent, ibique conveniri possunt.

4° Idem est dicendum de vagis qui domicilium habere censentur ubi inveniuntur, ibique forum sortiuntur etiam ratione contractuum alibi initorum et puniri possunt propter delicta alibi commissa. Ita communiter (Bouix, *ib.*, p. 278).

5688. — 5° Beneficii locus haberi debet ut domicilium clericorum beneficiatorum, etsi alibi commorentur sive ex dispensatione, sive quia beneficium residentiam non exigit : sed cum hâc distinctione, quòd si beneficium residen-

tiam exigat, possit beneficiatus apud Ordinarium loci in quo exstat beneficium, conveniri quoad omnes causas : et hoc verum est quoad singula hujusmodi beneficia, si plura talia beneficia in diversis diœcesibus ex dispensatione pontificiâ simul possident ; si verò beneficium residentiam non postulet, beneficiatus ab Episcopo loci talis beneficii dependet duntaxat quoad causas beneficium respicientes. Ita communiter (*ib.*, p. 279).

5689. — 6° Quilibet clericus (imò, in causis spiritualibus, quilibet laicus), si Romæ sit præsens, potest ibidem conveniri, quamvis ibidem domicilium aut quasi-domicilium nondum acquisiverit, nec ibi delictum patraverit, aut contractum peregerit, nec Romæ sita sit res pro quâ convenitur : illud constat ex cap. *Licet* 20, tit. 2, lib. 2 Decret., cui sequens rubrica præfigitur : « Quisque clericus » potest in Curiâ Romanâ conveniri, licet aliàs specificè » forum ibi non sortiatur ; habet tamen ex causâ jus re- » vocandi domum. » In ipsâ autem Decretali sic habet Gregorius IX : « Licet ratione delicti, seu contractûs, aut » domicilii, sive rei de quâ contra possessorem causa mo- » vetur (quibus forum regulariter quis sortitur), Episcopus » vester ap. Sedem Apostolicam conventus non fuerit : quia » tamen omnium ecclesiarum Mater est eadem et Magistra, » ritè compelli potuit ut ibi suis adversariis responderet : » nisi pro aliâ justâ et necessariâ causâ venisset, quam si » tunc allegasset, jus revocandi domum salvum fuisset » eidem. » Simile quid vigebat in Romanâ Republicâ, ut constat ex Lege *Romæ* 33, ff. *ad Municip.*

5690. Potest tamen clericus ex præfatâ Decretali, si venerit Romam *ex aliâ causâ justâ* et *necessariâ*, non quidem forum Romanum declinare, siquidem forum hujusmodi est competens, sed *causam domum revocare*, seu obtinere ut sibi liceat in suam diœcesim reverti et ibi suis adversariis coram Ordinario suo respondere.

5691. Jus præfatum non haberi debet ut revocatum à Concil. Trident. in quo dicitur (sess. 24, c. 20) : « Causæ » omnes ad forum ecclesiasticum quomodolibet pertinen- » tes, etiam beneficiales sint, in primâ instantiâ, coram

» *Ordinariis locorum duntaxat cognoscantur*, atque omnino, saltem infra biennium à die motæ litis terminentur » : quia sub vocibus *coram Ordinariis locorum*, sicut non excluduntur Ordinarii locorum originis, vel beneficii vel contractûs, vel delicti, vel rei litigiosæ, ita nec Ordinarius quem Romæ quisque habet. Vide Ferraris (v° *Forus*, n° 32).

5692. Non solùm qui Romæ degit potest ibidem conveniri, sed sunt casus in quibus præsens Romæ potest declinare cætera tribunalia, etiam proprii domicilii, et petere ut causa ad Curiam Romanam remittatur. Illud constat ex Constitutione quæ *Eugeniana* vocari solet (ab Eugenio IV), juxta quam forum Ordinarii sui declinare et causam ad Romanam Curiam trahere possunt omnes qui Romæ præsentes sunt ad *expedienda negotia*, modò ibidem per annum degerint, ut expressè restrinxit Paulus V in Bullâ *Universi agri*, § 4, n° 17. Excipitur 1° si lis mota fuisset super beneficio quod quis haberet extra Romam (Trident., sess. 24, c. 11, *de ref.*); 2° si ageretur de parochis non residentibus (ex eodem Concil., sess. 23, c. 1 *in fine*). Vide Bouix, *ib.*, p. 279-283.

5693. Non solùm Ordinarius domicilii sive veri sive ficti est competens, sed etiam competens est, juxta cap. *Licet* jam citatum (5689), Ordinarius loci in quo contractus fuit initus, vel loci in quo res controversa est sita, vel in quo delictum fuit commissum : et hoc, etiamsi quis obtinuisset privilegium nonnisi coram determinato judice respondendi, ut constat ex cap. *Volentes* 1, tit. 7, lib. 5, in 6°.

5694. Sed notandum, quoad Ordinarium loci contractûs, quod 1° Regulariter non sit competens quando reus ibidem non est præsens, nisi aliter inter contrahentes conventum fuerit (Vide Decret. *Romana* 1, tit. 2, lib. 2, in Collectaneam *Contractus* 85 in 6°), vel nisi agatur de rebus ad administrationem suæ, etiam privatæ, ut jure Romanorum pontificum à in hoc admisso constat (Leg. *Eum qui* et sequent. cap. *Ubi de ratiociniis*, etc.). Quoad autem casum in quo reus bona possidet, vide cap. *Romana* jam citatum, et quid dicat Bouix (*De Judiciis*, tom. 1, p. 286). 2° Quòd

etiam quasi-contractus comprehendantur sub præcedenti regulâ, ut DD. communiter concedunt. Difficultas est de casu peragendæ rescissionis contractûs, pro quo vide D. Bouix (*ib.*, p. 288). 3° Quòd si contrahentes convenerint ut contractus scripto fieret, locus contractus censetur ille in quo fuit scriptione perfectus : ita omnes. 4° Quòd per forum loci contractûs non extinguatur forus domicilii, et quòd tunc possit esse locus præventionis.

5695. Quoad autem Ordinarium *loci in quo sita est res controversa*, notandum 1° quòd probabiliùs reus possit in loco rei sitæ conveniri, etiamsi ibi non reperiatur : id probatur contra Barbosam ex lege *Si quis* 2, tit. 19, lib. 3, Cod. Justiniani (Ap. Bouix, *ib.*, p. 291);—2° quòd reus in loco rei sitæ conveniri nequit nisi actione reali, vel mixtâ, non verò actione merè personali : unde judex territorii in quo res est sita, non potest procedere contra personam possessoris rei, aut eum ut contumacem condemnare vel punire, cùm ipsa non sit subjecta per se ipsius jurisdictioni; sed potest contra possessorem procedere realiter, ut si citatus non compareat, actorem mittere possit in possessionem bonorum quæ in ipsius territorio sita sunt; idemque est de actione mixtâ, seu in rem scriptâ, quia talis actio non solùm personam, sed etiam rem sequitur; — 3° à foro rei sitæ non excluditur forum domicilii : in quo tamen est aliqua controversia, ut videre est ap. D. Bouix ex cap. *Sane* 3, tit. 2, lib. 2 Decret.; — 4° forum rei sitæ sortitur reus etiam quando res est mobilis, modò in loco existat permanenter non verò duntaxat per transitum. Vide Bouix (*ibid.*, p. 2, p. 294), ubi indicantur quædam exceptiones faciendæ.

5696. Quoad tandem Ordinarium loci in quo delictum commissum fuit, nota 1° excipiendos esse Episcopos quorum graviores causæ criminales Sedi Apostolicæ, leviores verò Synodo Provinciali reservantur à Conc. Trident. ob illorum eminentem dignitatem; — 2° Ordinarium loci delicti posse quidem de delicto in suo territorio commisso cognoscere et sententiam ferre, non autem de delictis alibi commissis; — 3° posse reum ab Episcopo loci delicti puniri

prout meretur, si in ejus territorio reperiatur, vel si ante egressum citatione ipsi intimatâ, præventus fuerit, quia per citationem reus factus est subjectus Ordinarii loci delicti; si verò delinquens ante citationem egressus fuerit, nequit tunc Ordinarius loci delicti in ejus personam procedere, cùm per egressum desierit esse ipsius subjectus: tunc enim ratio est habenda capit. *Ut animarum* 2, *de Constit.* in 6° ubi dicitur: « Cùm extra territorium jus dicenti » non pareatur impunè »; et Clement. *Pastoralis* 2, *de sentent.*, cujus est summarium « sententia lata contra citatum » extra citantis territorium, est nulla ipso jure. » Res aliter tamen se haberet si delinqueret quis in patriâ et ante citationem exiret, benè enim tunc posset censurari à suo Ordinario (S. Liguor., lib. 7, n° 26). Imò etiam in casu quo delinquit extra patriam, judex loci posset obtinere, variis modis ap. D. Bouix indicatis, quòd delinquens compareat, aut ad se remittatur (Vide *Prælect. S. Sulpitii*, n° 626, 3°). —4° Si Ordinarius loci delicti velit delinquentem beneficii privatione punire, id quidem potest juxta probabiliorem sententiam, si saltem delinquens fuerit ante egressum citatus, sed executio facienda erit ab Ordinario loci in quo beneficium situm est. Id probatur ex cap. *Postulasti* 14, *de foro competenti*, tit. 2, lib. 2 Decret. — 5° Probabiliùs nequit Ordinarius loci ubi delinquens existit aut deprehenditur, illum judicare aut punire, nisi sit Ordinarius domicilii aut loci delicti, quia ex nullo juris textu tale jus probari potest.

5697. — 6° A foro delicti non tollitur forus domicilii, quia, juxta canonistas, habetur ut generalis, dum alii tres sunt duntaxat particulares: unde judex loci delicti jurisdictionem solùm habet pro casu delicti in suo territorio commissi, et idem est dicendum de judice loci contractûs, et rei sitæ; at verò Ordinarius domicilii jurisdictionem habet in subditum generaliter nisi ab aliis præveniatur. Vide Bouix, *ib.*, p. 301.

De casu quo delinquens in uno loco stans, in alio patrat delictum, vel quo aliquis in uno loco vulneratus in alio decedit, etc., vide Bouix, *ib.*, p. 300.

CAPUT V.

DE PROBATIONIBUS JUDICIALIBUS.

5698. In genere probatio judicialis est *rei dubiæ seu controversæ per legitima argumenta* (seu media) *facta ostensio*. Ita veteres jurisconsulti.

Probatio dividitur in *plenam* quæ ita plenam fidem facit judici de re in judicium deductâ, ut sententiam possit ferre; et *semi-plenam*, ex quâ judex valde probabiliter veritatem de re controversâ introspicit, non tamen certam habet.

5699. Tres sunt præcipui effectus probationis plenæ: 1° juxta illam sententia est ferenda; 2° actor qui plenè probavit intentionem suam non tenetur cum juramento confirmare, sed oblatum à judice recusare potest (cap. *Sicut consuetudo* 2, *de probat.*); 3° is contra quem plenè probatum est, non admittitur ampliùs ad purgationem canonicam quia talis purgatio conceditur tantùm suspecto, non autem convicto.

5700. Effectus verò præcipui *semi-plenæ probationis* sunt: 1° dare locum juramento suppletorio; 2° liberare aliquando ab onere ulteriore probandi, illud in adversarium rejiciendo; 3° conficere *regulariter* plenam probationem si alteri semi-plenæ conjungatur. Vide cap. *Cùm causam* 13, *de prob.*; cap. *Præterea* 27, *de testibus*; et cap. fin. *de success. ab intest.*

Diximus *regulariter*, nam excipiendæ sunt: 1° causæ criminales; 2° causæ matrimoniales in quibus agitur de validitate matrimonii jam initi; 3° causæ civiles adeò arduæ, ut criminalibus æquiparentur. (Bouix, *De Judiciis*, *ibid.*, p. 305.)

5701. *Nota* 1° quòd probatio minor semi-plenâ faciat *adminiculum*, et aliis juncta, aliquando semi-plenam, imò etiam plenam efficiat.

Nota 2° quòd probatio *plusquam semi-plena* sufficiat ali-

quando ad ferendam sententiam in causis civilibus (*ibid.*).

5702. Præcipuæ autem species probationis plenæ sunt : 1° depositio duorum testium omni exceptione majorum super uno eodemque articulo ; 2° instrumentum publicum vel alia scriptura authentica eamdem vim habens ac instrumentum publicum ; 3° præsumptio juris et de jure ; 4° juramentum quod à parte litigante sibi delatum pars adversa præstat ; 5° confessio rei ; 6° evidentia facti.

5703. Præcipuæ verò species probationis semi-plenæ, sunt : 1° depositio unius testis, vel plurium singularium omni exceptione majorum [1], aut duorum quidem etiam concordantium, sed non omni exceptione majorum (supponi debet semper prævia diffamatio) ; 2° scriptura privata ; 3° comparatio litterarum quando de scripto dubitatur ; ° juramentum suppletorium ; 5° præsumptio verisimilis ; 6° fama, quæ tamen sola non sufficit, juxta Stremler, *Des Peines ecclés.*, p. 166.

5704. Quærit. Cuinam incumbat onus probandi in judicio ?

Resp. Generaliter rem in judicio assertam probare ei incumbere qui aliquid alteri nocivum affirmat, nec habet pro se præsumptionem juris : ita lex *Ei incumbit* 2, ff. *de probat.* ; et L. *Ut creditor* 1, c. *de probat.* Unde reus, licet nihil dixerit pro suâ defensione, absolvendus est, si contra ipsum nihil probetur (cap. ult. *de jurejur.* ; cap. unic. *de benef. sinè dimin. conf.*). Si tamen præsumptio actori faveret, reus negans illius assertionem, probare deberet veritatem suæ negationis. Item si ex justâ causâ judex deferret reo juramentum, iste parere teneretur et generatim reus exceptionem suam quâ aliquid affirmat probare tenetur (L. 19, ff. *de probat.*). Apud Card. Soglia, § 215.

5705. Cuinam autem incumbat probare rem in judicio negatam, hoc pendet ex naturâ propositionum negativarum : nam triplicis generis esse possunt illæ propositiones : *facti* nempe, *juris* et *qualitatis* :

1° Si propositio negans sit *qualitatis*, à negante quali-

[1] Crimen sollicitationis in confessione probari potest per testes singulares, concurrentibus tamen aliis indiciis et præsumptionibus. Vide S. Liguor., lib. 4, n° 258, et suprà (3868).

tatem probari debet, quando hæc qualitas communiter omnibus inest : v. g., si negetur aliquem esse probum, mentis compotem, etc.; si verò qualitas sit solùm accidentalis, et sit requisita ad aliquem promovendum, v. g. quòd sit doctor, hæc qualitas probanda est ab allegante :ècontra si quæstio esset de aliquo removendo ab officio ob carentiam dictæ qualitatis, à negante probandus esset defectus qualitatis hujusmodi.

5706. — 2° Si propositio negativa sit *juris* (id est si negetur aliquid fieri posse, vel de jure factum fuisse), aut id quod negatur est de genere permissorum, et à negante probandum est revera non esse aut non fuisse licitum, quia omnia licita esse præsumuntur nisi prohibita probentur : vel negatum de genere est prohibitorum, v. g., negatur aliquem jure potuisse occidi, et tunc non negans, sed affirmans assertionem suam debet probare.

5707. — 3° Major difficultas esse videtur circa propositiones negativas *facti;* sed variæ regulæ quæ à Schmalzgrueber (ap. Bouix, *ib.*, p. 308) traduntur, ad hoc reduci posse videntur, ut is debeat probare qui factum asserit, sive de facto indeterminato agatur, sive de determinato; attamen in hoc posteriori casu, negans posset probare demonstrando se non potuisse factum peragere, quia v. g., alibi erat dum factum fuit peractum; sed minimè est necessarium quòd sic à negante probetur, ut constat ex cap. *Ex tenore, de testibus;* et Lege *Optimam* 14, c. *de contrah. stipul.*

His de probationibus in genere præmissis, quædam nunc in specie sunt dicenda de præcipuis probationibus, videlicet de confessione, de testibus, de instrumentis, de præsumptionibus, de jurejurando, etc. : quæ omnia peragemus in quinque articulis.

ART. I.

DE CONFESSIONE.

5708. Juxta jurisconsultos *confessio* est omnium probationum plenior et *regina*. Dividitur 1° in *discretam* et *in-*

discretam : discreta est ea quâ exprimitur causa unde orta est obligatio : quæ sinè tali expressione fit *indiscreta* dicitur ; 2° in *simplicem* cui nulla adjicitur conditio, et *qualificatam*, si conditio vel circumstantia aliqua adjungatur, v. g. si occidisse confitearis, sed *ob necessariam defensionem ;* 3° *in judicialem* quæ fit in judicio coram judice competenti ; et *extrajudicialem* quæ fit sinè his conditionibus. Confessio autem judicialis fieri potest, vel expressè verbis, scripturâ aut signis ; vel tacitè, si ex facto eliciatur, aut si à lege fingatur intervenisse : « sic tacitè censetur » confiteri qui cum actore super delicto privato transigit ; » sic intentionem fateri censetur qui ad ejusdem positiones » cùm judex jusserit respondere detrectat. De singulis hu» jusmodi confessionibus, hæc universim tenenda sunt : » confessio discreta.... coram adversario facta, modò per » duos testes integræ fidei probetur, plenam fidem omnino » facit. Indiscreta præsente adversario probata semiplenè » probat...., adversario absente, nihil probat omninò.... » Confessio *simplex* est plena probatio ; sed *qualificata* ali» quando dividi, seu in partem rejici et in partem recipi » potest ; aliquando, vel tota recipienda est vel tota repu» dianda. » Ita Card. Soglia qui deinde illud variis exemplis explicat (*Inst. jur. priv.*, § 216), et postea addit : « Confessio... plenè probat si fiat coram judice competente, » ex certâ scientiâ et libertate, et ab eo qui ætate major » sit » (id est 25 annos habeat. Devoti, lib. 3, tit. 9, § 4) ; « at » confessio sôli confitenti nocet, non tertio... ; confessio » autem extrajudicialis, scienter et sponte facta, si præser» tim discreta sit, vim plenæ probationis obtinet. » Secus plus minusve probat, juxta varias circumstantias. De confessione vide adhuc Reiffenst., *De Judiciis*, pars 2, lib. 2, tit. 18.

ART. II.

DE TESTIBUS.

5709. Ut certum ab omnibus tenetur eos testificari posse qui à lege non prohibentur : à jure autem prohibentur :

1° furiosi; 2° impuberes, nisi agatur de causis criminalibus, in quibus tamen eorum testimonium tanquam solum indicium ad indagandam veritatem, non verò ad probandum, etiam semiplenè accipitur; idem dicendum de cæcis, nec non surdis-mutis; 3° pecuniâ corrupti; 4° infames tum infamiâ juris tum infamiâ facti: audiri tamen possunt in causis criminalibus, etsi fidem non faciant; 5° criminosi, quibus grave crimen à parte adversâ objicitur, et in judicio probatur; 6° accusati vel inquisiti de crimine gravi, quorum causa adhuc pendet; 7° perjuri; 8° excommunicati excommunicatione majori: si tamen essent tolerati non debet judex eos expellere, nisi adversa pars exceptionem opponat; 9° personæ valde pauperes et viles, ob suspicionem quòd facilè potuerint esse pecuniâ corruptæ; 10° parentes aut affines usque ad quartum gradum vel saltem usque ad tertium gradum (Card. Soglia, *ib.*, § 218): caput *Licet* 47, *de testibus*, de quarto gradu loquitur; item conjuges, necnon amici, familiares et famuli; sed excipiuntur causæ matrimoniales; item testificari possunt in gratiam parentis, domini, aut amici, et contra eos si agatur de crimine hæresis (S. Liguor., lib. 4, n° 256); 11° socii criminis: excipe crimina læsæ majestatis, hæresis, maleficii, et ea omnia quæ sinè socio non possunt perpetrari (S. Liguor., *ib.*); 12° inimici, etsi gravis non sit inimicitia (S. Lig., *ib.*): inimicorum tamen testimonium recipitur in gratiam inimici; 13° laici in criminalibus nequeunt testificari contra clericos (c. 2, q. 12): « In aliquo tamen casu, inquit S. Liguor. (*ib.*, 261) possunt » Episcopi uti laicis testibus ad probanda crimina suorum » subditorum »; 14° testes esse nequeunt patroni causarum contra suos clientes; tutores vel curatores contra pupillum vel minorem; administratores, syndici et actores respectu negotiorum ab ipsis tractatorum; 15° minores 20 annis in causâ criminali; 16° clerici et religiosi in causâ sanguinis, imò ex cap. *Quamquam*, c. 14, q. 2, clericus nequit testificari coram judice sæculari sinè licentiâ sui Superioris (S. Liguor., lib. 4, n° 261; Devoti, tom. 3, tit. 9, § 15); 17° feminæ ex jure canonico nequeunt regulariter

esse testes in causis criminalibus, nisi alia media desint ad ostendendam veritatem (Devoti, *ib.*): excipiuntur 1° crimina quæ vocantur *excepta* ut *læsæ majestatis*, hæresis, simoniæ, etc.; 2° si virorum testimonia haberi nequeant; 3° si judex ex officio procedat ad inquisitionem criminis; 4° si testificentur ad defensionem rei; 5° si civiliter agatur de crimine.— 18° Nemo potest esse testis in propriâ causâ; et sic excluduntur: qui habet causam consimilem, judex quoad causam quam judicat, vel judicavit, actor quoad causam quam agit, et similes.

5710. *Nota* quòd testes inepti, deponendo faciunt aliquod indicium, sed insufficiens et non plenum. Facilè admitti possunt quando crimen noctu aut in loco secreto commissum fuit. Imò si inepti sint principaliter ob favorem partis ut inimici, domestici, etc., si pars eos admittat, judex non valet eos repellere. (S. Liguor., lib. 4, n° 262.)

De testibus idoneis vide imprimis Reiffenst., *De Judiciis*, pars 2, lib. 2, tit. 20, n^is^ 53-205.

5711. Quærit. 1° Quot testes requirantur ad probandum? Resp. Generaliter duos requiri et sufficere modò sint omni exceptione majores (Deuter. 17, 6; Joann. 8, 17); nullaque hodie datur exceptio in hâc regulâ pro causis criminalibus: ita Bouix (*ib.*, 311); vult tamen S. Lig. (lib. 4, n° 259) quòd ad damnandum Episcopum requirantur 12 testes et plus quàm duo ad damnandum sacerdotem vel clericum: ita etiam Devoti, lib. 3, tit. 9, § 9: in confirmationem producitur cap. *Nullam* 3, causa 2, q. 5; sed Gratianus relato illo canone adjicit: « Quorum vita adeo laudabilis est, ut omnibus imitanda appareat, de quorum assertione nulla dubitatio nasci poterit, eorum testimonio duorum aut trium testium, *quilibet jure convinci et damnari poterit.* »

5712. Pro causis civilibus quidam casus excipiuntur: v. g. unus testis sufficit in causis favorabilibus, si quæratur an ecclesia sit consecrata vel an aliquis sit baptizatus (Card. Soglia, *ib.*, § 218, *in fine*); item in vitando peccato; si asserat mater sponsi existere impedimentum dirimens: sufficit ipsius testimonium ut matrimonium celebrari ne-

queat; item in rebus ad proprium officium spectantibus: unde sufficit testimonium notarii circa instrumentum à se confectum; idem dic de Episcopo quoad ea quæ pertinent ad suum munus; sufficit etiam testimonium unius ad delicta religiosorum punienda si tale sit crimen ut aliter nequeat probari, sed non est tunc puniendum pœnâ ordinariâ, sed aliquâ tantùm pœnâ arbitrio superioris; idem plures docent de culpis levibus religiosorum, non verò de gravibus. Vide alios casus ap. S. Lig. (lib. 4, 257) et præsertim Reiffenstuel (*De Judic.*, pars 2, tit. 20, n^is^ 259-381), et Bouix (*ib.*, p. 311).

5713. Quærit. 2° Quomodo recipiendæ sint depositiones testium?

Resp. I. Ex Decretali *In nomine* 2, tit. 20, lib. 2 Decret. quæ Justin. jus in hâc re quoad forum ecclesiasticum firmavit, testes recipi non debent, nisi citatâ parte adversâ: sic enim se habet dicta Decretalis: « Admonendus est » semper adversarius *ut ad audiendos testes veniat;* quod » quia hìc (in causâ de quâ agitur in Decretali) omissum » est, necesse est ut quod contra legem actum est, non » habeat firmitatem. » Excipitur 1° si periculum sit in morâ, ut quia debitor de fugâ suspectus est, vel testes in remotas partes sunt discessuri, vel sunt senes aut ægroti, et interea pars adversa interesse nequit; 2° si partes consentiant; 3° si de crimine hæreseos agatur (cap. finale *de hæreticis,* in 6°); 4° si agatur de peccato vitando, v. g., si per unius testis depositionem impediri debeat occultè matrimonium quod nullum foret, cap. *Præterea* 12, *de sponsalibus;* 5° in omnibus causis in quibus litis contestatio non est necessaria. Auctor *Prælect. S. Sulpit.* addit quòd in Galliâ ob difficultates quæ exoriri possent ex manifestatione nominum testium, sæpe non sit obligatio reum citandi ante illorum depositionem. Vide n° 644.—De his omnibus vide Reiffenst., *De Judiciis*, pars 2, lib. 2, tit. 20, n^is^ 418-431.

5714. Non obstantibus verbis supra allatæ Decretalis *In nomine*, communiter DD. asserunt quòd pars adversa non sit citanda ut audiat testium depositiones; siquidem ex

cap. *Inquisitionis* 12, *de Acquisitionibus*; et ex cap. *Venerabili* 52, *de test. et attestat.*, quæ legi *Nullum* 14 c. *de testib.* concordant, testes secretò à judice sunt examinandi : citari tamen debet pars adversa ad audiendum juramentum testium, non autem depositiones. Vide Bouix (*De Judic.*, p. 311). Sed res aliter se habet coram tribunalibus nostris civilibus, quibus se conformârunt quædam Officialitates in Galliâ, veluti nostra Valentinensis : etenim juxta art. 73 Codicis instruct. crimin., a judice informante (*juge d'instruction*) primùm testes seorsim audiuntur, absente reo; postea verò coram tribunali interrogantur quidem seorsim non audientibus cæteris testibus nondum interrogatis, sed tamen coram reo, ut iste possit respondere (art. 316, 317, 319, 320); hic autem modus non videtur contrarius Decretalibus modò citatis. Etenim Decretales *Inquisitionis* et *Venerabili* supponunt quidem audiendos esse testes secretò vel sigillatim, sed hoc, ut explicat Glossa, ut sibi invicem convenire nequeant de modo uniformi deponendi; porrò ad hoc non requiritur ut testes interrogentur in absentiâ rei, sed sufficit ut seorsim ab aliis testibus singuli interrogentur, qui modus conformior videtur Decretali *In nomine*, juxta quam adversarius ad audiendos testes venire debet. S. Liguor., lib. 4, n° 271, huic modo interrogandi sat conformis videtur : imò Devoti (tom. 3, tit. 9, § 17) dicit : « Interrogationes plerumque ab adversario » proponuntur, quo præsente, interrogandi sunt testes, » *quæ civilis et canonici juris disciplina est*, sed fori usu » jamdiu receptum est, ut clam à judice interrogentur, » ac tantùm vocetur adversarius, cùm illi sacramentum » emittunt. » Et in notâ 7ª, Devoti dicit hunc usum inductum fuisse ex malè intellectâ Constitutione Zenonis. Lex 12 Codicis, *de Testibus.*

5715. — II. Depositiones testium fieri debent voce et non scripto : judex enim certior de re efficitur magis per verba quàm per scripta, et, præsertim in criminalibus ex vultu, gestu, titubatione facilè dignoscitur ex quo animo testis loquatur. Ita communiter et probabiliùs, juxta S. Liguor., lib. 4, n° 271. Vide Card. Soglia, *Inst. jur. priv.*,

5716. Circa interrogationem testium sic habet Innoc. III, cap. 37, *de test. et attestat.* : « Eos diligenter examinare » procures, et de singulis circumstantiis prudenter in- » quirens, de causis videlicet, personis, loco, tempore, » visu, auditu, scientiâ, credulitate, famâ et certitudine » cuncta plenè conscribas. »

5717. In cap. 1 *de Testibus* dicitur : « Nullus testimo- » nium dicat, nisi jejunus. » Sed hoc in desuetudinem abiisse videtur (Vide Devoti, tom. 3, tit. 9, § 12, *not.* 1). Et Glossa dicit hoc esse de honestate, non de necessitate.

5718. A judice interrogari debent testes, nisi ex justâ causâ ad judicium venire impediantur : quia tunc ad eos mittitur qui interroget. Ita l. 15, ff. *de Jurejurando*, et cap. 8 *de Testibus*. Episcopos autem ad ferendum in judicio testimonium vocari vetuit Justinianus, Nov. 123, cap. 7 et 8. Vide Devoti, tom. 3, tit. 9, § 17, *not.* 4.

5719. Nisi causæ essent leves, depositiones testium scriptis consignari debent à notario vel saltem coram duobus testibus, ipsisque deponentibus sunt perlegendæ, ut videatur an in dictis perseverent, an verò aliquid addere, vel demere velint (ex cap. *Quoniam* 11, *de Probationibus*). Vide Lequeux, n° 1371 *in fine;* Reiffenstuel, *de Judic.*, pars 2, lib. 2, tit. 19, n° 117.

5720. — III. Omnino requiritur à testibus ut juramentum præstent. Ita cap. *Nuper* 51, *de test. et attest.*, ubi dicitur : « Respondemus quòd nullius testimonio, quan- » tumcumque religiosus existat, nisi juratus deposuerit in » alterius præjudicium debet credi. » Vide etiam cap. *Fraternitatis* 17, ejusdem tituli. Nec etiam per consuetudinem potest induci ut testibus non juratis fides habeatur in judiciis. Ita communiter ; sed potest ex consensu partium cessare hujusmodi necessitas juramenti. Vide apud Bouix (*ib.*, p. 313).

5721. Præstandum est autem juramentum à testibus in præsentiâ utriusque partis, coram judice causæ vel instantiæ, aut ejus commissario in loco judicii, nisi testes ægrotent, aut, ob legitimam causam necesse sit eos domi audire : præstari debet tactis Evangelio vel aliâ re sacrâ ;

clerici tamen sacris constituti possunt jurare tacto pectore. Vide Bouix, *De Judic.*, tom. 1, p. 313, etc.; S. Liguor., lib. 4, n° 271; Devoti, *De Judic.*, tit. 7, § 3.

Quoties jurare et quid jurare debeant testes vide dictum apud Schmalzgrueber ab eodem D. Bouix relatum (*ib.*, p. 314).

An et quid probent testes sibi vel aliis contrarii, vide explicatum apud Bouix (*ib.* p. 314-316); S. Liguor., lib. 4, n^is^ 258, 260

5722. Quærit. 3° Quænam exceptiones opponi valeant contra testes, et quid agere debeat judex quando opponuntur?

Resp. I. Opponi posse 1° quòd non sint de numero eorum qui ad testificandum sunt habiles; 2° quòd auditi sunt non præstito juramento, vel non seorsim singuli, etc. Vide alias exceptiones apud Schmalzgrueber à D. Bouix relatum (*ib.*, p. 317).

5723. — II. Exceptiones contra testes oppositæ, non impediunt *ordinariè* eorum receptionem et examen; potest enim judex differre judicium de illarum valore quia fortasse in progressu litis liquebit quòd, non obstante testium inhabilitate, posset judex ex aliis probationibus sententiam proferre: excipitur tamen 1° si defectus testis sit notorius vel statim posset probari: cap. *Ex parte* 7, *de testibus et attest.*; 2° si objiciatur illum esse capitalem inimicum ejus adversus quem testificatur (Authent. *Si testis*, cap. *de Testibus*, § *Si verò*); 3° si objiciatur testem esse excommunicatum (cap. *Pia* 2, *de Excepl.*, in 6°).

5724. Quærit. 4° Quomodo reprobandi sint testes?

Resp. Vide hoc explicatum apud Bouix (*ib.*, p. 318 et 319); sufficiat notare verba Honorii III in cap. *Licet* 49, *de test. et attest.*, ubi dicitur: « Mandamus quatenus recipiatis testes quos contra personas (antea) productorum (testium) super principali negotio partes duxerint producendos: quos si rursus pars altera vel utraque voluerit reprobare, contra eos probationes admittere procuretis, ita quòd ultra non liceat partibus ad probationem testium aspirare: ne si producendi quartos contra tertios, et sic

» deinceps, partibus licentia tribuatur, negotium diutiùs » protelari contingat. » Ergo bis et non ultra licet reprobare varios testes pro et contra allatos in eâdem causâ.

5725. Quærit. 5° An et quomodo teneatur testis aperire veritatem in judicio?

Resp. Teneri quidem testem veritatem [illegible]re in judicio, si judex legitimè interroget, et ad id [illegible] ex obedientiâ.—An autem etiam teneatur ex [illegible]tio ad restitutionem obliget? Controver[illegible]ùs et probabiliùs negatur. (S. Liguor., lib. 4, n° 270.)

5726. *Nota* quòd etsi Ecclesia soleat tantùm hortare testes ut ferant testimonium, non verò cogere, attamen si alia desit probatio unde veritas nosci potuerit, judex ecclesiasticus potest laicum per excommunicationis, clericum verò per suspensionis comminationem cogere ad deponendum : et si adhuc renuant, ferri potest sententia excommunicationis et suspensionis, cap. 1, 2, 5, 9 *de Testibus cogendis*. Vide Devoti, lib. 3, tit. 9, § 11; et Reiffenst., *De Judiciis*, pars 2, lib. 2, tit. 21, n^is 1-50.

5727. Si judex non interroget legitimè, testis non tenetur ei fateri veritatem, et potest, etiam cum juramento, juxta S. Liguor., respondere *se crimen nescire* (lib. 4, n° 265).

5728. Legitimè autem judex interrogat quando adest semi-plena probatio, si nempe sit unus testis de visu, vel auditu proprio, vel si adsint notorietas, aut infamia criminis, vel indicia evidentia, vel si accusator se offerat ad delictum pluribus testibus probandum. Aliàs, inquit idem S. Liguor. (n° 266), etiamsi plures testes adsint de aliquo crimine, nemo eorum teneretur revelare. Si verò accusator unum testem tantùm afferat, controvertitur utrum iste unicus testis teneatur veritatem manifestare; et sententia negans vocatur probabilior à S. Liguor. (*ib.*, n° 267) : ex his conclude quòd ut testis teneatur veritatem aperire, « requiritur ut infamia, vel semi-plena probatio, » vel indicia... sint jam probata, et à judice testi mani- » festentur, nisi constet judicem esse probum et asserat se » legitimè interrogare. »

5729. Etiam legitimè interrogatus testis non tenetur respondere in sequentibus casibus : 1° si rem sciat ex confessione ; 2° si accepit sub secreto naturali, nisi immineret damnum commune, vel nisi aliunde res scita fuerit ; 3° si ex testimonio sibi vel suis immineret notabile damnum, nisi tamen damnum publicum, vel privatum alienum prævaleret ; 4° si à viris non sat fide dignis accepisset : tunc enim potest se habere ac si nihil sciret ; 5° si factum didicit per injuriam aperiendo litteras, cogendo ad revelationem ; 6° si delinquens in facto non peccavit ob ignorantiam, vel aliter. Vide apud. S. Liguor. (*ibid.*, n° 268).

ART. III.

DE INSTRUMENTIS.

5730. *Instrumentum* de quo hîc agitur est scriptura ad probationem alicujus rei confecta.

Dividitur in *publicum* et *privatum* : prius est quod publicâ auctoritate factum atque firmatum est, cum debitâ formâ ; posterius, quod talibus conditionibus caret.

5731. *Publicum* duplex est : *protocolum*, quod est summaria annotatio, ex quâ postea instrumentum in solemnem formam redigitur ; et *transumptum* seu ipsummet originale instrumentum ex *protocolo* desumptum, in quo plenè et cum debitis solemnitatibus res gesta exponitur ; si fiat transcriptio *transumpti*, *copia* vocatur.

5732. Privatum subdividitur in *authenticum* et *non authenticum* : *authenticum* est scriptura, privata quidem, testium tamen suscriptione aut sigillo, eoque approbato, aut alio legitimo modo munita. Si his conditionibus scriptura careat, ut non *authentica* habetur. Quænam sint instrumenta authentica vide dictum ap. Bouix, *De Judic.*, tom. 1, p. 322.

« Scripturis publicis, ait Cardin. Soglia (*Inst. jur. priv.*, » § 219), accensentur scripturæ quæ à DD. *authenticæ*, » et etiam monumenta publica vocari solent, quæ talia » sunt, vel ex auctoritate judicis, uti acta judicialia, vel » ex sigillo authentico quo obsignantur, veluti Episcopi,

» Principis, Universitatis, vel alterius publici Corporis, aut » personæ in eminenti et publicâ auctoritate constitutæ; » hisque addi possunt etiam libri parochiales, censûs » insinuationes, acta Conciliorum et hujusmodi; vel de- » mum ex loco publico ubi custodiuntur, quales sunt » scripturæ ex publico archivio desumptæ. »

5733. Quænam requirantur ut sigillum probet, vide dictum cap. *Inter dilectos* 6, *de fide Instrum.;* et ap. Reiffenst. *De Judiciis*, pars 2, lib. 2, tit. 22, n^is^ 70-97.

5734. Instrumenta publica et etiam privata authentica plenam fidem faciunt, donec contrarium probetur.

Si scripturæ sigillatæ fuerint duntaxat à personâ privatâ, contra hanc tantummodo personam, si dictum sigillum pro suo agnoscat, probant, non verò in suî gratiam. Attamen ex consuetudine regionis certa instrumenta, quæ aliàs de jure communi *authenticorum* vim non habent, hanc vim obtinere valent. Cap. *Cùm dilectus* 9, *de fide instrum.* Vide ap. Bouix (*ibid.*, p. 322-323).

5735. « Scripturæ quæ tribus munitæ sunt testibus vim » habent publici instrumenti » (Leg. 11 Cod. *Qui potior. in pignor. habeant.*), si tamen constet de manu et subscriptione testium, sive per recognitionem, sive per comparationem, et partes ipsæ subscripserint, testesque idonei sint. Item fides tribuitur libris mercatorum, ratione publicæ utilitatis et commercii, et hoc quidem tam pro scribentibus quàm contra scribentes. Vide Devoti, t. 3, tit. 9, § 22. Vide etiam art. 12 Codicis nostri Commercii et formalitates apud nos pro casu præfato requisitas (*ibid.*, art. 8-17).

5736. Quomodo autem impugnari valeant instrumenta, quotuplici modo probari possit eorum falsitas, vide dictum apud eumdem Bouix (*ib.*, p. 323-325).

Nota quòd ratione lituræ reprobari potest instrumentum si litura fuerit in parte substantiali velut in subscriptione, datâ, etc.; si autem fuerit in parte non substantiali, nihil fidei instrumento detrahit. Card. Soglia (*Inst. jur. priv.*, § 219).

ART. IV.

DE PRÆSUMPTIONIBUS.

5737. — I. Præsumptio est conjectura ex aliquo signo vel indicio orta et probationis loco allegata, aut à judice assumpta ad astruendam rei dubiæ fidem.

Indicium autem est notabile signum alicujus delicti vel alterius rei de quâ dubitatur, ad veritatem cognoscendam inserviens. Dividitur 1° in *plenum* seu indubium, et *semiplenum* seu dubium; 2° in *proximum* et *remotum;* 3° in *leve*, *grave*, et *gravissimum* seu indubium, quæ omnia satis intelliguntur ex eorum enuntiatione.

5738. Præsumptio autem differt à fictione juris.

Fictio verò juris est indubitatæ falsitatis assumptio ad inducendum ex justâ causâ aliquem effectum æquitati naturali non repugnantem. Sic ex fictione juris *natus* censetur qui adhuc in utero existit, si de illius commodo agatur. Item religiosus *mortuus* reputatur quoad potestatem certos actus civiles exercendi. Ex quâ ratione satis patet præsumptionem à fictione juris differre. V. Bouix (*ib.*, p. 326).

5739. — II. Præsumptio potest esse *hominis* quando conjectura à nullo jure firmatur, sed concipitur ab homine ex facti qualitate et circumstantiis donec contrarium appareat. Potest etiam esse *juris* quando nempe legibus est expressa : et est quidem *juris tantùm* quando jus admittit probationem in contrarium, vel *juris et de jure* quando lex ita aliquid pro vero vult haberi ut regulariter probationem in contrarium non admittat. Sic ex præsumptione juris tantùm baptizatus æstimatur, qui inter christianos natus est atque educatus : cap. ultim. *de presbytero non baptiz.* Vide plures alias à Lequeux enumeratas n° 1272 (3ª edit.). Ex præsumptione autem *juris et de jure* mulier quæ per annum et dimidium spontaneè cohabitavit cum viro cui coapta nupserat, præsumitur in illud consensisse (cap. *Ad id* 21, *de sponsalibus*).

5740. — III. Præsumptio si sit *de jure tantùm*, eum pro

quo stat liberat ab onere probandi, idque onus transfert in adversarium.

Si verò sit *juris et de jure*, non admittit, ut jam diximus, probationem in contrarium; proinde excludit jus appellandi, itemque juramentum ejus contra quem stat, et juxta eam proferri debet sententia, attamen admitti posset probatio quòd non adsit talis præsumptio : excipi etiam debet notorietas in contrarium, vel confessio ejus pro quo stat præsumptio, vel instrumentum publicum, vel si sufficiens numerus testium in contrarium afferatur (non concordant DD. de numero tunc requisito); excipi tandem debet casus in quo consentiret is pro quo stat præsumptio ut probatio in contrarium afferretur. Vide Bouix, *De Judic.* (tom. 1, p. 327, etc.).

5741. Controvertitur inter canonistas an ex nudis præsumptionibus in causâ criminali, reus possit condemnari. Vide varias sententias circa quæstionem apud Bouix (*ib.*, p. 328, etc.), qui sententiæ neganti adhæret quoties præsumptiones non omninò probant reum verè deliquisse, et variis momentis id confirmat.

5742. Quænam tradi soleant regulæ ad præsumptionum valorem æstimandum?

Resp. Sequentes regulas à DD. tradi : 1° *Si tale sit indicium ut rarissimè contingat illud stare sinè re præsumptâ :* v. g. si testes deponant se vidisse aliquem solum cum solâ, nudum cum nudâ in eodem lecto jacentem, oritur præsumptio violenta aut etiam violentissima, de adulterio in casu.

2° *Si indicium cum re præsumptâ soleat conjungi, sed tamen identidem non conjungatur, tunc præsumptio est communis, non violenta :* v. g. qui homicidium patrat, solet ordinariè illud facere animo nocendi; sed quia homicidium aliquando accidit ex casu et imprudentiâ, præsumptio præmeditationis non est violenta seu vehemens.

3° *Qualis res erat, si talis manere possit, præsumitur adhuc talis esse et talis mansura, nisi probetur mutatio :* v. g. termini confinium ibi præsumuntur esse ubi erant antea nisi mutati probentur.

4° *Qualitas quæ naturaliter inest homini, semper adesse præsumitur, donec contrarium probetur*, v. g., quòd quis sit suî compos, vel quòd clericus sit aptus ad beneficium nihil extraordinarium requirens; si autem aliquod extraordinarium requireret beneficium, v. g. quòd sit doctor, hæc qualitas esset probanda.

5° *Facta de quibus dubium, ex quo animo facta sint, in meliorem partem interpretari debemus* (Cap. 2, tit. 41, lib. 5 Decretal.). Item in dubio de valore matrimonii, pro ipsius valore standum est, si contrarium non probetur. Item quæ facta dicuntur rectè facta præsumi debent nisi contrarium probetur.

6° *Quilibet præsumitur bonus, nisi probetur malus;* sunt tamen exceptiones in casu quo præsumptio bonitatis vergeret in præjudicium tertii. Vide apud D. Bouix (*ib.*, p. 330-332).

ART. V.

DE JUREJURANDO.

5743. « Omnis controversiæ finis », ait S. Paulus (ad Hebr., c. 6, v. 16), » ad confirmationem est juramentum. » Licitum est ergo aliquando adhibere juramentum, et meritò damnatæ fuêre sequentes propositiones : nempe hæc Wiclefi à Concil. Const. (sess. 8, art. 43) : « Juramenta » illicita sunt quæ fiunt ad roborandos humanos contractus » et commercia civilia. » Et propositio 101 Quesnellii in Constit. *Unigenitus* : « Nihil spiritui Dei, et doctrinæ J.-C. » magis opponi arbitratur, quàm communia facere jura- » menta in Ecclesiâ, quia hoc est multiplicare occasiones » pejerandi, laqueos tendere infirmis et idiotis et efficere » ut nomen et veritas Dei aliquando deserviat in concilio » impiorum. » Hæc ideò Quesnellius protulit ut vituperaret formulam juramenti ab Alexandro VII præscripti ut Jansenismus abjuraretur. Vide Devoti (tom. 4, tit. 12, § 1, *not.* 1).

5744. Juramentum est *invocatio Dei in testimonium de veritate rei quæ asseritur.*

Duplex est : *assertorium* quo veritas rei assertæ attestatur, et *promissorium* quo fidelitas in adimplendâ re promissâ, spondetur : de priori hîc solum agitur, quod iterum duplex est :

5745. Juramentum litis *decidendæ* quod præstatur à parte litigante ad finiendum litem ; *et in litem æstimandam* quo rei alicujus, de quâ litigatur, æstimatio fit cum juramento.

Juramentum *litis decidendæ est vel necessarium,* quod ex judicis auctoritate præstandum injungitur, vel *voluntarium* quod ex liberâ partium voluntate, judice approbante, præstatur.

5746. Juramentum *litis decidendæ* subdividitur etiam in *judiciale* et *extrajudiciale :* istud posterius locum habet extra judicium, unicèque nititur conventione partium, ac rem componit per modum transactionis; juxta autem communiorem sententiam juramentum illud, etiam detecto postea perjurio, rescindi nequit à judicibus. Vide Card. Soglia, *Inst. jur. priv.*, § 221; et Bouix, *ib.*, p. 334.—Quæ dicuntur tamen in decursu præsentis articuli, ad juramentum judiciale solùm respiciunt.

5747. Regulæ juramenti *voluntarii* sunt istæ :

1° Locum habet quando, judice approbante, pars in judicio alteri parti defert juramentum eâ lege ut si jurare ausit, absque ulteriori processu, victoriam obtineat : tale autem juramentum ab unâ parte cum assensu judicis delatum, nequit ab alterâ parte recusari, nisi malit illud deferenti referre.

Controvertitur an actor, qui nihil adhuc probavit, possit reo juramentum deferre.

2° Si is cui juramentum defertur, absque justâ causâ, jurare recuset, vel juramentum alteri deferre, tanquam convictus condemnandus est ; causæ autem justæ juramentum recusandi essent, v. g. si judex non esset competens; si is cui defertur, plenum suum jus probasset, etc.: cap. *Sicut* 2, *de probationibus.*

3° Juramentum voluntarium judiciale vim plenæ probationis habet, et secundùm illud sententia ferri debet, nec ab eo potest appellari. (Bouix, *ib.*, p. 324, etc.)

5748. Regulæ autem *juramenti necessarii* sunt sequentes:

1° Locum habet quando judex, causâ cognitâ, ob defectum plenæ probationis uni ex litigantibus juramentum defert.

2° Potest deferri sive *reo* sive *actori* prout judex æquiùs æstimat, modò sint fide digni et tales qui testimonium ferre possint (nonnulli tamen contradicunt). Vide Reiffenstuel, *De Judic.*, pars 2, lib. 2, tit. 24, n^is^ 180, etc.

3° Quomodo judex possit discernere cuinam æquiùs juramentum sit deferendum, vide explicatum à Schmalzgrueber ap. Bouix (*ib.*, p. 335).

5749. — 4° In quibusvis causis judex potest deferre juramentum, nisi specialiter à jure excipiantur : excipiuntur autem 1° *causæ criminales* criminaliter intentatæ, in quibus juramentum potest quidem *reo* ad suî purgationem deferri ex cap. ult. *de jurejurando*; sed *actori*, licet semi-plenè probaverit, deferri nequit, quia in criminalibus probationes contra reum debent esse *plenissimæ et luce meridianâ clariores* (Leg. ult. *De Probat.*), et tales non habentur quæ ex juramento actoris complentur; 2° *causæ famosæ*, id est quæ famam in discrimen adducunt : prout sunt causæ furti, injuriarum, usurarum, etc.: potest quidem in eis juramentum purgationis reo deferri; sed non potest actori deferri suppletorium : imò à reo non potest ad *actorem* referri; 3° *causæ civiles* valde arduæ quæ causis criminalibus æquiparentur; 4° *causæ matrimoniales*, si agatur de matrimonio dissolvendo vel sustinendo : si autem agatur de matrimonio contrahendo, posset, juxta Schmalzgrueber, deferri juramentum suppletorium ei qui semi-plenè probavit non existere impedimentum, si sit vir integritate conspicuus. Vide apud Bouix, *ib.*, p. 337.

5750. — 5° Effectus juramenti à judice delati sunt : 1° purgationis rei qui illud præstavit; 2° semel delato à judice, necessitas incumbit illud præstandi, ita ut recusans causâ cadat; 3° semel delato, judex nequit permittere ut non præstetur (Lex *In bonæ* 3, c. *de reb. credit.*); 4° semel præstito, probatio fit integra, et pro eo qui juravit sententia est ferenda. Ob nova tamen reperta documenta, res-

cindi potest etiam ab eodem judice, et elapso ad appellandum termino (Lex *Admonendi* 31, ff. *De Jurejur.*). Vide Bouix (*ib.*, p. 338).

Plures alias quæstiones de judiciis in genere rejicimus ad sectionem sequentem, ne bis eadem cogamur postea repetere.

SECTIO SECUNDA.

DE JUDICIIS ECCLESIASTICIS IN SPECIE.

5751. Disseremus in hâc secundâ sectione, et in quinque capitibus : de Curiâ Episcopali, Metropolitanâ et Primatiali : de processu criminali, sive ordinario sive extraordinario; de processu civili ecclesiastico. De Curiâ autem Romanâ sufficienter diximus in primo libro, (710-801).

CAPUT I.

DE CURIA EPISCOPALI.

5752. Per Curiam Episcopalem, prout hîc sumitur et quatenus distinguitur ab Aulâ Episcopali, intelligitur *collectio personarum penès quam residet rei judiciariæ administrandæ potestas.*

Per *Aulam* autem intelligitur earum personarum collectio quæ cum Principe jurisdictionem etiam voluntariam exercent, vel saltem cum eo ad præstandum ei honorem et obsequium versantur, quæ personæ vocantur *aulici*. Vox autem *curia* à voce *curare* derivat : quia dictæ personæ res judiciarias curant.

5753. Prioribus quinque sæculis Episcopi judicium non exercebant absque præsentiâ suorum clericorum, ut constat canone 22 Concil. Carth. IV, eorumque vice justitiam reddebant Archidiaconi, ut videre est in Epist. S. Leonis *ad Anatolium*; et hoc quidem, primùm ex potestate delegatâ

et revocabili, sed deinde ac saltem post annum millesimum, potestate ordinariâ et non revocabili, quamvis nomine ac auctoritate Episcopi. Vide supra dicta (1190, etc.); et Thomass. apud D. Bouix (*De Judic.*, t. 1, p. 346).

5754. Cùm autem jurisdictio Archidiaconorum lapsu temporis ultrà debitos limites excrevisset et oneri potiusquam adjutorio Episcopis facta fuisset, cœperunt Episcopi, post annum Christi millesimum, accersere sibi Vicarios Generales seu Officiales quos ad nutum possent exauctorare, et simul Archidiaconos spoliare incœperunt latissimâ illâ potestate quâ tunc potiebantur. Ex quo tandem evenit ut ferè ad nihilum redacta fuerit Archidiaconorum potestas, prout supra diximus (1190, etc.).

Præfata autem mutatio paulatim peracta, decimo tertio sæculo tandem ubique completa fuit, et cùm hoc contigit post evulgationem libri Decretalium, ideo in ipsis nulla fit mentio de Vicariis Generalibus. Vide dicta supra (1136).

5755. Institutio autem Vicariorum Generalium seu Officialium non impedit quominus Episcopi valeant per semetipsos, si maluerint, exercere potestatem judicandi. Vide dicta supra (1154, etc.).

5756. In Gallià aliisque paucis regionibus, Vicarius Generalis qui exercendæ jurisdictioni contentiosæ addicebatur, solo Officialis nomine nuncupabatur; imò illi Officiales perpetuitatem ambientes, à Decretis Episcoporum illos revocantium ad sæcularem potestatem appellare non erubuerunt, ac etiam à Parlamentis obtinuêre ut officium à quo dejecti fuerunt, retinerent; sed tandem, 13 octobr. 1637, à Ludovico XIII Episcopi Decretum impetrârunt quo ipsis integra remaneret facultas suos Officiales abdicandi pro suo arbitrio. Vide apud Bouix (*ib.*, p. 348).

5757. Officialium autem attributiones in Gallià et modus explendi eorum officii, non tàm jure ecclesiastico quàm sæcularis potestatis decretis determinabantur: unde meritò dubitari potest an legitima fuerit hujusmodi legislatio, et revera certè illegitima fuit nisi à S. Sede aliquo modo fuerit approbata. Sed quidquid sit sentiendum de eo, cùm

hodiè hæc legislatio fuerit revocata, ad jus commune feliciter reducti sumus.

A nobis hîc est disserendum de variis ministris Curiæ Episcopalis; sed cùm jam satis diximus de Officialibus seu Vicariis Generalibus (1120-1189), superest ut tantùm loquamur de Auditoribus et Assessoribus Curiarum Episcopalium, de Promotore et Advocato fisci, de notariis et cancellariis, de Procuratore et Advocato pauperum, de cursoribus et quibusdam aliis.

ART. I.

DE AUDITORIBUS CURIARUM EPISCOPALIUM.

5758. Duplicis generis sunt *Auditores :* alii quidem sunt veri et propriè dicti judices, et tales sunt *Auditor Cameræ Apostolicæ*, et *Auditores Rotæ ;* et hi non sunt *Auditores* nisi improprio sensu. Auditores autem Archiepiscopalium et Episcopalium Curiarum, qui in stricto sensu Auditores sunt, essentialiter differunt à judicibus ordinariis, ipsisque vel tota causa, vel certus causæ articulus examinandus committitur, eo fine, ut post diligens examen, totum negotium judici exponant, decidendum ab illo relinquentes. Auditores hujusmodi jus quidem habent rem cognoscere, ita ut partes citare, testes et probationes admittere possint, sed jus non habent sententiam ferendi, nisi hoc ipsis fuerit specialiter concessum : unde referendariis qui in majoribus tribunalibus principum adhibentur, consimiles esse videntur.

5759. Nullibi in jure sancitur quòd Episcopi et Archiepiscopi debeant sibi tales Auditores adjungere : penes eorum arbitrium et prudentiam ea res tota relinquitur.

Sunt tamen casus in quibus opportunum videtur ut Episcopi Officiali suo adjungant Auditorem; si nempe tanta sit negotiorum copia ut Vicarius Generalis nequeat sat celeriter expedire, vel si iste non esset sat peritus in jure canonico.

5760. Clarè autem in deputationis eorum instrumento debet exprimi ipsis conferri jurisdictionem ad *proceden-*

lum in causis, vel causarum articulis eis commissis, non tamen ad easdem causas sententialiter dirimendas.

Merè delegata, non verò ordinaria est jurisdictio Auditorum.

5761. An autem ab ipsorum actibus possit appellari, negativè est respondendum, si se contineant intra fines mandati meri Auditoris, et non sint meritò partibus suspecti. Vide apud D. Bouix (*De Judic.*, tom. 1, p. 461).

Disputatur an laicus vel clericus conjugatus possit deputari tanquam Auditor. Vide Bouix (*ib.*, p. 462, etc.).

ART. II.

DE ASSESSORIBUS OFFICIALIUM.

5762.—1° Assessores, ab *assidendo* dicti, sunt illi qui in eum finem assumuntur ut judici assideant, eumque suo consilio in judicando adjuvent; ideoque etiam *consiliarii* vocantur.

5763.—2° De jure communi Assessores ecclesiastici nullam habent jurisdictionem; ipsorumque partes sunt duntaxat præbere judici consilia, quibus iste necessariò non tenetur deferre; jure tamen particulari res aliter ordinari possunt, certòque valet Episcopus etiam Vicario suo Generali injungere ut Assessorum consilium sequatur, sed si illi generaliter in omnibus causis hanc conditionem imponeret, è gradu suo eum dejiceret et ad meri delegati munus redigeret, ut supra diximus (1121). Posset autem Episcopus quoad unam vel alteram causarum speciem (v. g. quoad criminales causas) præfatam necessitatem consensûs Assessorum statuere: quia hoc non impedit quominus Vicarius Generalis universalem jurisdictionem adhuc retineat moraliter loquendo.

5764.—3° In mentem sibi ingesserunt nuper presbyteri sat numerosi in Galliâ, Officialitatem seu tribunal Episcopi componi posse, imò et debere judicibus perpetuis et nequaquam ad nutum revocabilibus: sed in hoc est apertus error. Nullibi enim in jure decernitur quòd judices ab Episcopis sint in perpetuum constituendi, nec se nec Suc-

cessores suos ita possunt ligare Episcopi ut ampliùs non valeant ad nutum revocare quos semel instituerunt.

5765. — 4° Cæterùm regulariter et nisi obstet contraria consuetudo vel Superioris prohibitio, ad quemlibet judicem pertinet sibi consiliarios et Assessores assumere, imò et laici possunt eligi, modò illis non tribuatur spiritualis jurisdictio. Ita communiter. Recusari autem possunt Assessores tanquam suspecti, nec requiritur ut sint in jure canonico laureati. Vide Bouix (*De Judic.*, tom. 1, p. 468 et 469).

5766. — 5° Assessoris officium est ut invigilet ad veritatem indagandam, et quid juris sit judicem moneat. « Hinc » fit, inquit Pellegrinus (apud Bouix, *ib.*, p. 466), quòd » postquam judex illum elegerit, et ipse acceptaverit, te» netur de injustitiâ judicis, nisi protestationem in actis » fecerit. » Item diligenter debet considerare edicta et alia quæ à judice promulgantur, an juridica fuerint, et si contra vel præter jus esse cognoverit, cavere debet ne publicentur, etc. (*ibid.*).

ART. III.

DE PROMOTORE ET ADVOCATO FISCALI.

5767. — I. Per *Fiscum* hìc intelliguntur res et jura publicum Ecclesiæ bonum et interesse respicientia : cui autem incumbit munus hujusmodi fisci jura tuendi aut promovendi, vocatur *Promotor fiscalis* seu *Procurator fiscalis*, vel etiam simpliciter *fiscalis* et quandoque *Promotor*. Unde rectè definiri potest : *legitimè constitutus ut jura fisci ecclesiastici tueatur* et ejus *loco in judicio agat et respondeat.*

5768. Quærit. 1° A quo et quomodo Promotor Fiscalis sit constituendus?

Resp. Certè constitui posse ab Episcopo, et qui sic constitutus est cum salario non potest à Vicario Generali removeri. An autem casu quo nullus Promotor fuit ab Episcopo institutus, vel quo impediri contingit illum qui ex deputatione Episcopi hoc officio fungitur, possit Vicarius Generalis aut judex ab Episcopo delegatus Promotorem depu-

tare? —D. Bouix (*ibid.*, p. 472) respondit affirmativè, quia ad judicem pertinet regulariter providere de procuratore ei qui indiget nec valet per seipsum defendere, qualis est Fiscus in factâ hypothesi. Promotor autem per judicem assumptus potest ad nutum removeri.

5769. Promotor fiscalis debet jurare in principio officii de benè administrando : ita præscribit jus romanum, et cùm nihil adversetur in jure canonico, præscriptum etiam censeri debet in Ecclesiâ (Bouix, *ibid.*, p. 473). Ipsi debetur salarium ab Episcopo (*ib.*, 475).

5770. Quærit. 2° Quodnam sit proprium Fiscalis Promotoris officium?

Respondeo cum D. Bouix (*ib.*, p. 474) : « Ad ipsius offi» cium præcipuè pertinet publicam criminum vindictam » coram Tribunali ecclesiastico persequi. Ex quo satis » patet quanti momenti sit commissum ipsi munus : in quo » certè explendo, si negligenter sese gesserit, atque ex » ejus culpâ per diœcesim atque in clero liberè grassentur » vitia et scandala, ipsi coram supremo judice Christo im» putabitur collapsæ disciplinæ, conculcatarum ecclesias» ticarum legum et perditarum inde animarum ruina. Eli» gendus ergo est ad id officium, non pavidi sed fortis » animi vir et in jure peritus, qui non timeat iniquorum » invidiam sibi concitare, sed potiùs iniquitatem zelo et » integritate suâ terreat. At præter dictam criminum vin» dictam publicam, ipsius etiam officii est in judicio agere » et respondere in causis quæ bona temporalia, prærogativas et alia jura fisci ecclesiastici respiciunt. »

5771. Quærit. 3° An necessariò Promotor fiscalis sit in Curiâ Episcopali constituendus?

Resp. 1° Plurima orirentur incommoda si in quâlibet Curiâ Episcopali non constitutus esset Fiscalis Promotor : siquidem servari non possent consuetæ in causis criminalibus dijudicandis formalitates, quæ licet possint aliquando omitti, regulariter tamen sunt observandæ : in jure autem romano præscribitur ut in criminalibus citetur Promotor in omnibus actis quæ fiunt contra reum, sub pœnâ nullitatis

sententiæ contra eum latæ (Lege 1 Codicis, *de sent. adversus Fisc. lat.*).

In judiciis tamen extrajudicialiter prolatis, minimè est necesse ut Promotor interveniat. (Bouix, *De Judic.*, tom. 1, p. 475.)

Non solùm in curiâ Episcopali, Archiepiscopali, Primatiali, vel Patriarchali debet esse Promotor, sed etiam in Concilio Provinciali et in aliis curiis ecclesiasticis. (Bouix, *ib.*, p. 476.)

5772. — II. Ob nimiam causarum multitudinem potest Promotor Fiscalis sibi in auxilium advocare patronum seu advocatum qui ex hoc *Advocatus fiscalis* dicitur. Ab Episcopo autem pendet ut pro arbitrio Promotor Fiscalis liberè possit illum sumere, vel duntaxat seligere inter certas personas ab ipso pro hoc officio approbatas.

ART. IV.

DE NOTARIIS, ACTUARIIS ET CANCELLARIIS.

5773. — I. Vox *notarius* à *notis* seu abbreviato scribendi modo venit. *Notarii* dicebantur etiam *tabelliones* quia annotationes olim in tabulas referebant. Nomen autem *actuarius* derivatur ab *actis* quæ ab ipsis erant notanda. Vox tandem *Cancellarius* venit à cancellis quibus circumdabatur is qui justitiam reddebat, vel acta publica servabat.

5774. Juxta rem notarius est persona ab auctoritate publicâ constituta ut actus ab ipsâ conscripti fidem faciant.

5775. Passim pro synonymis habentur voces *notarii*, *actuarii* et *cancellarii*. Abstrahendo tamen à particularibus locorum consuetudinibus, aliqua videtur esse inter has voces differentia : nam *actuarii* vocabulo non solùm intelligitur qui potest acta conficere quæ fidem publicam faciant, sed insuper qui de facto deputatus fuit ad conscribenda ejusmodi acta in aliquâ curiâ aut cancellariâ. Qui autem fuit duntaxat creatus notarius, sed nondum deputatur ad exercendum hoc munus in aliquâ curiâ vel cancellariâ servat nomen *notarii*. *Cancellarius* autem est ille qui fuit deputatus ad conscribenda acta in cancellariâ.

Unde actuarius et cancellarius sunt simul etiam notarii, sed non vice versâ.

Aliud etiam est discrimen in eo quòd notarius constituatur ad fidem faciendam quoad quælibet acta, dum actuarii et cancellarii deputantur solùm ad faciendam fidem quoad acta curiæ vel cancellariæ cui addicuntur. (Bouix, *ib.*, p. 481.)

5776. — II. Notarii alii sunt fori ecclesiastici, alii fori laici, alii fori mixti.

Ecclesiastici dividuntur in Notarios Apostolicos seu à Sede Apostolicâ creatos; et notarios cæterorum Ordinariorum. Apostolici autem sunt vel simpliciter *Notarii* vel *Protonotarii*: de istis specialiter locuti sumus supra (818); cæteræ denominationes satis intelliguntur.

5777. — III. Certum est officium notarii prohiberi, jure communi, clericis in sacris constitutis et religiosis; idque constat Decretali *Sicut* 8, tit. 50, libr. 1 Decret.; et probabilius hoc intelligendum est etiam de clericis minoribus, licet beneficiis careant (cap. *Ut officium* 11, tit. 2, lib. 5, in 6°). Prohibitio hæc etiam curias et causas ecclesiasticas respicit, si tamen excipiantur causæ fidei (ex eod. cap.) et clerici qui à Sede Apostolicâ notarii creati fuêre.

5778. Sed ex consuetudine generali à longo tempore jam vigente, nunc licet clericis etiam in sacris constitutis hoc officium implere, pro actibus auctoritatis ecclesiasticæ, non verò in curiis sæcularibus : vide id probatum à D. Bouix contra Fagnanum (*ib.*, p. 488-497) : et revera non solùm in Galliâ, Sabaudiâ, sed etiam in plerisque mundi catholici regionibus Episcoporum cancellarii sunt clerici, imò et sacerdotes.

5779. Quærit. 1° A quo creandi sint notarii, actuarii et cancellarii ?

Resp. 1° A solo Supremo Principe proprio jure creandos esse videri : « Quia, inquit Pirrhing (ap. Bouix, *ibidem*, » p. 497), solus Princeps Supremus potest quidpiam à jure » communi omnium exorbitans veluti dispensando con- » stituere...: id autem valde exorbitans est à communi jure

» gentium, ut unius hominis scripturæ..... plena fides » habeatur... »

2° Vi tamen consuetudinis, notarii, etc., ab Episcopis possunt creari, ut unaniminter tenent DD. ; et in hoc adest consensus saltem tacitus Principis, videlicet S. Pontificis. Frustra objiceretur quòd in Concilio Viennensi, tanquam privilegium à Clemente V pluribus Archiepiscopis ejusdem Concilii fuerit concessum ad officium tabellionatûs duas personas quas idoneas reperissent promovere : nam in hoc casu agebatur de tabellionibus creandis ex auctoritate S. Sedis et qui ubique hoc officium exercere valerent. Ex hoc facto ergo nequit concludi quòd Episcopi indigeant Indulto Pontificio ad creandos notarios pro suis solis diœcesibus.

5780. Autumavit Felinus creationem notarii pertinere ad voluntariam jurisdictionem, ac proinde posse notarium ab Episcopo extra suam diœcesim existente, creari quoad suam diœcesim ; negant tamen plures alii apud eumdem Bouix (*ib.*, p. 498), allegantes jus romanum et can. *Omnes Basilicæ*, 16, q. 7. Unde tutè non ageret Episcopus qui vellet Felini opinionem in praxim deducere.

5781. « Generales et Provinciales Religionûm creare pos- » sunt notarios intra suum Ordinem, pro causis crimina- » libus religiosorum, ita ut illis tanta fides adhibeatur » quanta notario sæculari. » (Ferraris, v° *Notarius*, n° 21.)

Insuper S. Pius V Superioribus Ordinis Prædicatorum, ac proinde Superioribus aliorum Ordinum in privilegiis cum ipsis participantium, ut in unàquàque provinciâ possint plures sui Ordinis fratres constituere notarios publicos, pro intimandis mandatis et rescriptis Apostolicis, faciendis instrumentis et authenticandis transumptis publicam vel privatam dicti Ordinis utilitatem concernentibus. (Ferraris, *ibidem.*)

5782. Quærit. 2° An notarii laici possint validè officium suum implere in causis spiritualibus et ecclesiasticis ?

Resp. Vel illi laici ab ecclesiasticâ auctoritate pro causis spiritualibus constituti aut saltem admissi sunt, vel duntaxat à potestate civili sunt constituti ; si priùs, nulla po-

test esse difficultas, cùm laici ab Ecclesiâ possint constitui notarii; si posteriùs, in rigore quidem juris, notarius à solâ potestate sæculari creatus non posset validè suo munere fungi in causis et negotiis ecclesiasticis, quia ad sæcularem potestatem pertinere nequit ut, quoad negotia Ecclesiæ, pro authenticis haberi debeant instrumenta ab uno tantùm confecta, sed ob receptam saltem consuetudinem tales notarii validè notariatum exercent pro foro ecclesiastico quandiu ab Episcopo prohibiti non sunt. Illud constat ex Concilio Trident. (sess. 22, cap. 10) ubi dicitur : « Cùm ex notariorum imperitiâ plurima damna et multarum occasio litium oriatur, possit Episcopus quos- » cumque notarios, etiamsi Apostolicâ, *Imperiali*, *aut* » *Regiâ auctoritate creati* fuerint... examinatione adhibitâ, » eorum sufficientiam scrutari, illisque non idoneis re- » pertis aut quomodocumque in officio delinquentibus, » officii ejus, *in negotiis, litibus et causis ecclesiasticis ac* » *spiritualibus*, exercendi usum perpetuò aut ad tempus » prohibere. » Ergo ex Concil. Trident., etiam notarii *Imperiali vel Regiâ auctoritate* constituti, etc. Excipiuntur tamen, post novissima Decreta Urbani VIII, causæ canonizationum pro quibus omninò requiruntur notarii *auctoritate Apostolicâ creati.*

5783. Nec etiam videntur posse admitti notarii laici prout hodie in Gallià constituuntur, qui possunt esse hæretici, increduli ac judæi : talibus enim notariis Ecclesia censeri nequit voluisse servare privilegium olim concessum. Si ergo his uti voluerit judex ecclesiasticus, tutiùs aget si priùs curet ut auctoritate Episcopali notarii ecclesiastici efficiantur. Vide Bouix (*De Judic.*, tom. 1, p. 505).

5784. Quærit. 3° Ubinam à notario conficienda sint instrumenta ut sint valida, et validè confecta ubinam fidem faciant?

Resp. Ad 1^um^ vel agitur de notariis à Papâ, vel de notariis à Prælatis inferioribus constitutis; si priùs, regulariter ubique terrarum instrumenta validè conficere possunt quoad forum ecclesiasticum : assertio est extra omnem controversiam. Diximus *regulariter*, quia ex Concilio su-

pra relato, si hujusmodi notarii, imperiti vel in officio suo delinquentes inventi fuerint ab Episcopis, notariatûs exercitium ipsis potest interdici.

Si posteriùs, notarii instrumenta validè non conficiunt nisi intra territorium illius à quo notarii creati fuêre. Excipitur tamen 1° si consuetudo ferat alicubi, quòd validè illa conficiant extra dictum territorium; 2° si consentiat princeps loci; 3° probabiliter si, licet existentes extra suum territorium, instrumenta conficiant pro ejusdem territorii sui subditis in id consentientibus. Notarius tamen intra suum territorium manens, validè conficit instrumenta etiam pro extraneis, saltem ubi consuetudo id permittit. (Vide Bouix, *ib.*, p. 506 et 507.)

5785. Ad 2^um^ respondetur quòd instrumentum à notario alicubi validè confectum, ubique plenam fidem faciat. Ita tenent DD. communiter. Ratio est quia fidem et auctoritatem publicam accepit instrumentum in loco conficientis, et quidem à jure communi; porrò semel nata vis probandi, non tollitur loci mutatione. Ita Pirrhing (apud Bouix, *ib.*, p. 508).

5786. Quærit. 4° Quænam dotes requirantur in notario ecclesiastico?

Resp. 1° Ex legitimo matrimonio debet esse natus; 2° sufficienter peritus; 3° non esse excommunicatus vitandus; imò instrumentum ab excommunicato tolerato confectum infirmari posset in foro externo, si opponens excommunicationem sufficienter posset probare: ita communiter; 4° non debet esse impubes; 5° in summo, omnes qui à testimonio ferendo repelluntur, repelluntur pariter à notariatu. Ita Leurenius, apud Bouix (*ib.*, p. 503).

Nota etiam quòd notarii juramentum præstare debeant cùm creantur, non tamen sub pœnâ nullitatis actuum. Quid verò tunc jurare debeant, vide expositum ap. Ferraris (v° *Notarius*, n° 1).

5787. Quærit. 5° An judex ecclesiasticus debeat necessariò adhibere notarium seu cancellarium, tam in judicio ordinario, quàm in summario?

Resp. Affirmativè, et id constat ex cap. *Quoniam* 11,

tit. 19, lib. 2 Decret., ubi Innocent. III ait : « Statuimus » ut tam in ordinario judicio quàm extraordinario, judex » semper adhibeat aut publicam si potest habere perso- » nam, aut duos viros idoneos qui fideliter universa judicii » acta conscribant. » Certum est autem hanc Constitutionem non fuisse revocatam.

5788. De obligationibus notariorum, secretariorum, vide S. Liguor., lib. 4, n^is 229-231; et Bouix, *De Judic.*, t. 1, p. 511 et 512.

ART. V.

DE PROCURATORE ET ADVOCATO PAUPERUM.

5789. Ex præcepto Bened. XIII, in appendice Concilii Romani anni 1725, Episcopi aliquem deputare debent in procuratorem, et alium in advocatum pauperum qui nempe pauperibus in curiâ Episcopali causam habentibus ex officio et gratis operam præstent.

In locis autem ubi rarissimi essent hujusmodi lites non videtur teneri Episcopus ad præfatam institutionem per modum officii stabilis : cessante enim legis fine, cessare ipsa lex est censenda; satis tunc erit si, dato casu, curet ecclesiasticus judex ut pauper litem habens non destituatur patrocinio. Vide ap. Bouix (*ib.*, 513).

ART. VI.

DE NUNTIIS JUDICIALIBUS (*huissiers*).

5790. Officium illorum est jussa judicis implere, litigantes in jus vocare, processus actusque judiciarios exequi.

Vocantur etiam *pedelli*, *cursores*, *apparitores*, *bajuli*, etc.; auctoritate publicâ deputari debent (Vide Bouix, *ib.*, p. 515).

Quosdam alios ministros curiæ Episcopalis omittimus, quia vel non ampliùs sunt in usu apud nos, vel saltem eorum usus est rarissimus. De procuratoribus et advocatis diximus supra (5615-5651).

CAPUT II.

DE CURIA ARCHIEPISCOPALI, PRIMATIALI ET PATRIARCHALI.

5791. Præter jurisdictionem episcopalem in propriam diœcesim, Archiepiscopus metropolitanam in diœceses suffraganeas, Primas in primatûs sui territorium primatialem, Patriarcha in suo patriarchatu patriarchalem jurisdictionem habet : omnesque illi peculiari tribunali uti solent ad exercendam hujusmodi jurisdictionem. Porrò ad normam Curiæ episcopalis, ministrisque in eàdem adhiberi solitis componitur hoc peculiare tribunal.

De potestate metropolitanà, primatiali et patriarchali, sufficienter diximus in primo libro. Vide (820-845).

5792. Quærit. 1° An Officialis metropolitanus possit aut debeat idem esse ac diœcesanus ?

Resp. 1° Certè eidem Officiali potest Archiepiscopus diœcesanam simul et metropolitanam jurisdictionem committere exercendam ; imò si nihil determinet censetur utramque jurisdictionem communicare ei quem assumit in Vicarium generalem.

5793. Casu autem quo Archiepiscopus unum ad diœcesanam, alterum ad metropolitanam jurisdictionem deputaret, disputari potest an uterque haberi posset ut verus ac propriè dictus Vicarius Generalis, an verò sit duntaxat merus delegatus, eò quòd neuter habeat universalem moraliter loquendo jurisdictionem : unde tutiùs aget Archiepiscopus si non limitet ad diœcesim suorum Vicariorum jurisdictionem, ne fortè in quæstionem veniat illorum Vicariatus, cùm præsertim non limitando illorum jurisdictionem semper potest injungere uni Officiali ut se abstineat à causis diœcesium et alteri ut nonnisi istis diœcesanis incumbat. (Vide Bouix, *De Judic.*, p. 517, etc.)

5794. Quærit. 2° Quandonam possit appellari à suffraganeis ad Metropolitanum, et quinam sint effectus hujusmodi appellationis ?

Resp. I. Ex variis capit. juris canonici (nempe ex cap. *Pastoralis, de officio ord.;* cap. *Dilectus;* cap. *Cùm causa;* cap. *Sollicitudinem, de appellation.*, cap. 1 *De foro compet.* in 6°, et cap. *Romana de appellat.*, in 6°), constat posse à suffraganeis ad Metropolitanum appellari in tribus casibus: nempe 1° à sententiâ definitivâ; 2° ab interlocutoriâ vim definitivam habente [1]; 3° à gravamine quod per definitivam reparari non potest, ut excommunicatione, incarceratione, etc. (Trident., sess. 13, cap. 1, *de ref.*). Vide supra (651).

5795. — II. Hoc est discrimen inter casum quo à definitivâ sententiâ et casum quo ab interlocutoriâ vel gravamine appellatur, quòd in priori casu Metropolita vel ejus Officialis statim constituatur judex *causæ principalis*, in quâ Suffraganeus ampliùs nequit sese immiscere. In cæteris verò casibus, Metropolita causæ principalis non fit judex nisi postquam pronuntiavit *benè fuisse appellatum.*

5796. Si autem judex à quo appellatur non deferat appellationi, Vicarius generalis Archiepiscopi appellationem à definitivâ recipiens, vel ab interlocutoriâ aut gravamine benè appellatum pronuntians, inhibere potest dicto judici *à quo* ne ultra in causâ procedat.

5797. Non tamen potest Vicarius Archiepiscopi, existente in provinciâ ipso Archiepiscopo, prohibitionem modò dictam facere sub pœnâ excommunicationis, propter reverentiam dignitati Episcopali debitam; sed id posset sub pœnâ suspensionis vel interdicti, juxta Pellegrinum apud Bouix (*ib.*, p. 520): circa quod tamen vide quid superiùs dixerimus 837, etc.). Vide etiam *ibidem* et (839-844, 644-669), plura alia ad præsentem materiam spectantia.

Ad dubium autem an in archidiœcesi possit appellari ab Officiali diœcesano ad Officialem metropolitanum ejusdem Archiepiscopi, vide quid respondendum sit supra (664).

[1] Quid intelligi debeat per sententiam interlocutoriam, vide infra (5948.)

CAPUT III.

DE PROCESSU CRIMINALI ORDINARIO.

5798. *Processûs criminalis ordinarii* denominatione intelligitur is modus in vindictam criminis procedendi in quo *acta omnia et solemnia quæ in judiciis leges præscribunt, observantur, tum in iis quæ intimam judicii naturam, tum in iis quæ solemnitates attingunt.* Vide Devoti, lib. 3, tit. 2, § 7; et supra dicta (5486).

Quadruplici modo fieri potest hujusmodi processus, per viam nempe: 1° accusationis; 2° denuntiationis; 3° inquisitionis; 4° exceptionis. De iis omnibus est in quatuor articulis quibus subnectemus quintum articulum in quo evolvemus ordinem servandum in processu criminali ordinario agendum.

ART. I.

NORMA PROCEDENDI PER ACCUSATIONIS VIAM.

5799. — I. Variis documentis à D. Bouix relatis (*De Judic.*, tom. 2, p. 114-124), constat hunc procedendi modum, per saltem decem priora sæcula, solùm in foro ecclesiastico regulariter obtinuisse. Excipiuntur tamen: 1° casus notorii; 2° causæ hæreseos; 3° quæ tractabantur in Conciliis aut in diœcesis visitatione. Quidquid nonnulli dixerint, non videtur introductum fuisse ab Innocentio III modum procedendi per inquisitionem, etsi à dicto Pontifice hic modus videatur suam formam plenè determinatam induisse. (Bouix, *ib.*, p. 125-128.)

5800. Modus per viam accusationis procedendi in eo consistit quòd *affirmetur judici, ad publicam vindictam et assumpto probandi onere, aliquem deliquisse.*

Requiritur 1° ut affirmetur judici ad publicam vindictam: nam si affirmetur tantùm ad obtinendam reparationem damni, talis affirmans potest quidem esse *actor* non verò *accusator;* et si non ut puniatur delinquens, sed solùm ut

admoneatur et corrigatur affirmaret, esset denuò *denuntiator* minimè *accusator*. Requiritur insuper 2º ut accusator onus sibi assumat delictum probandi, alioquin iterum non esset nisi denuntiator aut delator.

5801. — II. Accusatio proponi debet: 1° in scriptis seu per libellum (can. *Accusationem*, causa 2, q. 8). Excipiuntur leviora crimina, quæ de plano, non servato judiciario ordine, judicari possunt ex lege *Liviâ* 6, tit. 2, lib. 48, ff.

2° Libellus debet esse ritè formatus, nempe exprimere *nomen judicis* apud quem fit accusatio, *nomen accusatoris et accusati*, *speciem delicti*, *locum*, *annum et mensem*; non videtur autem necessarium exprimere diem (Lex *Libellorum* 3, ff. *de accus.*). Si unum ex dictis omittatur, libellus rejici debet tanquam vitiosus.

5802. — 3° Jure communi apponi debet in libello subscriptio quâ accusator se obligat ad subeundam talionis pœnam, si falsò et malitiosè accusasse deprehendatur. Illud constat ex variis capit. juris canonici (cap. *Super his* 16, tit. 1, lib. 5 Decret.; can. *Calumniator*, 2, c. 2, q. 3; can. *Nullus* 2, causa 4, q. 4; et ex Bullâ S. Pii V, anni 1566, incip. *Cùm primùm*). Sed plures canonistæ contra alios dicunt hanc juris dispositionem in desuetudinem abiisse. Ita S. Lig. (lib. 4, nº 234): unde standum est communi praxi tribunalium. (Bouix, *ib.*, p. 26-28, 31-33.)

5803. — III. Accusare possunt omnes qui à jure non prohibentur: vetantur autem mulieres, impuberes, infames, criminosi, milites, religiosi et clerici nisi delictum civiliter deferant in judicium ad compensationem sibi faciendam, protestando se nolle ut judex ad pœnam sanguinis procedat. Vide alios qui prohibentur accusare, ap. Bouix. Generaliter accusare nequeunt qui à ferendo testimonio arcentur: vide supra (5709, etc.).

5804. Plerique ex recensitis ab accusando non repelluntur in tribus casibus sequentibus: 1° si suam aut suorum injuriam prosequantur; 2° in criminibus quæ dicuntur exempta, nempe læsæ majestatis, hæreseos, simoniæ, sacrilegii, latrocinii, assassinii, testamenti falsi, falsatæ

monetæ, fraudatæ annonæ, subreptionis censûs aut pecuniæ publicæ; 3° quando agitur de Ecclesiæ, vel de monasterii aut aliâ publicâ utilitate. Vide Bouix (tom. 2, p. 10, *De Judic.*); et S. Liguor. (lib. 4, n° 238).

5805. *Nota* quòd judex repellere possit ex officio accusatorem non idoneum, et quòd eum deberet repellere si esset illegitimus; nec tali casu reus citatus tenetur comparere. (Bouix, *ib.*, p. 14.)

5806.—IV. Accusari possunt omnes delinquentes, modò non destituantur usu rationis, et lege non prohibeantur accusari. Minores tamen accusari nequeunt nisi dato eis à judice curatore (Lex 20, ff. *de accusat.*). Nemo pariter accusari potest de crimine à quo fuit absolutus (cap. *De his* 6, *de accusat.*) : posset tamen accusari si absolutus fuisset in judicio in quo processum fuerat per viam inquisitionis. Vide alios casus excipiendos, ap. Bouix (*De Judic.*, tom. 2, p. 12 et 13).

5807. Ut quis possit accusari minimè est necesse ut infamia præcedat : nec peccatur tunc, saltem contra justitiam, si monitio non præcedat, modò crimen sit probabile. Si tamen crimen non esset publicum, etsi paucis notum, si speraretur emendatio, correctio tunc esset præmittenda (juxta S. Liguor., lib. 4, n° 240; et Stremler, *Des Peines ecclésiast.*, p. 100), non ex justitiâ et ad validitatem accusationis, sed ex charitate (vide Reiffenst., *De Accusat.*, tit. 1, n° 98) : quia tunc non est respiciendum bonum commune, sed peccantis. Excipe si crimen in damnum Reipublicæ vergeret, ut conjuratio, et signanter hæresis, vel si non posses aliâ viâ damnum tibi resarcire nisi accusando damnificatorem (S. Liguor., *ib.*, n° 241), vel si ageretur de sollicitantibus in sacro tribunali, juxta dicta supra (3883).

Quoad effectus accusationis relativè ad accusatorem v. Bouix (*ib.*, p. 15-17).

5808. Effectus verò accusationis relativè ad accusatum sunt præsertim quòd accusatus criminaliter de gravi crimine non possit regulariter, pendente accusatione, promoveri ad novas Dignitates (cap. *Omnipotens* 4, tit. 1, lib. 5 Decret.), ita ut promotio ipsius (et idem est de promotione

denuntiati aut inquisiti) non teneat, etiamsi postea per sententiam pronuntietur innocens, sed nova requiratur promotio; casu verò quo longo tempore differretur sententia, si per accusatum non steterit quominus intra biennium causa finiretur, accusatus tunc poterit ad dignitates promoveri. (Vide ap. Bouix, *ib.*, p. 18 et 19.)

5809. *Nota* quòd accusatio criminalis extinguatur per mortem accusatoris: ita ut hæredes non possint illam prosequi (Lex *Libellorum* 3, ff. *de accus.*). Id tamen posset judex. Extinguitur pariter per mortem accusati : excipe quædam crimina, ut puta hæresim : processum enim contra memoriam hæretici posse instrui probat Ecclesiæ praxis. (Bouix, *ib.*, p. 20.)

5810. Quærit. An post certum tempus prohibeatur accusare ?

Resp. Id prohibebatur ex jure romano, juxta quod non poterat quis accusari de delicto carnis à quinque annis perpetrato, et de cæteris criminibus quæ à 20 annis patrata fuerant (L. *Mariti* 29, ff., etc. ; lex *Vim passam* 39, ff. *Ad Leg. de jur., de adult.*, etc.) ; sed in Ecclesiâ contraria invaluit consuetudo, ut asseruit Schmalzgrueber apud Bouix (*ib.*, p. 19, etc.). Unde Episcopus recipere potest accusationem de crimine à quantocumque tempore antea commisso : vide tamen Reiffenst. (*De Judic.*, tit. 26, n^is^ 179-181).

5811. *Nota* quòd, etsi post introductionem modi procedendi in delicta per viam inquisitionis, ferè omnino in desuetudinem versa videatur antiqua praxis procedendi per accusationis viam, attamen etiam hodie possit juxta hanc normam procedi, cùm nihil sit in jure quod illud prohibeat. Sic autem habet Innocent. III (cap. *Qualiter et quando* 24, *de Accus.*) : « Ad corrigendos... subditorum excessus.., » ut de notoriis excessibus taceatur, etsi tribus modis » possit procedi, per *accusationem* videlicet, *denuntiationem et inquisitionem* ipsorum : ut tamen in omnibus » diligens adhibeatur cautela, sicut accusationem legitima » debet præcedere inscriptio, sic et denuntiationem charitativa monitio, et inquisitionem clamosa insinuatio » prævenire. »

ART. II.

NORMA PROCEDENDI PER DENUNTIATIONIS VIAM.

5812. — I. *Denuntiatio*, prout hic intelligitur, rectè definiri potest: *alicujus delicti manifestatio superiori facta, non assumpto probandi onere.* His posterioribus verbis denuntiatio differt ab *accusatione* de quo egimus in articulo præcedenti.

Si per denuntiationem sibi damnum resarcire quis postulet, *denuntiatio querelæ* nomine nuncupari solet.

5813. — II. Dividitur denuntiatio in *evangelicam* seu *fraternam* et *judicialem*. Prior fit superiori ut *patri*, non ad vindictam publicam sed ad paternam correctionem et emendationem : *evangelica* dicitur quia in Evangelio præscribitur (S. Matth., c. 18, v. 15). — Posterior fit superiori ut *judici* ad vindictam publicam : de hâc potissimùm hìc agendum est ; quædam tamen de evangelicâ sunt delibanda. Vide alias divisiones ap. Bouix (*De Judic.*, tom. 2, p. 33).

5814. — III. De evangelicâ denuntiatione sic habetur ap. S. Matth. (loco citato) : « Si peccaverit in te frater tuus, » vade et corripe eum inter te et ipsum solum : si te au- » dierit, lucratus eris fratrem tuum ; si autem te non au- » dierit, adhibe tecum adhuc unum vel duos, ut in ore » duorum vel trium testium stet omne verbum ; quod si » non audierit eos, dic Ecclesiæ. »

5815. Quærit. 1° An ordo correctionis in Evangelio traditus sit omninò servandus, seu an præmitti debeat secreta monitio antequam delictum superiori *ut patri* denuntietur ?

Resp. Si crimen est occultum, nec communitati damnosum sed duntaxat ipsi delinquenti, servandus est ordo modò indicatus : constat ex verbis modò relatis, et ex variis capit. juris canonici : nempe cap. *Novit* 13, *de Judic.*; cap. *Licet Heli* 31, *de simoniâ;* cap. *Cùm ex injuncto* 12, *de hæreticis.* Ita communiter : et ratio est quia correctio fraterna fieri debet cum minori præjudicio famæ honorisve

proximi (Vide S. Liguor., lib. 4, nº 242). Si tamen emendatio fratris meliùs obtineri speraretur, denuntiando crimen occultum prælato prudenti ut patri, nullâ præmissâ correctione, S. Liguor. (*ibid.*, nº 243) ut longè communius et probabilius asserit, post S. Thomam et alios, illud fieri posse, quia finis præcepti correptionis fraternæ non alius est quàm charitas erga proximum : porrò iste finis est duplex : unus principalis, nempe ut frater emendetur; alter secundarius ut servetur quantùm fieri potest fama proximi, et ideò præcipitur ordo correptionis secretè præmittendæ; sed cùm creditur magis expedire ad finem principalem seu emendationem fratris quòd correptio fiat immediatè à superiore, cessat finis minùs principalis et ideò omitti potest secreta correctio.

5816. In dubio autem an correptio meliùs fiat per superiorem, vel an ipse superior sit prudens, dicit Sanchez quòd tunc correctio sit præmittenda; sed, nisi constet de imprudentiâ Prælati, dicit S. Liguor., lib. 4, nº 245, quòd in Religionibus benè institutis, superiores in dubio prudentes præsumuntur, et insuper advertit quòd in talibus Ordinibus correptio meliùs fieri soleat per ipsos Prælatos quàm per inferiores. Vide rationes ab eodem allatas (*ibid.*).

5817. Omitti etiam potest prævia correctio secreta : 1º si crimen non sit occultum; 2º licet sit occultum, si vergat in damnum reipublicæ, vel communitatis vel etiam tertii, nisi certum esset quòd monitio sufficeret; 3º si monitio nihil profectura prævideatur : quòd contingere solet quando peccatur ex malitiâ; 4º si ipsi monenti damnosa meritò timeretur; 5º si in aliquo religioso Ordine, ex instituto, delicta soleant aut debeant superiori, sinè ullâ prævià monitione, manifestari. Certum est enim, quidquid nonnulli senserint (ap. S. Liguor. lib. 4, nº 245, *quær.* 4º), quòd tale statutum minimè sit vituperandum, cùm unicuique sit licitum ad majorem profectum spiritualem, humilitatem colendam, ac procurandum securitatem à relapsu et communitatis integritatem, famæ suæ renuntiare, et quisquis censeatur hanc renuntiationem facere ingrediendo Religionem in quâ scit tale statutum existere. Hoc insuper manifestè constat ex

approbatione datâ Constitutionibus Societatis Jesu à SS. Pontificibus Paulo III, Julio III et maximè à Gregorio XIII, per Bullam *Ascendente* in quâ excommunicantur qui præfatas Constitutiones impugnant. Porrò, inquit S. Liguor. (*ib.*), Ecclesia non potest *errare in approbatione Religionum et suarum regularum.*

5818. « Advertit tamen Palaus... quòd talis denuntiatio » non dat potestatem manifestandi delictum alterius nisi » in casu dubio de emendatione..: si constet de emenda- » tione et nullum sit periculum relabendi, rectè probabi- » lius censet non posse crimen deferri ad superiorem..; » præter ea advertit... quòd prædicta cessio (ex parte reli- » giosorum) fit ut crimen reveletur Prælato tanquam » patri, non verò tanquam judici. » (S. Liguor., lib. 4, n° 245, *quær.* 4°.)

5819. Quærit. 2° An, factâ denuntiatione evangelicâ, superior possit tanquam judex inquirere et procedere contra denuntiatum?

Resp. Vel delictum est occultum et nemini noxium nisi delinquenti, vel est notorium, aut saltem communitati vel tertio perniciosum : in *primo casu*, procedere nequit superior ut judex contra delinquentem nisi crimen, per duos testes saltem, probari posset : quo in casu, de quo disputatur, etiam probabilius est quòd superior nequeat procedere ut judex : unde licitum non esset in præfatâ hypothesi crimen evangelicè denuntiare superiori, si præ- videretur quòd iste deberet exinde transire ad inquisitionem juridicam (Stremler, *Des Peines ecclésiast.*, p. 92) quia ex unâ parte punitio delinquentis non est necessaria ad bonum commune, quando crimen non est publicum, nec com- munitati vel tertio noxium; et ex aliâ, delinquens jus habet ad servandam suam famam. (S. Liguor., lib. 4, n° 247.)

5820. In præfato casu superior poterit delinquentem clam monere, injungere ei pœnitentiam secretam eumque etiam amovere ab officio amovibili aut à conventu, modò ex hoc nulla ei obveniat infamia. Poterit deinde ad alia re- media devenire quin tamen judicialiter procedat : posset nempe ei præscribere exercitia spiritualia in aliquo mo-

nasterio peragenda, et interdiù abstinentiam à celebratione missæ; sed non posset ei censuras aut aliam pœnam vindicativam infligere (Stremler, *ib.*, p. 89). Posset etiam superior crimen manifestare aliquibus viris prudentibus, si hoc judicaret necessarium ad remedium subitò adhibendum; sed peccaret Prælatus inferior si valens per se subditum corrigere, crimen ipsius Superiori suo manifestaret. S. Liguor. (*ib.* 246 et 247).

5821. In *secundo casu*, si nempe crimen sit *notorium*, certè potest superior ut judex instituere processum per modum inquisitionis, et ob bonum commune ad hoc posset teneri; sed de factâ sibi denuntiatione evangelicâ nullam debet facere mentionem; potest tamen denuntiantem tanquam testem adhibere, aut ei mandare ut judicialiter denuntiet. Ita Reiffenst. (tit. 1, lib. 4 Decret., nº 75). Si verò delictum, etsi occultum, vergat in præjudicium communitatis vel tertii, potest pariter Superior contra delinquentem judicialiter procedere, et in hoc casu præcipere debet denuntianti ut judicialiter denuntiet: nec potest ante denuntiationem juridicam illum ut testem adhibere. Ita communiter cum eodem Reiffenst. (ap. Bouix, *ib.*, tom. 2, p. 39). Vide S. Liguor. (lib. 4, nº 246 *in fine*), qui tamen dicit (*ib.*, *Notand.* II.) quòd denuntiatio evangelica « transire potest in judicialem ex communi sententiâ, » quando post evangelicam reus non corrigitur. » Sed juxta D. Bouix, ille qui denuntiationem juridicam fecit, adhiberi nequit ut testis talis causæ. (*De Judiciis*, tom. 2, p. 102-104.)

5822. Quærit. 3° Quinam possint evangelicè denuntiare?

Resp. Posse omnes, etsi ad accusandum non sint habiles, modò capaces sint rationis. DD. concordant.

5823. Quærit. 4° Quodnam delictum possit evangelicè denuntiari?

Resp. Quodlibet delictum, etsi omnino occultum, et soli peccanti nocivum, nisi delinquens sit certè emendatus. Vide S. Liguor. (lib. 4, nº 244), et Bouix (*ib.*, p. 39).

5824. — IV. *Denuntiatio juridica* non evasit unus ex

ordinariis modis procedendi nisi versùs XI sæculum, et introducta non fuit nisi ut ad inquisitorium processum via sterneretur. Imò non est propriè aliquis specialis modus procedendi, sed occasio duntaxat, quâ positâ, judex inquisitorium processum potest inchoare. (Bouix, *ibid.*, tom. 2, p. 40, 43.)

5825. Nec ex textibus juris, nec ex auctoritate DD. liquidò constat quosdam esse ad denuntiandum inhabiles : imò ex consuetudine generali quivis, etsi aliàs ad accusandum inhabilis, admittitur ad denuntiationem judicialem, et reverà cùm juridica denuntiatio sit duntaxat via ad processum inquisitorium, in quantum scilicet ipsa suppeditat judici indicia quorum ope possit in quempiam procedere, parvi refert à quibusnam hominibus hæc indicia ipsi exhibeantur. Neque objici potest quòd denuntians possit à judice in judicium vocari ad confirmandam suam denuntiationem : nam etsi inhabiles non possint admitti in judicio, possunt tamen ante processum indicare judici idoneos testes aliaque indicia quibus delictum poterit deinde plenè probari. Vide Bouix, *ibid.*, p. 43.—« Il est certain, inquit » Stremler (*Des Peines ecclésiast.*, p. 93), que suivant la » pratique générale des tribunaux ecclésiastiques, tous » indistinctement sont admis aujourd'hui à faire une dé- » nonciation judiciaire. »

5826. Quoad autem delicta quæ judicialiter denuntiari possunt, sequentes regulæ sunt observandæ : 1° denuntiari potest delictum, de quo jam fama existit, etiamsi denuntians non valeat illud probare : regula hæc tanquam certa est habenda, quia præcedente famâ delicti, judex potest inquisitionem facere, nec aliundè in casu diffamatio est timenda.

5827. — 2° Probabile est quòd judicialiter denuntiari non possit delictum occultum, etiamsi posset probari. Ita Glossa in cap. 24, tit. 1, lib. 5 Decret., v° *Ad inquirendum*, ubi dicit : « Cognoscat primò judex utrum (denuntiatus) sit » infamatus... Aliàs non procedat, nisi primò constet quòd » sit infamatus. » Ita etiam S. Liguor. (lib. 4, n° 240 *in fine*). Attamen quæstio controvertitur, præsertim si agatur

de Officiali publico, v. g., de Promotore fiscali. Vide Bouix (*ib.*, p. 45); Stremler (*Des Peines ecclés.*, p. 96). Excipe si ex delicto occulto grave damnum communitati vel innocenti immineret. S. Liguor. (*ib.*, n° 236).

5828. — 3° Si verò crimen occultum probari nequeat, certum est quòd non possit judicialiter denuntiari : inutiliter enim fama delinquentis læderetur apud judicem, cùm iste nequeat in casu sententiam damnationis proferre.

Imò judex nullam denuntiationem accipere potest nisi ipsi afferantur media sufficientia ad probandum. Vide Reiffenst. (lib. 5, tit. 1, n° 89). Controvertitur autem an delictum possit denuntiari, si præter denuntiantem unus tantùm testis noscat; sed hoc liceret, si procuraretur ut denuntiatio per tertium fieret. Vide Bouix, *ib.*, p. 46 et 47.

5829. Delictum denuntiari deberet, etsi nequiret probari, si vergeret in grave communitatis vel tertii damnum, et hoc quidem non ut puniretur sed ut posset præcaveri; et hoc est specialiter applicandum crimini hæreseos : unde damnata fuit ab Alexandro VII propositio sequens : « Quam» vis evidenter tibi constet Petrum esse hæreticum, non » teneris denuntiare si probare non possis. »

5830. *Nota* hìc quòd crimina sint reputanda tertio nociva, quando per vim, seductionem, sortilegium patrantur; non autem talia censentur quando complex spontaneè consentit. Ita Stremler (*Des Peines ecclés.*, p. 95).

5831. Quærit. 1° Quomodo sit facienda judicialis denuntiatio?

Resp. Omnes solemnitates quæ in accusatione requiruntur debere observari in judiciali denuntiatione, et hoc quidem sub pœnâ nullitatis, exceptâ tamen inscriptione quâ accusator onus in judicio probandi assumit, et à fortiori, quâ ad pœnam talionis sese obstringit : vide supra (5802). Sed insuper requiritur quòd denuntiator denominet testes et judici suggerat probationes quas habet, ut judex cognoscat an denuntiatio recipi vel rejici debeat. In processu verò per viam accusationis, accusator non statim ab initio tenetur denominare testes, sed illos ipsemet producit competenti tempore : dum in processu per viam denuntiationis,

testes à judice, suggerente denùntiatore, producuntur. Vide Bouix (*De Judic.*, tom. 2, p. 49); Stremler (*ib.*, p. 104).

5832. Quærit. 2° An monitio fraterna præmitti debeat judiciali denuntiationi?

Resp. Certè non requiritur prævia monitio ut valida sit denuntiatio judicialis. — An autem requiratur ut sit licita?

Resp. Negativè secundùm sententiam communiorem, quia fieri nequit judicialis denuntiatio nisi delictum sit publicum, vel communitati vel innocenti perniciosum : porrò in talibus casibus minimè requiritur monitio fraterna, præsertim cùm denuntiatio judicialis sit ad vindictam criminis non verò ad ejus emendationem. Secus est dicendum in processu per viam accusationis, ut supra diximus (5807) quia accusatio fieri potest etsi crimen sit *occultum*. Vide Bouix (*ib.*, p. 50); Stremler (*ib.*, p. 102.)

5833. Quærit. 3° An et quando sit obligatio judicialiter denuntiandi?

Resp. 1. Vel delictum est nocivum communitati vel tertio innocenti, vel soli delinquenti nocet; si *primùm* adest obligatio illud denuntiandi, etiam cum gravi incommodo, quia grave damnum commune avertere debemus, etiam cum gravi nostro damno. (S. Lig., lib. 4, n° 248.)

Imò juxta S. Thomam, 2, 2, q. 68, art. 1, in hoc casu esset obligatio accusandi, si crimen posset probari : sed cùm hodie procedi valeat per viam denuntiationis, satis esse videtur si crimen denuntietur, et ita sentit S. Liguor., lib. 4, n° 236.

5834. « Crimina autem contra bonum commune sunt, » inquit idem (*ib.*), hæresis, rebellio, falsificatio monetarum, » homicidia et furta ab assassinis aut viarum grassatoribus : » addunt alii subornationem suffragiorum in cathedris et » in aliis electionibus. Et Lugo addit peccatum religiosi » quod probabiliter damnum religioni afferat. »

5835. Si *secundum*, est obligatio denuntiandi quando denuntiatio fieri potest sinè gravi incommodo, quia etsi ex charitate teneamur impedire damnum proximi; ad hoc tamen impediendum non tenemur grave incommodum su-

bire, nisi quis à Republicâ vel à dominis ut fiscales et custodes agrorum, gabellarum, etc., stipendium acceperit, quia in hoc casu tenetur ex justitiâ, et ad restitutionem damnorum ex defectu denuntiationis provenientium; proinde tenetur cum gravi damno. Controvertitur autem an isti teneantur ad restitutionem mulctarum quæ pro delictis essent imponendæ; sed certò tenentur ad restitutionem vectigalium quæ delinquentes solvere debuissent. S. Liguor., lib. 4, nº 237.

5836. Est etiam obligatio denuntiandi ad vitandum vel resarciendum damnum propriæ familiæ, si aliàs remaneret dehonorata vel alimentis destituta. (S. Liguor., *ib.*)

In duobus casibus supra recensitis requiritur ut denuntians habeat notitiam certam criminis, et sit timor fundatus quòd grave damnum, sive societatis sive privati, non posset aliter averti.

5837. *Si tertium*, non est obligatio denuntiandi judicialiter : nam vel delictum est publicum, vel occultum. Si priùs, judex potest procedere contra delinquentem, quin aliquis teneatur ad eum denuntiandum; si posteriùs, non solùm nemo tenetur diffamare delinquentem, sed, ut diximus supra (5832) communiùs sentitur quòd tale crimen denuntiari nequeat : et hoc etiam in casu quo superior præciperet et per duos testes posset probari. Vide S. Lig. (lib. 4, nº 247); Bouix (*De Judic.*, tom. 2, p. 51 et 52); Stremler (*Des Peines ecclés.*, p. 140-142).

5838. *Nota* « quòd qui delictum sub secreti sigillo noverit ut remedium aut consilium delinquenti præberet, » *nunquam* tenetur illud denuntiare, quia jus positivum » non potest juri naturæ derogare », et insuper quia bonum commune postulat ut tale secretum servetur. Ita S. Thomas, 2, 2, q. 70, art. 1, ad 2... contra Sotum (S. Lig., lib. 4, 248). Addit tamen Busembaum : « nisi is » qui secretum commisit, innocentem vel rempublicam » vexaret, nec vellet desistere. Card. de Lugo... » (S. Lig., *ib.*, nº 239). —Vide etiam dicta supra (4057, 4068).

5839.—II. In præfatâ responsione quæstio resolvitur ex

jure naturali. Ex jure autem positivo ecclesiastico, plures sunt casus in quibus adest obligatio denuntiandi.

Sic 1° est obligatio denuntiandi impedimenta matrimonii. De hâc obligatione diximus supra occasione publicationis bannorum (4064, etc.).

2° Qui novit indignitatem promovendi ad sacros ordines, debet illam judicialiter denuntiare. Vide dicta supra (2051, etc.).

5840. — 3° Est obligatio judicialiter denuntiandi hæreticos (cap. 2, *de Hæreticis;* cap. *Quapropter,* causa 2, q. 7, et aliis à D. Bouix citatis, *ib.*, p. 53); et hoc quidem cum periculo gravis damni, si sint formaliter hæretici : ad quod tenentur etiam filii et parentes. Si verò sint duntaxat suspecti de hæresi, non est obligatio illos denuntiandi cum periculo gravis incommodi, nisi adesset damnum commune, ut si sacerdos magnæ auctoritatis frequenter pœnitentes sollicitaret, etc. — Suspecti autem sunt de hæresi, sortilegi, blasphemi, confessarii sollicitantes, abutentes sacramentis, novas nuptias vivente conjuge contrahentes, clerici vel religiosi professi nubentes, si quis sinè sacerdotio missam celebret aut aliud sacramentum conficiat : ita Constitutiones Pontificiæ. Item quando intercedit pactum expressum cum dæmone, vel si in actu superstitioso miscentur res sacræ, ut olea sacra, hostia consecrata. Vide S. Liguor. (lib. 4, 249-253) ubi enumerantur plures alii casus, in quibus tamen admittendis non omnes semper concordant. Vide etiam Bouix (*De Judic.*, tom. 2, p. 379 et 380); et Stremler (*Des Peines ecclésiastiques*, p. 97 et 98).

De obligatione denuntiandi confessarios ad turpia sollicitantes diximus supra (3868, etc.).

4° Denuntiandi sunt etiam confessarii qui à pœnitentibus exigunt sibi revelari nomen complicis. De quo vide etiam dicta supra (3826-3828).

5841. — 5° Ex pluribus SS. Pontificum Constitutionibus est obligatio denuntiandi eos qui secretis *muratorum* (aut similium) Societatibus nomen dederunt; ab obligatione talia denuntiandi non excusat secretum promissum etiam

sub juramento. Ita Stremler (*ib.*, p. 99), qui citat Ferraris (v° *Denuntiatio*, n° 30) : sed Ferraris loquitur tantùm de hæreticis. Vide supra (3885).

5842. Qui autem intra præscriptum temporis spatium, quod generatim est unius mensis, denuntiare omittit, mortaliter peccat, et ipso facto incidit in excommunicationem S. Pontifici reservatam, ex Gregor. XV Const. *Universi Dominici gregis*; Decret. *Licet* Alexandri VII; Decreto S. Inquisit. 10 martii 1677. Sed factâ postea denuntiatione, cessat reservatio ex dicto Decreto S. Officii; sed in multis casibus hodie non potest urgeri obligatio denuntiandi.

5843.—6° Ordinarii possunt etiam sub pœnâ excommunicationis præcipere per monitorium publicum revelationem certorum delictorum : sed non est obligatio illa revelandi si sint occulta, nec nociva communitati aut tertio, etiamsi probari possint per duos testes, ut supradiximus. Ita S. Liguor. (lib. 4, n° 248).

5844. An verò Episcopus condere valeat statuta, quorum vi certa crimina ipsi essent denuntianda juridicè, prout v. g. confessarii in sacro tribunali ad rebellionem contra auctoritatem civilem provocantes, dicit Bened. XIV id non posse Episcopos. Vide *De Syn.* (lib. 6, cap. 11, n° 13), et Stremler (*Des Peines ecclés.*, p. 109 et 110). Unde, inquit Stremler (*ib.*, p. 129-134), nec statutum condere valet vi cujus denuntiandi essent sacerdotes ad turpia sollicitantes extra sacrum tribunal aut non occasione confessionis.

5845. Quærit. 4° Quinam sint effectus judicialis denuntiationis?

Resp. 1° *Quoad judicem*, denuntiatio judicialis efficit ut teneatur ex officio inquirere, processum incipere, citando et examinando testes, etc. : ita ut si negligat non tantùm peccet, sed teneatur ad syndicatum et amittat jurisdictionem quoad illam causam : ita communiter ex jure romano in hoc ab Ecclesiâ admisso. Excipiuntur tamen delicta occulta ut supradiximus.

Si factâ denuntiatione reus est suspectus de fugâ, vel ne testes subornet, terreat, etc., potest conjici in carce-

rem, etiam ante citationem, dummodo delictum sit grave et adsit semi-plena probatio. Vide cap. *Si clericos* 8, tit. **11**, lib. 5., in 6°. Sed apud nos Episcopi nequeunt tali jure uti. Vide infra dicenda (6356).

5846. — 2° *Quoad denuntiantem*, judicialis denuntiatio illum obligat ad denominandos testes et probationis media suggerendum judici. Si convincatur falsò denuntiasse scienter et ex malitiâ, habetur ut verus calumniator, et prout talis puniri debet. Si verò deficiat in probatione, habetur ut præsumptus calumniator et ab officio suspendi potest donec innocentiam probaverit (Cap. *Cùm dilectus* **2**, tit. 2, lib. 5 Decret.). Hoc tamen non potest applicari Promotori: sed si iste scienter falsa intentasset crimina, ut *verus calumniator* etiam ipse puniendus esset. Bouix (*De Jud.*, tom. 2, p. 56); Stremler (*ib*, p. 103).

5847.—3° *Quoad denuntiatum:* pendente denuntiatione, non potest promoveri ad Dignitates ecclesiasticas, nec ad sacros ordines (cap. *Omnipotens* 4, tit. 1, lib. 5 Decret.). Imò et eodem cap. nec etiam ad beneficia promoveri valet; et ex cap. *Non debet* 56, tit. 20, lib. 2 Decret., non potest esse accusator, nec testis, nec procurator ex jure romano Justin. Lex *Reum* cap. *de Procurat.* — Ei interdici potest missæ celebratio, si de gravissimo crimine agatur (Lequeux, n° 1404, *in fine*, 3ª edit.); ab exercitio ordinis suspendi potest, si verè publicè sit diffamatus, juxta Stremler (*ib.*, p. 104).

Excipe si crimen sit leve; si denuntiatio non sit legitima ex defectu formæ; si non sit criminalis; si elapsus fuerit annus à tempore factæ denuntiationis, et reus non fuerit causa cur lis non sit terminata, etc. (Bouix, *ib.*, p. 58).— Stremler, *ib.*, p. 104 et 105.

5848. *Nota* quòd superior à subditis denuntiatus, non potest, pendente denuntiatione, suam exercere jurisdictionem quoad negotium circa quod versatur denuntiatio, et de crimine dilapidationis denuntiatus ab administratione bonorum debet interim removeri (Ex cap. *Olim* 26, tit. 1, lib. 5 Decret.; et cap. *Prælat.* 27, ejusdem). Vide Stremler (*ib.*)

5849. Hodie extra casum quo alicujus interest ut reus puniatur, in desuetudinem abiit modus procedendi per viam denuntiationis juridicæ. Adsunt quidem adhuc denuntiatores qui Promotori vel judici crimina manifestant, sed tantùm occultè, sinè obligatione cæteras veri denuntiatoris obligationes implendi, et hoc ut de cætero judex monitus possit providere. « Généralement, inquit Stremler (*ib.*, » p. 106), la dénonciation n'est plus reçue qu'à titre de ren- » seignement. Le Procureur fiscal à qui elle est faite, s'en sert » pour faire une dénonciation judiciaire proprement dite, » et s'il y a lieu, instruire le procès d'enquête. »

ART. III.

NORMA PROCEDENDI PER VIAM INQUISITIONIS.

5850. Hic modus procedendi olim extraordinarius, hodiernis temporibus ita ordinarius effectus est, ut in desuetudinem abierit, prout supra notavimus, modus procedendi per viam accusationis.

Inquisitio de quâ hìc agitur *est actus judicis ad detegendum an aliqua persona aliquod patraverit delictum.*

5851. Triplex est inquisitio : I. *Generalis*, videlicet quâ in genere inquiritur an subditi aliquod crimen commiserint; II. *Specialis*, quâ de certâ personâ quæritur an determinati criminis sit rea; III. *Mixta*, quando vel solum crimen est speciale; vel sola persona, ut si inquiratur quis fecerit istud homicidium, an Petrus violaverit statuta, etc.—Quælibet ex tribus dividitur in *paternam* et *judicialem : paterna* fit ad delinquentis emendationem; *judicialis* verò ad publicam delicti vindictam.

5852. — I. Circa generalem inquisitionem, certum est Ordinarios locorum posse generalem inquisitionem de criminibus facere : illud constat ex Concilio Trident. (sess. 24, c. 3, *de ref.*), ubi dicitur : « Visitationum autem omnium » istarum præcipuus sit scopus sanam orthodoxamque » doctrinam, expulsis hæresibus, bonos mores tueri, » pravos corrigere. »

5853. Communis sententia tenet quòd dicta inquisitio

generalis possit fieri non solùm paternè sed etiam judicialiter, quamvis ordinariè, præsertim apud regulares, imò etiam per Episcopos soleat fieri tantùm paternè. Vide Reiffenst., apud Bouix (*De Judic.*, tom. 2, p. 95). Et hoc quidem absque prævià infamià, si agatur de totâ diœcesi, aut toto ordine, non verò de aliquâ communitate aut monasterio : quia in isto casu, communitas illa aut monasterium in suspicionem adduceretur. — Probabilius est tamen requiri indicia de patratis delictis, ut instituatur generalis inquisitio juridica, et tunc monendi sunt subditi qui interrogantur, quòd procedatur judicialiter et non paternè tantùm : siquidem testes possunt vel tenentur revelare delicta, aliter si paternè quàm si judicialiter procedatur : in isto enim casu, subditi interrogati non solùm non tenentur delicta occulta judicialiter revelare, si infamia non præcesserit (nisi aliquod malum spirituale vel temporale nequiret aliter commodè averti : S. Lig., lib. 7, n° 214), sed, juxta ferè communem DD. sententiam, quæ vera et tenenda videtur (5837, 5843), etiamsi crimen probari posset, illicitum esset hujusmodi delicta revelare : unde testis potest tunc respondere cum restrictione mentali, *se nescire*. Ita Lessius apud Bouix (*ib.*, p. 96).

Casu verò quo generalis inquisitio paternè fit, possunt quidem subditi delicta etiam occulta revelare, ut delinquentes emendentur, sed ad hoc non tenentur nisi in quibusdam casibus ut supra. Jus ergo subditi habere videntur ut superior eos prænoneat an judicialis vel paterna duntaxat sit generalis inquisitio. Vide Bouix (*ib.*, p. 97); et Stremler (*Des Peines ecclés.*, p. 139).

Circa inquisitionem generalem vide dicta supra de visitatione Episcopali (897-918).

5854. A generali inquisitione superior potest quandoque transire ad specialem : nam contingere potest ut denuntientur delinquentes : porrò contra illos superior speciali inquisitione judiciali poterit procedere, si de illorum existit fama publica, etiamsi ipsi *ut patri* denuntiati fuissent; si verò occulti delinquentes fuerint denuntiati, vel denuntiatio fuit *evangelica* vel judicialis : si priùs, non potest

quidem superior in tales delinquentes nisi paternè procedere, sed excipiendus est casus quo immineret grave damnum communitati, vel tertiæ personæ, quia tunc revelans obligari potest ad talia crimina judicialiter denuntianda; si posteriùs, etsi revelando talia crimina denuntiator peccaverit, attamen superior procedere potest judicialiter in delinquentes, quia secus crimini videretur connivere; sed hoc tamen controvertitur. Vide Bouix (*De Judic.*, tom. 2, p. 70).

5855. — II. Circa *inquisitionem mixtam* observandum est quòd absque præcedenti infamiâ, quamvis paternè procedi valeat, non posset judicialiter institui inquisitio hæc sub hâc formâ : *An Titius aliqua delicta patraverit*, quia sic injustè læderetur fama illius cujus integritas ut certa apud omnes habetur; sed potest institui sub istâ formâ : *Quis tale delictum patraverit*, etsi ex indiciis tantùm constet de corpore delicti. Ita praxis generalis : porrò in hoc casu, non est obligatio occultum delicti auctorem manifestandi, nisi ageretur de crimine perpetrando vel continuando, vel de crimine ex quo grave damnum alicui immineret quod aliter commodè averti non posset. Casu autem quo licitè, imò etiam illicitè manifestaretur auctor delicti, contra ipsum superior licitè potest judicialiter procedere, ut diximus in numero præcedenti; neque tunc judex inquisitionem faciens, tenetur instruere rudiores ne auctorem criminis detegant, si fortè nullâ infamiâ laboret, quia hoc illum redderet suspectum corruptelæ, vel favoris in criminosum. Vide Bouix (*ib.*, 84-87); Stremler (*Des Peines ecclés.*, p. 155 et 156).

5856. — III. Circa *inquisitionem specialem* multa sunt dicenda : 1° generaliter, sive ex mero officio procedat, sive ad instantiam alicujus denuntiatoris ad vindictam seu pœnam, judex non potest judicialiter per viam specialis inquisitionis procedere contra nondum diffamatum.

Regula est certa, pro casu quo judex procedit ex mero officio : constat ex capit. *Inquisitionis* 21, tit. 1, lib. 5 Decret., ubi Innocent. III ait : « Respondemus nullum esse » pro crimine, *super quo aliquâ non laborat infamiâ, seu* » *clamosa insinuatio* non præcesserit, propter dicta hujus- » modi puniendum : quin imò super hoc depositiones

» contra eum recipi non debere, cùm inquisitio fieri debeat » solummodo super illis de quibus clamores aliqui præces- » serunt. »

Probari etiam potest ex cap. *Si is* 2, tit. 1, lib. 5, in 6°; vide alia apud Bouix (*ib.*, p. 64, etc.). Ita communis DD. sententia. « Ratio est, inquit Lessius (*De Jure et Just.*, » lib. 2, c. 29, n° 122), quia judex, quando ad punitionem » criminum procedit, debet ex scientiâ publicâ procedere : » scientia autem publica est quæ habetur per accusatio- » nem, vel confessionem rei in judicio, vel per infamiam, » aut per facti evidentiam in conspectu judicis et aliorum... » Meritò quisque posset queri sibi fieri injuriam, si in » vitam ejus inquireretur, cujus fama alioquin est integra : » nam per talem inquisitionem redditur suspectus. »

5857. Quoad autem casum quo judex procedit ad instantiam denuntiatoris ad pœnam, regula controvertitur; imò communiter rejicitur si denuntiator sit publicus, v. g. Promotor fiscalis; regula tamen etiam pro his casibus sustineri potest, et probatur ex Decretali *Cùm oporteat* 19, tit. 1, lib. 5 Decret., ubi agitur de quodam Episcopo qui à nonnullis Canonicis propter suos excessus Sedi Apostolicæ denuntiatus fuerat : porrò ejus occasione sic Innocent. III loquitur judicibus ad hanc causam delegatis : « Discretioni » vestræ mandamus quòd, nisi super prædictis, *famam ip-* » *sius læsam esse noveritis*, vos ad inquisitionem illorum » non subitò procedatis. »

Reverà Innocent. III (cap. *Qualiter et quando* 24, tit. 1, lib. 5 Decret.) dicit : « Sicut accusationem legitima debet » præcedere inscriptio, sic et denuntiationem charitativa » monitio, et inquisitionem clamosa insinuatio prævenire. » Sed ut ex ipsismet verbis patet, denuntiatio de quâ loquitur Pontifex est evangelica. Illud etiam constat ex cap. *Super his* 16 ejusdem tituli, ubi idem Pontifex ait : « Ad » correptionem est denuntiatio facienda. » Vide insuper ap. Bouix (*De Judic.*, tom. 2, p. 73-79) argumenta quibus constare videtur quòd tempore Innocentii III, judex reputabatur procedere per viam inquisitionis etiamsi procederet

ad instantiam denuntiatoris, modò iste denuntiasset ad vindictam criminis.

Cæterùm canonistæ qui communiùs negant requiri infamiam præcedentem quando judex procedit ad instantiam publici ministri, nullos allegant textus juris canonici, sed solùm juris Justiniani, quòd non videtur in hâc parte esse admittendum. Vide etiam Stremler (*Des Peines ecclésiastiques*, p. 150-154).

5858. Nec objiciatur olim recipi debuisse accusationem contra delicta occulta soli delinquenti nociva : nam respondetur quòd adeo grave erat onus quod sibi accusator imponere tenebatur, ut periculum non esset ne frequenter recurreret accusatio in casu delicti occulti, et soli delinquenti nocivi : unde necessarium non erat ut iste casus exciperetur à facultate generali accusandi. Vide Bouix (*ib.*, p. 79-84) ; Stremler (*Des Peines ecclés.*, p. 148, etc.).

5859. — 2° Præmissâ regulâ quâ nempe prævia infamia requiritur ad processum inquisitorium, aliquas admittit exceptiones : excipitur enim 1° casus hæresis et apostasiæ (cap. *Excommunicamus, de hæreticis*) ; 2° generaliter excipiuntur crimina quæ vergunt in damnum denuntiantis, vel tertii et à fortiori in damnum reipublicæ : ita communiter DD. ; tunc tamen requiritur aliqua suspicio orta ex indiciis non levibus ; 3° excipitur casus quo Episcopus procedit extrajudicialiter, juxta limites facultatis ipsi concessæ à Concilio Trident. sess. 14, cap. 1 ; 4° casus in quibus reus confessus est crimen in judicio, vel quo aliquis, juxta dictum supra (5854) post generalem inquisitionem occultum delinquentem patefecit, licet hoc illicitè peregerit ; sed in his casibus crimen non ampliùs remanet occultum : vide Bouix (*ib.*, p. 70) ; Stremler, *Des Peines ecclés.*, p. 147, 148 ; excipitur 5° si inquiratur non ut puniatur, sed ne indignus ad ordines vel Dignitates promoveatur, vel ne contrahatur matrimonium cum impedimento canonico.

5860. — 3° Infamia de quâ in præfatis intelligenda est de infamiâ apud honestos non autem apud malevolos, et insuper quæ ad aures superioris non semel sed sæpe pervenerit. Ita Innocent. III (cap. *Qualiter et quando* 24, tit. 1,

lib. 5 Decret.) ubi ait : « Si per clamorem et famam ad » aures superioris pervenerit, non quidem à malevolis et » maledicis, sed à providis et honestis, nec semel tantùm, » sed sæpe. »

5861. Insuper hæc infamia per majorem viciniæ seu communitatis partem debet esse divulgata : « Quia, ait » Glossa (in cap. *Inquisitionis*, supra citat.), fama loci » requiritur, non fama aliquorum. » Aliquando tamen sufficit major pars certarum personarum quæ factum verisimiliter scire possunt ac debent : ut si Episcopus sit infamatus de fornicatione, ad probandam infamiam sufficit si major pars Canonicorum id sciat. Ita Pirrhing ap. Bouix (*ib.*) ; Stremler (*ib.*, p. 157).

5862. Quando superior procedit ad instantiam alicujus inquisitionem postulantis, præmitti debet probatio infamiæ. Ita communiter post Glossam ad cap. 24, tit. 1, lib. 5 Decret., v° *Ad inquirendum :* contra Reiffenst. (lib. 5, tit. 1, n° 194). Si verò judex procedat ex mero officio, etsi debeat ipsi constare de infamiâ, tamen non est necesse ut de illâ judicialiter constet, cùm illa demonstratio non potest esse necessaria nisi ad instructionem judicis, cui ex hypothesi jam infamia est nota ; prudenter tamen agit judex, inquit Fagnan, si procuret ut juridicè probetur infamia. Stremler (*Des Peines ecclés.*, p. 158).

5863. Sic autem probari potest infamia juxta eumdem Fagnanum (apud Bouix, *ib.*, p. 92) : « Testis deponere » debet eum, de quo agitur, de tali crimine diffamatum » esse ; et interrogatus apud quos sit diffamatus respondere » debet apud tales...., quia aliter sciri non potest an illi » sint *viles et malevoli*, an verò fide digni... ; subdit Inno- » centius sufficere si dicatur à duobus se audivisse, quia » textus noster loquitur in plurali, ibi, *providis et honestis* ; » ergo sufficiunt duo.. ; adverte tamen quia non sufficit si » testis dicat apud duos esse suspectum, quia ex hoc non » esset probata fama : sed oportet addere..... quòd hoc » ipsum quod audivit ab illis duobus, clamat major pars » viciniæ... Quidam tamen.... non improbabiliter dicunt » satis esse ut testes, etiam nullis personis expressis, di-

» cant : rumor et infamia est per viciniam : reservatur enim » alteri parti facultas probandi infamiam hanc esse tan- » tùm apud viles aut malevolos, vel ab ipsis ortum ha- » buisse. »

5864. — 4° Ut judex possit procedere ad specialem inquisitionem, præter infamiam prævia m, requiritur insuper (si delictum sit factum permanens seu vestigium post se relinquens, ut cadaver in casu homicidii) ut ante aliam inquisitionem, per se aut per alium, informationem sumat de corpore delicti : ita omnes ex jure romano (Leg., 1, ff. *ad S. C. Syll.*); et hoc etiamsi reus crimen à se commissum affirmet, quia non est in arbitrio cujusquam de vitâ aut membris suis disponere; excipe si delictum fuisset occultatum, v. g. si cadaver in flumen projectum fuisset: tunc pro informatione delicti sufficit depositio testium.

5865. Si verò delictum sit factum transiens (ut blasphemia et similia) sufficit habere conjecturas de commisso delicto. Ita communiter. Et si judex procedat ad instantiam alicujus, non est necesse quòd distinctam inquisitionem instituat de corpore delicti, et postea etiam de reo; sed debet ita se gerere, testes interrogando, ut priùs constet commissum fuisse delictum, quàm quis deliquerit. Ita Schmalzgrueber, ap. Bouix (*ib.*, p. 101 et 102).

5866. — 5° Notandum est quòd, non obstante omissione alicujus formalitatis etiam necessariæ, validus erit processus, si reus præsens non reclamet, vel si crimen in judicio sit confessus. Id concluditur ex cap. *Postquam* 1, tit. 1, lib. 5, in 6°, ubi Bonifacius VIII ait : « Postquam coram eo » qui contra te super certis criminibus inquisitor fuerat de- » putatus, eadem crimina fuisti confessus, frustra confes- » sionem tuam... eo prætextu impugnare contendis quòd » super eisdem criminibus non fueras antea diffamatus » ; et ex cap. *Si is cui*, ejusd. tituli, ubi idem Pontifex sic statuit : « Si is cui contra te commissa fuerit simpliciter in- » quisitio super certis criminibus facienda, processerit, te » præsente nec reclamante, nec quidquam super hoc » excipiente (infamiæ inquisitione omissâ), ad veritatem » eorumdem criminum inquirendam, processum hujus-

» modi ex eo quòd non fuit de infamiâ primitùs inquisi-
» tum, ulteriùs impugnare nequibis. »

5867. Quod autem dicitur de duarum præfatarum formalitatum omissione, communiter extenditur à canonistis ad cæterarum omissionem. Vide Bouix (*ib.*, p. 102).

5868. *Nota* quòd is contra quem fit specialis informatio, inhabilis est, durante informatione, ad recipiendum ordines, officia, beneficia et dignitates ecclesiasticas. Non est tamen ad ea ineligibilis, nisi jam fuisset infamatus : non enim sufficit diffamatio procedens ex solâ informatione : posset autem suspendi ad tempus quoad celebrationem missæ aut alias functiones, ad vitandum magnum scandalum, prout supradiximus in casu denuntiationis (5847, etc.).V cap. *Omnipotens, de accus.;* cap. *Non debet, de testibus;* et cap. *Inter sollicitudines* 10, *de purgat. canonicâ.*

Non autem informatio privat officiis, beneficiis aut Dignitatibus jam acquisitis. Vide Stremler, *Des Peines ecclésiast.*, p. 160.

5869. Quærit. 1° An et in quo differunt modus inquirendi ex officio et modus inquirendi ad instantiam alicujus?

Resp. In pluribus differre duos hos modos procedendi, ut videre est ap. Glossam, cap. *Qualiter.*, tit. 1, lib. 5 Decret., v° *Ad inquisitionem.*

1° Quando judex procedit ex officio, non tenetur recipere probationem super famâ, ut supra diximus; contra est si procedat ad instantiam alterius.

2° Judex procedens ex officio recipit juramentum ab iis contra quos facienda est inquisitio, non item quando procedit ad petitionem alterius, ne instruat adversarium ; sed iste debet probare quæ denuntiavit.

3° Quando proceditur ad instantiam fit litis contestatio cum eo qui petit inquisitionem (cap. *Cùm dilectus* 15, *de purgat. canonicâ*). Secus est quando proceditur ex officio, quia tunc non est cum quo illud possit fieri, audiri tamen debet responsio inquisiti circa infamiam.

4° Quando proceditur ex officio, possunt testes recipi etiam post publicatas attestationes : cùm enim judici dicta testium sint semper nota, cessat timor subornationis eo-

rum; secus est quando proceditur ad instantiam alicujus. Ita Schmalzgrueber (ap. Bouix, *ib.*, p. 105).

5870. Quærit. 2° Quænam sint observanda in inquisitione speciali, ne processus nullitate laboret?

Resp. Præter infamiam prævíam de quâ supra diximus, et probationem illius (si ad instantiam procedatur) requiritur : 1° Sub pœnâ nullitatis, ut judex citet reum, et, eo examinato, ut eidem proponat capitula super quibus, exigente famâ aut instantiâ partis, fuit inquisitus, necnon depositiones testium et etiam ipsorum nomina. 2° Debet judex recipere, audire ac examinare ejus exceptiones ac defensiones. Ita communiter et certè, ut patet ex cap. *Ad petitionem* 22; cap. *Qualiter.*, tit. 1, lib. 5 Decret. Hinc si priùs non fieret inquisitio, et statim reo traderentur capitula, nihil ageretur quia inverteretur ordo. (Vide ap. Bouix, p. 106 etc.)

ART. IV.

NORMA PROCEDENDI PER VIAM EXCEPTIONIS.

5871. Cùm ad ordinarium processum pertineat ut reus possit excipere, id est aliquem defectum tum judici, tum testibus, ad eos ab intento repellendos, objicere; et cùm ex illâ objectione enascatur nova causa, in quâ observanda sunt consueta juris de modo procedendi præscripta, ideò inter modos ordinarios recensetur modus per exceptionem procedendi, qui ad quamdam speciem accusationis reduci potest.

5872. Exceptio ergo est *ratio ob quam reus postulat actorem dejici ab eo quod prosequitur.* De eâ loquuntur auctores sub hâc formulâ : *actionis* vel *intentionis exclusio*, quæ pluribus modis fieri potest.

Exceptio est vel *criminalis,* quando objicitur aliquod delictum; vel *civilis,* quando objicitur inhabilitas quæ culpabilis non est : hîc agitur tantùm de exceptione criminali.

Criminalis dupliciter fieri potest : *civiliter* nempe vel *criminaliter: civiliter* fit, quando delictum objicitur, non quidem

ut auctor ejus puniatur, sed ut actor ab obtinendo quod vult dejiciatur; *criminaliter* ècontra fit quando delictum objicitur ut vindicta publica de eo obtineatur.

Criminalis iterum dividitur in *propriè dictam* quæ fit à reo, et *impropriè dictam* quæ fit ab alio quàm à reo, ad impediendum ne quis Dignitates aut beneficia obtineat aut in iis confirmetur, etc. (vide Bouix, *De Judic.*, tom. 2, p. 108 et 109), et vocatur etiam *quasi-exceptio.*

§ I.

Norma procedendi quoad exceptionem criminalem civiliter factam.

5873. Qui hoc modo excipit non tenetur sese in pœnam inscribere (cap. *Super his* 16, tit. 1, lib. 5 Decret.): sed si exceptionem criminis civiliter factam non potuerit reus probare, judex per sententiam interlocutoriam debet eam rejicere tanquam injustam et frustratoriam, eâque declaratâ rejectâ, debet in processu pergere, eâ non obstante. Ita communiter (ex cap. *Intellexímus* 1, tit. 10, lib. 2 Decret.). Non autem reus exceptionem non probans potest ideò à judice puniri (cap. *Super his* citat.); et casu quo crimen probaverit, non ideò pariter auctor criminis potest ab eodem puniri, sed duntaxat ab accusando, si accusator sit, vel à testificando, si testis, repelli debet (cap. *Cùm dilectus* 2, tit. 10, lib. 2 Decret.): posset tamen judex, imò et fortè deberet, absoluto processu, contra auctorem talis delicti procedere, quia publicum evasit, eo ipso quòd fuit juridicè probatum. Vide ap. Bouix (*ib.*, p. 111).

§ II.

Norma procedendi quoad exceptionem criminalem criminaliter factam.

5874. Generaliter hoc exceptionis genus eosdem ferè effectus sortitur ac accusatio cui æquiparatur: si excipiens probet crimen, non tantùm accusator ab accusatione, tes-

is à testificatione removeri debent, sed uterque justâ pœnâ est plectendus.

Si è contra excipiens non probet, per specialem sententiam absolvi debet is cui delictum objectum fuerat, ita ut de eo à nemine amplius accusari possit. Non tamen puniendus est excipiens criminaliter, qui crimen probare non potuit. Ita Lex *Si adulterium* 38, ff. *de adult.*, in foro ecclesiastico admissa eò quòd *parcatur accusato qui provocatus est*. Vide Bouix (*ib.*, p. 112).

§ III.

Norma procedendi quoad quasi-exceptionem.

5875. Delineatur ab Innocentio III (cap. 16, tit. 1, lib. 5 Decret.) his verbis : « Cùm opponitur ut quis à promotione officii vel beneficii excludatur, si ante confirmationem objicitur, non cogitur quisquam inscribere, » quia crimen hoc modo probatum impedit promovendum, » sed non dejicit jam promotum. Post confirmationem » verò, cùm scilicet ordinandus aliquis fuerit aut etiam consecrandus (quia etiam ab obtinendo repellit et dejicit ab » obtento), ad extraordinariam pœnam, secundùm arbitrium judicis discreti, citra vinculum inscriptionis, est » excipiens astringendus, si defecerit in probando. »

ART. V.

DE ORDINE SERVANDO IN JUDICIO CRIMINALI ORDINARIO.

5876. In tres paragraphos præsentem materiam partiemur. In 1°, ordinem servandum exponemus ab inchoatione causæ usque ad contestatam litem exclusivè; in 2° à contestatione litis usque ad sententiam definitivam; in 3° ab illâ sententiâ usque ad finem litis.

Etsi de solo judicio criminali agatur in hoc articulo, attamen quædam passim subjungemus judiciis civilibus specialia, ne cogamur postea eadem repetere, et ad majorem claritatem producendam.

5877. Notanda autem sunt, ante omnia, verba Innocentii III, cap. 22 *de Rescriptis*, ubi ait: « Processum contra » nostri formam rescripti ac juris ordinem attentatum irri» tum decernimus et inanem. » Vide Card. Soglia (*Inst. jur. priv.*, § 209.).

§ I.

Tela processûs criminalis ab inchoatione causæ usque ad contestatam litem exclusivè.

5878. — I. Si procedatur *accusationis viâ*, ante omnia accusator debet judici porrigere libellum accusationis ; sufficit ut privatim porrigat, modò ipsi tanquam judici præsentet et ad publicam delicti vindictam. Quid expendere tunc debeat et quid agere judex, vide dictum apud Bouix (*De Judic.*, tom. 2, p. 139).

Si procedatur *denuntiationis viâ*, causa pariter incipit ab oblatione libelli quod subscribi debet à denuntiatore, sive sit privatus sive publicus seu Promotor. Huic autem libello denuntiator debet annectere indiculum idoneorum testium, vel documentorum è quibus probatio erui potest.

5879. Inspecto autem denuntiationis libello et examinato an sit in formâ debitâ, et an denuntiator sit legitimus, ac insuper an porrecta media sufficiant ad probandum, judex debet denuntiationem rejicere si aliquid in iis deficiat : sin verò secus, expendendum adhuc an præter denuntiationem, prævia etiam requiratur de crimine fama.

5880. Si procedatur per *meram inquisitionis viam*, tunc necessaria non est libelli porrectio, sed judici constare debet juridicè de publicâ delinquentis famâ ; quo per examen testium constito, potest judex edere Decretum de ulteriùs contra diffamatum procedendo; nota autem quòd ferè nunquam procedatur hoc modo meræ inquisitionis ; quippe deficiente privato denuntiatore, Promotor fiscalis supplere solet, et in hoc casu necessaria est, ut modò diximus, libelli porrectio.

Si procedatur *per viam exceptionis*, excipiens debet exhibere judici libellum accusatorium de crimine objecto.

5881.—II. *De Libello.*—Quærit. 1° Quid et quotuplex sit libellus? Et an sit necessarius?

Resp.—1° *Libellus judicialis* est brevis et clara scriptura continens rem quæ in judicio petitur, causam petendi, nomen actoris, quod est in calce libelli inscribendum, nomen judicis quod exterius libello inscribitur, et nomen rei qui convenitur. (Bouix, *ib.*, p. 142.)

5882.—2° Libellus est vel simplex *seu summarius*, in quo summatim et continuâ orationis serie actoris intentio exponitur; vel *articulatus* seu *positionarius* in quo merita causæ per articulos proponuntur. Iterum libellus est vel civilis qui pro objecto habet causam civilem, vel *criminalis* qui pro objecto habet causam criminalem, et vocatur etiam querimonialis. (Schmalzgrüeber ap. Bouix, *ib.*)

5883.—3° In judicio ordinario, tàm criminali quàm civili, ad processûs valorem libellus est omninò necessarius. Ita unanimiter canonistæ, et constat ex cap. 1, tit. 3, lib. 2 Decret. — In judicio verò extraordinario, quando nempe judex procedit ex notorio, vel summariè, vel ex informatâ conscientiâ, libellus non est necessarius, ut constat ex Clement. *Sæpè* 2, *de verb. signif.*

5884. Quærit. 2° Qualis esse debeat libellus?

Resp. In eo exprimi debere 1° nomen judicis coram quo agenda est causa: sufficit tamen ut designetur ab officio et loco jurisdictionis; 2° nomen proprium actoris; 3° nomen rei; 4° factum cum necessariis circumstantiis; et si causa sit civilis quid, quale et quantum debeatur, etiam parte non reclamante, ex Leg. *Libellorum* 3, ff. *de accusat.*; et communi DD. sensu; 5° insuper sub pœnâ nullitatis delicti locus, annus, mensis: dies autem commissi criminis tutiùs omittitur ob difficultatem probandi, nisi accusatus petat; 6° in libello civili apponi debet conclusio seu quid ab actore petatur et causa petitionis; plus enim judex non potest decernere in actoris gratiam quàm ipse petiit, nec reus scire posset an ipsi expediat cedere, an verò litigare si causa petitionis non exponeretur. In libello criminali, conclusio non est necessaria quia lex concludit et pœnam delictis certam imponit: utiliter autem potest actor suæ conclusioni

adjicere clausulam sequentem : « *Super his* omnibus peto » mihi jus et justitiam administrari omni meliori modo et » formâ, quâ de jure, statuto, vel consuetudine fieri po » test. » (Bouix, *De Judic.*, tom. 2, p. 150 et 151.)

An autem mutari aut emendari possit libellus semel porrectus, vide ap. eumdem (*ib.*).

5885. — III. *De visitatione corporis delicti.* Delato per libellum vel famam publicam ad judicem delicto, ante omnia occurrit facienda *corporis delicti visitatio;* si tamen delictum sit *facti permanentis* prout supra diximus (5864); quoad formam exequendæ ejusmodi visitationis, vide formularium ap. D. Bouix (*ib.*, p. 518).

5886. — IV. *De informatione summariâ antequam reus citetur.* Informatio summaria est instructio præparatoria quæ fit per examen testium et etiam instrumentorum si habeantur, nondum citato nec constituto reo, ut judex possit discernere num legitimè valeat eum citare et coram se constitutum examinare. Hæc informatio apud curias nostras sæculares fit per judicem dictum *juge d'instruction.* In curiis verò ecclesiasticis fit generatim per judicem ordinarium, vel etiam per Promotorem, ad hoc generaliter vel specialiter deputatum. (In hâc Provinciâ Avenionensi fit per Promotorem. Vide *Mandement de Mgr Chatrousse, Evêque de Valence,* n° 55, p. 18, art. 17-22.)

5887. Duplex est informatio : alia quæ fit ut constet *de famâ publicâ*; alia ad dignoscendum an existat contra reum saltem semi-plena probatio.

5888. Certum est quòd nulla sit præmittenda informatio summaria quando judex procedit per viam accusationis, nisi accusator consentiat, quia accusator non tenetur ad producendas suas probationes nisi post contestatam litem.

Casu autem quo judex procedit per inquisitionis viam ex mero officio, non est necessaria informatio juridica de famâ, ut supra diximus, sed admodum utilis esse potest, ut videre est ap. Bouix (*ib.*, p. 154); casu autem quo fit informatio de famâ, si de illâ constet, non requiritur alia informatio ad dignoscendum an contra reum existat semi-

plena probatio ; ex ipsomet enim facto publicæ famæ judex potest ad rei citationem procedere.

Si tandem judex per viam denuntiationis procedat, et versetur in casibus quibus ex solo libello denuntiatorio absque prævià infamiâ potest procedere, ut supra diximus (2829), tenetur tunc præmittere informationem summariam ut acquirat notitiam probationis semi-plenæ aut gravium indiciorum ; nec sinè iis reum potest citare quia lex naturalis prohibet ne cuiquam gravem molestiam inferat sinè causâ sufficienti.

Quomodo autem fieri debeant et exequendæ sint citationes, vide *Formularium* D. Bouix, p. 520-536.

Quomodo verò examinandi sint testes et instrumenta in processu informatorio, vide ap. eumdem, p. 539-544.

5889. — V. *De compositione*. Contingere potest quòd reus, antequam citetur, adeat Judicem et *compositionem* petat. Porrò, hoc contingente, Episcopus jus habet illum ad eam admittendi ; sed ad hoc Vicarius generalis indiget speciali delegatione. Consistit autem *compositio* in eo quòd Episcopus silentium Promotori imponat, inhibendo ei ne ultra procedat, eâ conditione tamen ut reus solvat certam pecuniæ summam in pios usus erogandam : si quis per delictum fuisset læsus, necessarius est ejus consensus.

« Advertere debent Episcopi quòd compositio non ad-
» mittitur ante completum processum informativum, ac
» datis defensionibus ; et quòd, eo completo, tunc admit-
» titur compositio, si delictum non est plenè... probatum...
» Item non est admittenda in criminibus gravibus, quibus
» pœna de jure taxata reperitur, vel merentur deposition-
» nem, vel manifestata sunt, aut in quibus Episcopus de
» jure dispensare non potest. Item... etiamsi sponte à reo
» offeratur, quoties in processu non appareat quid sub-
» stantiale criminis, et non adsint indicia et præsumptio-
» nes... aut fama... : si enim Judex... sinè causâ de delicto
» componeret, graviter peccaret. » Ita Monacelli ap. Bouix, *De Judic.*, tom. 2, p. 545.

5890. Etsi licita sit hæc pecuniaria compositio, accidere potest, hodie præsertim, quòd non expediat, eò quòd

vulgus facilè scandalizetur videndo divites sic, medio pecuniæ, justitiæ rigorem declinare. In hoc autem casu, potius esset ut Episcopus alia pœnitentiæ opera injungeret, vel etiam fortè, ut gratis ad compositionem admitteret.

5891. — VI. *De citatione rei.* Si, absoluto processu informativo, judex comperiat quòd non adsit contra reum probatio saltem semi-plena, debet Decretum edere de non ulterius procedendo, et tunc causa finita est : si ècontra judex existimat haberi saltem semi-plenam probationem, facere debet Decretum de constituendo reo, et proinde jubere ut citetur.

Citatio autem est *actus legitimus quo quis mandato judicis vocatur in judicium, juris experiendi causâ.*

5892. Triplici modo dividitur. 1° Alia est *juris* quando nempe lex statuit certum terminum intra quem debet quis coram judice se sistere; alia *hominis* quando quis mandato judicis in jus vocatur.

2° Alia est *verbalis* quando judex ad reum mittit apparitorem, ut ei verbis aut scriptis significet quòd ad certum diem debeat in judicio comparere; alia *realis*, quando persona citata arrestatur.

Verbalis autem potest esse *privata* quando quis privatim ad faciem, vel si absit, ad domum citatur; vel *publica*, quando fit per vocem præconis, vel per edictum in publicis locis affixum : porrò hujusmodi citatio non est adhibenda quando sufficit verbalis.

3° Citatio alia est *simplex*, si nempe judex simpliciter alicui mandet ut tali die in judicio compareat; alia est *peremptoria*, quæ ita imponit necessitatem comparendi tali die, ut deneget facultatem ulterius expectandi, unde si citatus, præfinità die, non comparuerit, contumax constituitur.

5893. Citatio peremptoria debet esse trina, aut, si unica sit, exprimi in eà debet quòd sit peremptoria seu una pro omnibus. Ita jus roman. ab Ecclesiâ admissum (Lex 68, 69, 70, 72, tit. *De Judic.* 1 lib. 5 Pandect.; Lex 8, tit. 43, lib. 7 Codic.).

5894. Etsi autem, ex jure romano, decem dies interce-

dere debeant inter singulas ex tribus citationibus peremptoriis, vel assignandi sint 30 dies, si unica fiat pro omnibus, attamen dari potest legitima consuetudo in contrarium, modò assignetur tempus conveniens. Cap. 1 *de dilat.*; cap. *Consuluit* 24, *de officio deleg.*: et cap. *Ex litteris*, *de in integr. restit.* Vide ap. D. Bouix (*ibid.*, p. 159, 160); et Reiffenst., *De Judic.*, tit. 8, n° 31.

5895. Ita necessaria est citatio rei si absens sit, ut, eâ omissâ, per se loquendo, omnis alius actus judicialis, ipso jure, sit irritus. Excipitur tamen si delictum ita sit notorium ut reo, etiam ad extenuandam culpam vel pœnam nulla defensio supersit. Vide cap. *Scelus* 2, q. 1, cap. *Cùm olim*, *de sent. et re judic.*, et cap. *Cùm sit romana*, § *Præterea*, *de appell.* Item excipitur si reus etiam non citatus judicium susciperet. Non ita liquet quòd citatio requiratur quando reus est præsens.

5896. In citatione necessariò exprimi debent : 1° nomen citati; 2° nomen ejus ad cujus instantiam fit citatio; 3° causam citationis, saltem in genere, si de causâ criminali agatur; 4° locum judicii; 5° terminum competentem; 6° certum diem. — (Bouix, *ib.*, p. 161.)

5897. Si is, qui citandus est, extra citantis territorium moretur, citatio fieri potest vel 1° per nuntium; vel 2° per litteras remissoriales : scribit nempe judex qui citat ad judicem loci in quo moratur citandus, et petit ut is per suos ministros citationem exequatur; vel 3° si duo priores non sufficiunt, per edictum affixum in locis finitimis.

Si judex loci renuat insinuare reo citationem, ad superiorem est confugiendum. Ex quibus patet quòd licet citatio possit in alieno territorio intimari, cùm hoc non sit actus jurisdictionis, aliter tamen est dicendum de ipso citationis edicto, quod est actus jurisdictionis. (Bouix, *ib.*, p. 161, 162.)

Communiùs tenent DD. quòd Judex non teneatur simul cum citatione libellum denuntiatorium reo intimare.

5898. Citatio fieri debet : 1° vel per judicem ipsum, vel per aliquem ab ipso deputatum; 2° in die, non verò noctu; 3° si per nuntium curiæ fiat, citatus debet ei credere; si

per alium specialiter à Judice deputatum, is simul cum litteris citationis, etiam litteras commissionis sibi factæ debet exhibere; 4° si Judex sit tantum delegatus, debet citationi inseri tenor sibi factæ delegationis, ut se legitimet; 5° citatio ipsimet personæ, nisi quid obstet, fieri debet; si quid obstet, fieri debet ipsius p ocuratori, vel uni è domesticis, vel si nemo adsit, vicinis, relicto commissionis exemplari (cap. *Causam* 3, *de dolo*); vel si neque hoc modo fieri possit aut expediat, potest citatio affigi ad domum in quâ citandus habitare consuevit; vel si non habeat domum certam, nec sciri possit ubi sit, citari potest per præconem aut per edictum. Cap. *Causam*, *de dolo et contumaciâ;* Clement. 1, *de Judic.*

5899. Peractâ autem citatione, nuntius relationem in acta debet referre ut de legitimè factâ executione benè constet; alioquin citatus ut contumax non posset haberi. Ita Schmalzgrueber ap. Bouix (*ib.*, p. 162 et 163) qui putat citationem posse fieri hodie in Gallià per epistolam oneratam (*chargée*). Ita etiam auctor *Prælect. S. Sulpit.*, n° 634.

5900. Effectus citationis sunt: 1° astringere citatum ad comparendum, nisi justâ exceptione se tueatur, aliàs redditur contumax (cap. *Ex litteris* 2, *de dolo*); 2° inducit litis pendentiam, ut nempe, pendente lite, nihil innovari possit; 3° prorogat jurisdictionem judicis, ita ut reus teneatur coram ipso comparere, licet cœperit esse alterius fori; 4° perpetuat Judicis delegati jurisdictionem, ita ut morte delegantis non expiret. Ita Bouix (*ib.*, p. 163). In civilibus citatio quosdam alios effectus habet, ut videre est (*ibid.*): interrumpit præscriptionem, saltem odiosam, etc. (Vide Card. Soglia, *Inst. jur. priv.*, § 110 *in fine.*)

Citatio nulla propter quemdam defectum, convalidatur per comparutionem citati, vel si procuratorem mittat, etc. (Bouix, *ib.*, p. 164.)

5901. — VII. *De contumaciâ.* Si intra terminum peremptorium citatus comparere negligat, contumax efficitur (à voce *contemnere*); circa quod vide cap. *Causam* 3, et cap. *Cùm dilecti* 6, tit. 14, lib. 2 Decretalium.

Contumacia alia est vera, quando nempe peremptoriè

citatus et citationis notitiam habens comparere renuit, nullo ipsum excusante impedimento, et talis non est ampliùs audiendus, nec est restituendus contra ea quæ acta sunt, ipso contumaciter absente; alia est *præsumpta*, quando dubium est an ad citatum pervenerit citationis notitia, casu nempe quo citatio ipsimet citato non fuit intimata; in hoc casu auditur contumax et contra sententiam restituitur, si venerit, et suam absentiam excusaverit (cap. *Cùm Bertholdus* 18, *de sentent. et re judic.*).

Quibus autem modis constituatur contumacia, explicatur à Schmalzgrueber, ap. Bouix, *De Judiciis*, tom. 2, p. 165 et 166; et Reiffenst., *De Judiciis*, tit. 14, n° 62, etc.

Nota quòd si reus in primâ instantiâ dixerit *in judicio* se nolle ampliùs comparere, contumacia fit manifesta ex cap. *Venerabilibus*, § *Porrò*, *de sentent. excomm.*, in 6°; secus si hoc dixerit extra judicium.

5902. Plures causæ excusant à contumaciâ, adversa nempè valitudo, absentia Reipublicæ causâ, tempus feriatum, etc. Generatim à contumaciâ excusat omnis causa excusans ne citatus comparere debeat.

Si Judici constaret de ejusmodi impedimento et nihilominus sententiam pronuntiaret, ipsius sententia esset ipso jure nulla; si verò impedimentum ignorasset, per in integrum restitutionem vel aliàs, in pristinum statum citatus reponi deberet. Ita Lex Justiniana ap. Bouix (*ib.*, p. 167).

5903. Quomodo autem sit procedendum contra contumacem?

Generatim de jure procedere contra contumacem judex non debet nisi ad instantiam partis adversæ: si enim pars adversa nihil petat, consentire videtur in absentiam. Excipe si judex procederet ex officio. Vide Reiffenst., *De Judic.*, pars 1, lib. 2, tit. 14, n^is^ 66, 67.—Hæc dicuntur in genere; ut verò ad variorum casuum solutionem deveniamus, vel agitur de actore et in hoc casu observanda sunt cap. *Causam* 3, tit. 14, lib. 2 Decret., et cap. 1, tit. 6, lib. 2 in 6°; vel agitur de reo, et forma observanda in hoc casu exponitur apud Bouix (*De Judic.*, tom. 2, p. 558); Soglia (*Instit jur. priv.*, § 210); Reiffenst. (*ib.*, n^is^ 110-147); vel

agitur de testibus : in quo casu vide Bouix (*ib.*, p. 530).

5904. Circa pœnas contumacibus infligendas, vide cap. *Veritates*, *de dolo et contum.*; cap. *Quoniam*, § *in aliis*, *ut lite non contestatâ*, cap. *Tuæ fraternitatis*, ejusd. tituli; cap. *Quod vult Deo*, *de judiciis*; et Reiffenst. (*De Judiciis*, tit. 14, n^is^ 126-147).

5905. — VIII. *De exceptionibus.* Reus citatus et ad judicium veniens varias exceptiones proponere potest : exceptio definitur : *Allegatio quâ reus actionem contra se institutam vel retardat vel penitus elidit.*

Multipliciter dividuntur exceptiones ; sufficiat referre divisiones sequentes : dividuntur ergo : 1° In *reales* quæ rei seu causæ adhærent ; *personales* quæ intuitu personæ statutæ sunt ; et *mixtas* quæ utrique participant.

2° In *dilatorias* et *peremptorias*, quæ divisio præcipuè est attendenda.

5906. *Peremptoriæ* exceptiones vocantur quæ jus actoris perimunt et semper ei obstant, sive ostendendo actionem nunquam fuisse ortam, v. g. donatum non fuisse quod taliter perâctum asseritur ; sive contendendo actionem fuisse extinctam, v, g. compromissione, præscriptione, etc. ; sive alio modo elidendo actionem, excipiendo v. g. dolum, metum, etc.

Dilatoriæ dicuntur illæ quæ actionem non omnino perimunt sed solùm differunt ad tempus : multiplicis generis esse possunt, ut videre est apud D. Bouix (*ibid.*, p. 170).

5907. Ex jure exceptionis, sequitur jus replicationis quâ datur actori facultas reum excipientem repellendi : potest iterum reus respondere et sic reciprocè actor. Ne verò ultra modum hujusmodi disceptatio protrahatur, statuit Justinianum jus (Auth. *Jubemus*, c. *de Jud.*), ut penès judicem esset eis terminum imponere : quæ dispositio etiam in foro ecclesiastico admittitur.

5908. Regulariter exceptiones *dilatoriæ* proponi debent ante litis contestationem. Ita communiter ex cap. *Inter monasterium* 20, *de sentent. et re judic.*, quia contestando litem, reus renuntiare censetur hujusmodi exceptionibus : v. g. censetur admittere judicem tanquam competentem,

non suspectum, etc. Plures casus tamen excipiuntur : nempe : 1° si reus excipiens protestatus sit ante litem quòd salvas velit esse alias exceptiones, modò illas in specie exprimat ; 2° si post litem contestatam, exceptio orta fuerit, vel primùm cognita, vel tunc solummodo potuerit probari ; 3° si statim post litem contestatam opponatur (c. *Pastoralis* 4, *de except.*). Vide plures alias apud Bouix enumeratas (*ibid.*, p. 173).

5909. Quoad verò exceptiones *peremptorias*, regulariter eæ sunt apponendæ post contestatam litem. Ita communiter ex lege romanâ, et ratio est quia hujusmodi exceptiones sunt propriè *exclusivæ actionis ;* porrò excludi nequit actio, antequam existat, quod accedit per litis contestationem. Aliquæ tamen exceptiones sunt admittendæ, ut videre est apud eumdem Bouix, *De Judic.*, t. 2, p. 174, apud quem etiam videri potest an judex possit præfigere terminum intra quem proponi debeant exceptiones sive dilatoriæ sive peremptoriæ.

5910. Regulariter exceptiones non à judice sed à reo sunt proponendæ, quia non opponens jus quod sibi competit, censetur illud remittere. Duo tamen casus sunt excipiendi : 1° casus quo actor esset excommunicatus non toleratus ; 2° omnes exceptiones quæ ipso jure actionem perimunt, ut exceptiones solutionis et præscriptionis si sint notoriæ. Etiam *vivâ voce* proponi possunt exceptiones, modò ad acta redigantur. Ab eo qui has proponit sunt probandæ. Ita Justinianum jus apud Bouix (*ib.*, p. 176), ubi plura alia leguntur circa varias exceptiones.

5911. Quærit. Quid agere debeat judex quando opponuntur contra ipsum exceptiones dilatoriæ ?

Resp. Vel excipiens contendit judici non competere jurisdictionem aut esse ex aliquo defectu impeditam ; vel opponit tantùm quòd judex sit sibi suspectus : si priùs, ad judicem pertinet pronuntiare de valore exceptionis, et ab hâc sententiâ utpote interlocutoriâ non potest excipiens appellare nisi in quibusdam casibus, ut diximus supra (651) : si posteriùs, judex nequit ultra procedere, sed debet judicium de tali exceptione arbitris committere, ut videbitur in n° sequenti.

5912. — IX. *De recusatione judicis tanquam suspecti.* Certum est judicem aliàs legitimum posse declinari ex eo quòd suspecta sit ipsius in reddendâ justitiâ integritas ; constat ex cap. *Secundò requiris* 41, et capit. *Cum speciali* 61, tit. 28, lib. 2 Decret. — Ipsamet ratio naturalis dictat quòd suspecti et inimici judices esse non debeant.

5913. Quomodo sit procedendum sic exponit dicta Decret. *Cum speciali :* « Statuimus ut si (quis) allegaverit se judicem » habere suspectum, coram eodem causam justæ suspi- » cionis assignet, et ipse cum adversario (vel si fortè adver- » sarium non habeat) cum judice arbitros communiter » eligat; aut si communiter convenire non possint absque » malitiâ ipse unum, et ille alium eligat, qui de suspicio- » nis causâ cognoscant ; et si nequiverint in unam con- » cordare sententiam, advocent (duo nempe arbitri) tertium; » ut quod duo ex ipsis decreverint, robur obtineat firmi- tatis... Causâ verò suspicionis legitimâ coram ipsis intra » competentem terminum non probatâ, suâ jurisdictione » judex utatur. At, ipsâ probatâ legitimè, de recusatoris » assensu, personæ idoneæ committat negotium recusatus, » vel ad superiorem transmittat ut in eo ipse procedat » secundùm quod fuerit procedendum. »

5914. Arbitri autem omnia tantùm quæ punctum suspicionis respiciunt peragere valent : possunt ergo, sed ad hanc solam causam elucidandam citare testes, et compellere ad testificandum, eos etiam puniendo si delinquant, exceptiones admittendo, etc. Omnibus verò perpensis pronuntiare debent utrum causa suspicionis legitima sit, necne.

5915. — Ad tria capita reduci possunt legitimæ causæ recusationis : 1° si judex recusetur ut inimicus, quod præsumi potest quando habet litem cum reo, vel si minatus sit quòd, datâ occasione, illi nocumentum inferret, si signa consueta benevolentiæ ille deneget.

2° Si ideo recusetur quia specialem habet affectionem aut relationem cum adversario recusantis, si nempe sit consanguineus, dominus, collega, magnâ amicitiâ conjunctus, si sit patronus, vel cliens, etc.

3° Si Judex recusetur propter specialem affectionem quam

habet erga causam quæ agitur, si nempe in eodem negotio advocatus fuerit vel procurator, si causam similem habeat in judicio, etc. (Vide ap. Bouix, *ib.*, p. 183).

5916. Quærit. An recusari possit Vicarius generalis eò quòd ipsius Episcopus sit meritò suspectus, et vice versâ?

Resp. Controverti hoc inter DD. In praxi tutius videtur ut recurratur ad arbitros, prout supra exposuimus (5913).

Communiter tenent DD. tanquam suspectum posse recusari judicem cujus assessor meritò suspectus est. Multi autem tenent delegatum Episcopi non posse recusari, eò quòd suspectus sit Episcopus, quia delegatus habet tribunal ab Episcopali diversum. Vide ap. D. Bouix (*De Judic.*, tom. 2, p. 184).

5917. Utrum autem omnino nulla esset aut solùm rescindibilis sententia à judice prolata, non obstante ipsius recusatione, dubitatur apud DD. (Vide Reiffenst., *De Judiciis*, tit. 28, n° 326): nulla videretur si causa suspicionis esset notoria, vel si jam arbitri essent electi; exceptis verò his casibus, solùm videtur esse rescindibilis: sic enim habet Innocent. III, cap. *Super quæstionem* 27, § 5, *de offic. jud. deleg.* : « Si justam recusationis causam noluit admittere » delegatus, sed coram suspectis eum litigare cogebat, à » tali gravamine licitè potuit ad nostram audientiam ap- » pellare; quodque post appellationem hujusmodi est præ- » sumptum, judicari debet irritum et inane. » Vide *Prælectiones S. Sulpitii* (n° 636, *in fine*).

5918. — X. *De reconventione seu mutuis petitionibus. Reconventio est actus quo reus post oblatum et visum actoris libellum, vicissim aliquid ab eo petit coram eodem judice ac in eodem judicio, etiamsi aliàs judex ille non esset actoris competens.* Ita Schmalzgrueber. Debet ergo fieri reconventio coram eodem judice et durante eodem judicio, sive eadem sive alia sit causa (Devoti, *De Judiciis*, tit. 12, § 2). Tres tamen casus sunt excipiendi : 1° si causa sit spiritualis et judex laicus; 2° si judex sit reo suspectus : tunc enim reus potest intra 20 dies causam suspicionis proponere, et hâc probatâ, coram alio utramque litem ventilare; 3° si judex esset tantùm arbiter, quia arbiter de iis duntaxat super

quibus compromissum fuit potest respondere. Vide Card. Soglia, *Instit. jur.*, § 212, *versùs finem.*

5919. Regulariter reconventio locum habere potest in omnibus causis civilibus quæ specialiter in jure non sunt exceptæ. Ita communiter, etiam quoad causas summarias (Clem. 2 *de verbor. signific.*). Quædam tamen causæ excipiuntur, ut videri potest ap. Bouix (*ib.*, p. 187); imò conventus civiliter potest etiam criminaliter reaccusare : quo casu, sententia super causâ civili ferri nequibit antequam pronuntiatum fuerit super criminali à reo opposito. — Conventus autem criminaliter non potest civiliter actorem convenire, quia causa criminalis, utpote principalis facit silere civilem. Ita Lex *Consensisse*, et Lex fin. ff. *de Judic.*, etc. Unde illâ pendente, civilis intentari non potest; nec pariter potest actorem criminaliter reaccusare (can. *Neganda* 2, et causa 3, q. 11), et hoc ex jure Justinianæ (Leg. *Si quis reus*, ff. *de public jud.*), ubi Ulpianus ait : « Non » relatione criminis, sed innocentia reus purgatur. » Vide plures alios casus exceptos, ap. Bouix (*ib.*, p. 188).

5920. Duplex est effectus reconventionis : 1° Judicis prorogat jurisdictionem ita ut illum competentem efficiat quoad actorem, etsi aliundè quoad ipsum esset incompetens; 2° facit ut causa reconventionis simul cum causâ conventionis tractari possit, et utrique causæ simultaneè procedi valeat.

5921. « Modus autem hic observandus : 1° cùm actor » libellum conventionis et reus libellum reconventionis » obtulerit, priùs respondere debet reus libello actoris et » dein actor libelloreî; 2° sequitur contestatio litis, et post » hanc actus judicialis, qui de utrâque causâ vicissim, et » si fieri potest eâdem die expediri debent (cap. *Intellexi-* » *mus* et sequent. *de ordin. cognit.*; Clement. 2, versu » *Nos usum*, *de verb. signif.*); 3° si de utrâque simul » liqueat, utramque judex terminabit unâ sententiâ (cap. 1; » *de mutuis petit.*); si alterutra majorem indaginem exi- » gat, altera de quâ liquet suspendi debet, usquedum de » alterâ liqueat...; 4° sententia sic concipitur, ut in eâ » scribatur caput conventionis, deinde caput reconven-

» tionis... ita ut semper prærogativa detur actori. » Ita Schmalzgrueber ap. Bouix (*ib.*, p. 188 et 189).

5922. Ut duos præfatos effectus reconventio operetur, necesse est eam proponi ipso litis exordio, aut saltem statim post litis contestationem (cap. *Ex literis* 1, *de Mutuis petit.*, Clem. 2, versu *Verum*, *de verb. signif.*). Si verò post litem contestatam moveatur reconventio, solum effectum prorogationis habet, si durante eodem judicio proponatur. (Bouix, *ibidem.*)

§ II.

Tela processûs criminalis à contestatione litis usque ad sententiam definitivam exclusivè.

5923.—I. *De litis contestatione.* In tribus consistit, juxta canonistas, litis contestatio : 1° fieri debet petitio ab actore cui reus respondet; 2° hæc duo fieri debent coram judice; 3° responsio fieri debet animo litigandi.

Etiam in processu criminali fit litis contestatio: sed tunc fit per interrogationem judicis et rei responsionem, etiamsi procedatur per viam accusationis (Bouix, *ib.*, p. 192). Unde contestatio tunc non differt ab examine rei de quo infrà, n° III.

5924. Adeo necessaria est litis contestatio ut, eâ prætermissâ, *regulariter* processus sit irritus et nulla sententia. Ità omnes, et eruitur ex nonnullis juris Justiniani textibus et ex Decret. *Olim*, tit. 5, lib. 2 Decret.; item ex tit. 6, ejusdem libri, qui sic exprimitur : « Ut lite non contestatâ, » non procedatur ad testium receptionem, vel ad senten- » tiam definitivam. »

Quædam tamen exceptiones sunt admittendæ, nempe : « 1° In judiciis summariis...; 2° in causis appellationis...; » 3° in causis notoriis...; 4° in causâ coram Papâ...; 5° uni- » versim in omnibus casibus in quibus non requiritur » libellus; cùm enim libellus sit origo litis, remisso libello, » remittitur etiam litis contestatio. »

5925. Sed notandum est quòd procedi possit ad testium receptionem, lite non contestatâ, in pluribus casibus, vide-

licet si de morte testium timeatur, si absentia diuturna futura esset : in iis enim casibus, si civiliter esset agendum, ne veritas occultaretur et probationis copia subtrahi contingeret, testes essent recipiendi, lite non contestatâ, juxta cap. ultim. *Ut lite non contestatâ*, etc. Item in casu contumaciæ rei, si procederetur per viam inquisitionis; vide supra (5886); et Reiffenst., *De Judiciis*, pars 1, lib. 2, tit. 6, nis 6-21.

5926. Plures sunt effectus contestationis litis : 1° per eam incipit judicium ; 2° à tempore litis contestatæ currere incipit instantia ; 3° actio personalis per eam fit litigiosa ; 4° absque eâ sententia definitiva ferri nequit ; 5° lite contestatâ, judex recusari nequit nisi ob causam suspicionis supervenientem ; 6° litis contestatio excludit exceptiones dilatorias, nisi de iis antea fuerit interjecta protestatio, aut ex novâ causâ emerserint; 7° interrumpit præscriptionem longi temporis (10 vel 20 annorum) quoad reum ; 8° perpetuat actionem per 40 annos à tempore contestatæ litis computandos ; 9° à die contestatæ litis possessor non ampliùs facit fructus suos, sed conservare et actori, si litem obtineat, restituere tenetur ; missus tamen in possessionem per actionem realem, post litem contestatam fit verus possessor. Vide alios effectus recensitos à Schmalzgrueber (ap. Bouix, *De Judic.*, tom 2, p. 193).

5927. — II. *De juramento calumniæ et de juramento veritatis et malitiæ :* juramentum *calumniæ* est illud quo partes litigantes jurant quòd in judicio, tàm agendo quàm excipiendo et defendendo, absque fraude et calumniâ versari omniaque bonâ fide per gere velint. Ita Schmalzgrueber : et ex hâc definitione patet juramentum calumniæ versari circa totam litem.

5928. Juramentum *veritatis* est illud quo quis jurat se velle veritatem dicere : præstari potest super speciales articulos, etiam post præstitum calumniæ juramentum. Idem est dicendum de juramento *malitiæ* quo litigans jurat se per tale suum dictum aut factum, nequaquam fraudem adversario moliri, sed bonâ fide ad jus suum prosequendum agere. (Vide Bouix, *ib.*, p. 195.)

5929. Ex variis Constit. quæ legi possunt in tit. 7, lib. 2 Decret., necnon sub tit. 4, lib. 2, in 6°, præfata juramenta essent præstanda etiam à reo in causâ criminali, modò causa non sit capitalis, et etiam in causâ appellationis. Attamen ex consuetudine juramentum calumniæ non erat præstandum nec à Principibus nec à Promotore fiscali; insuper tum clerici qui causas suarum ecclesiarum agebant, tum Episcopi qui per procuratorem litigabant tum Communitates poterant per procuratorem vel syndicum hoc juramentum præstare.

30. Ex cap. *Inhærentes* 1, *de juram. calumniæ*, Episcopi non deberent præstare juramentum calumniæ absque veniâ S. Pontificis, et clerici absque licentiâ sui respectivi Episcopi: sed huic dispositioni, juxta Giraldi, derogatum fuit contrariâ consuetudine. Vide *Prælect. S. Sulpitii*, n° 638.

5931. Hodie pro certo haberi potest quòd ita obsoleverint juramenta *calumniæ et malitiæ* in foro ecclesiastico, ut, in nullo casu, adhiberi soleant.

Quoad verò juramentum de veritate dicendâ, illud quidem judex, sive ex auctoritate propriâ sive ex instantiâ unius partis, potest ab alterâ etiam à reo in causis civilibus non arduis, aut quæ non diffamant, in supplementum probationum exigere; sed hodie in causis criminalibus non ampliùs exigitur à reo principali criminaliter examinato, nisi ut testis quoad alios examinatos. Illud enim fuit prohibitum à Bened. XIII in Concilio Romano anni 1725 (tit. 13, cap. 2), et quamvis jus non faciat extra provinciam romanam, attamen hæc prohibitio de facto generaliter ubique observatur, et pro communi jure haberi jam potest. Vide ap. Bouix (*ib.*, p. 195-201).

5932. — III. *Ordo in examine quæstionum servandus.* Modus est servandus à judice in examine quæstionum: si enim sint plures quæstiones solvendæ quarum una dependet ab alterâ, illa priùs in judicio est tractanda et decidenda à cujus decisione alterius dependet: ratio liquet: v. g., si mulier petat aliquem sibi in virum restitui, vir autem objiciat adesse impedimentum consanguinitatis, priùs est cognoscendum

de impedimento quàm de existentiâ contractûs matrimonialis. Propter eamdem rationem, si allegetur aliqua exceptio dilatoria, regulariter proponi debet ac discuti hæc exceptio antequam procedatur ad negotium principale, cum subsistente hâc exceptione, inutiliter et sæpe nulliter procederetur in causâ principali. (Vide Reiffenst., *De Judiciis*, tit. 10, n^is^ 4-14.)

5933. — IV. *De examine rei.* Summâ maturitate procedendum est ad rei examen, cùm illud sit fundamentum sententiæ deinceps proferendæ.

Quærit. 1° An reus teneatur judici fateri suum delictum?

Resp. Vel judex legitimè interrogat, vel non : si posteriùs, extra controversiam est non teneri tunc respondere ; si verò priùs, unanimiter dicunt DD. reum teneri suum crimen fateri si ex confessione gravem pœnam non habeat sibi formidandam : in suâ Constit. *Paterna*, pro Jubilæo 1750, Bened. XIV, dando confessariis facultatem absolvendi *carceratos quorum criminales causæ nondum conclusæ sunt*, adjicit : « *Iisdem seriò* admonitis, de obligatione quâ » tenentur judicibus, super eorum delictis legitimâ auc- » toritate eos interrogantibus, veritatem aperire, quodque » hoc animi proposito carentes, absolutionem sacramen- » talem, nullo fructu, quin potiùs majori animarum sua- » rum damno susciperent. »

5934. Sed quid de casu quo magna pœna immineret? — Non concordant in hoc DD. : alii enim cum S. Thomâ (2, 2, q. 69, art. 1, ad 2) affirmant reum teneri ad delicti sui confessionem ; et hanc sententiam S. Liguor. (lib. 4, n° 274) vocat probabiliorem. Alii verò negant, et eorum sententiam idem S. Liguorius satis probabilem dicit ; unde casu quo reus, crimen suum fatendo, damnandus esset ad mortem, aut triremes, aut carcerem perpetuam, vel ad amissionem omnium bonorum, vel totius famæ et honoris, non videtur obligandus ad hanc confessionem, nisi tunc illam exigeret necessitas boni communis, si nempe prodendi essent socii criminis in casu hæreseos vel læsæ majestatis, etc. : ratio quia aliter sat est probabile quòd judex non habeat jus ad hanc confessionem exigendam ; et ideo

reus amphybologiis crimen celando contra justitiam non peccat, modò tamen habeat spem evadendi. Interrogatus autem reus in dicto casu posset negare suum crimen, etiam cum juramento, saltem sinè gravi peccato, subintelligendo *non commisisse quatenus teneatur fateri*. Vide S. Liguor. (lib. 4, n° 274; lib. 3, n° 156); Stremler (*Des Peines ecclés.*, p. 166-178). Secus opinatur Lequeux ex cap. *Quâcumque* 9, causa 22, q. 5 (n° 1312, *in fine*).

Casu autem quo reus est in bonâ fide, et prævidetur quòd difficilè poterit induci ad fatendum crimen, confessarius debet illum relinquere in suâ bonâ fide, etsi aliunde teneretur ad illud confitendum (S. Liguor., lib. 4, n° 274). Post latam sententiam reus non tenetur confiteri crimen quod ante injustè negavit : quia, finito judicio, finitur rei obligatio. Idem est dicendum de teste. Controvertitur autem an ante latam sententiam reus teneatur ad fatendum suum crimen, etsi non ampliùs interrogetur; probabiliorem sententiam affirmantem vocat S. Liguor. (*Ib.*)

5936. Quærit. 2° Quandonam judex censendus sit legitimè interrogare?

Resp. Ut legitimè interroget judex, requiritur : 1° ut sit competens; 2° ut servetur juris ordo; 3° ut jam exstent contra reum, vel infamia, vel gravia indicia, vel semi-plena probatio etiam in casu quo proceditur per viam accusationis; 4° ut reo manifestaverit judex quænam contra ipsum exstet infamia, vel gravia indicia, vel semi-plena probatio. In rebus tamen levioribus, reus si sciat judicem esse probum et doctum debet præsumere quod habeat jus interrogandi et debet ei veritatem dicere.

Judex autem secretum à subdito extorquens præter jus, mortaliter peccat; nec potest ulterius procedere aut illum punire, tam si extorserit ab ipsomet reo quàm à teste : injustè verò censetur extorquere, quando minas, vim aut tormenta illicitè exhibet, ut criminis confessionem eripiat ab eo de quo nulla exstant indicia, infamia, aut probatio. (Pelleg., ap. Bouix *ib.* p. 204, 205; Stremler, *Des Peines ecclés.*, p. 166.)

5937. — V. *De positionibus, articulis et capitulis.*

1° « Positiones dicuntur breves quædam... assertiones » alicujus facti ad causam controversam pertinentis, super » quo petitur ab adversario responderi; idque ideo, ut » ponens... ab onere probandi, per confessionem adver- » sarii relevetur. Ex his positionibus, *articuli* appellantur » eæ... quas reus negat et consequenter actor probare de- » bet. » Schmalzgrueber (ap. Bouix, *ib.*, p. 207).

« Positiones quales hodie adhibentur, jus civile ignoravit, » atque eorum primum meminerunt Decretales, c. 54, *de* » *Elect.*, etc. » Devoti, *De Judic.*, tit. 9, § 5, *in notâ.*

2° Ex his *articuli* sunt ea asserta quorum veritatem se velle probare, per testes aut instrumenta, judici declarat actor aut reus.

Jungi in unum possunt articuli et positiones, hâc formulâ : *Titius ponit et quatenus negetur probare intendit* 1°, 2°, etc.

3° Si hoc fiat in criminali processu, positiones et articuli *capitulorum* nomine appellantur.

5938. Jure communi servandus videtur usus positionum, articulorum, aut capitulorum. Id constat ex Clement. *Sæpe* 2, *de verb. signif.*, et cap. *Qualiter et quando* 24, *de Accusat.* In multis tamen curiis ecclesiasticis (prout in Gallià) invaluit contraria et præscripta consuetudo, et post contestatam litem, statim producuntur et examinantur testes super contentis in libello.

Is cui positiones offeruntur cogi potest ut respondeat purè ac simpliciter per verbum *credit* vel *non credit;* aut si positio sit partim vera, partim falsa, per verbum *non credit ut ponitur.*

Exigi debet juramentum, et à ponente (nisi esset *Procurator* fiscalis, quia sufficit ipsius juramentum semel ab eo præstitum de fideliter explendo suo munere) et à respondente. Si tamen præstitum fuisset juramentum calumniæ, opus non esset novo juramento, nisi pars altera illud exigeret. (Bouix, *ib.*, p. 212.)

De terminis autem ad ponendum, ad articulandum, vel ad capitulandum, et insuper de termino probatorio seu ad probandum assignato, vide apud eumdem Bouix (*ib.*, p. 213

et 214). Peracto enim rei examine assignatur accusatori vel Promotori terminus ad capitulandum, admissorumque capitulorum copia traditur reo, cui pariter assignandus est terminus ad dandos defensorios articulos, quibus tandem acceptis, judex decernit publicari processum huc usque peractum.

5939. — VI. *De publicatione processûs offensivi et de articulis interrogatoriis.*

Processus *offensivus* est ea pars processûs criminalis quæ præcedit decretum judicis, quo reo copiam actorum concedit ut sese defendere possit.

Necessaria est publicatio hujusmodi processûs, saltem quoad concedendam reo copiam actuum ut sese defendere possit, et adeo jure canonico est requisita ut, eâ omissâ, processus ipso jure esset nullus.

5940. Duplicem effectum habet publicatio præfata : 1° ex probabiliori sententiâ post hanc publicationem nullus alius testis pro informatione curiæ admitti potest; 2° dat reo jus habendi copiam processûs.

Dando copiam processûs, judex non tenetur manifestare nomina testium, antequam repetantur, nisi reus declaret se habere testes in informativo processu receptos pro *ritè et rectè citatis et examinatis.*

5941. Datâ prædictâ processûs copiâ, assignatur reo terminus *ad porrigenda interrogatoria*, si qua exhibere velit. Hæc *verò interrogatoria* sunt quæstiones testibus proponendæ. Si arctior terminus fuerit assignatus, prorogationem temporis reus petere potest, etiamsi crimen confessus fuisset, et potest appellare si injustè negetur.

Elapso autem defensionum termino, si reus, delicto spontaneè confesso, defensionibus renuntiet, judex potest statim ad sententiam condemnatoriam procedere.

5942. — VII. *De repetitione et confrontatione testium pro legitimatione processûs.*

Si reus noluerit declarare se habere testes pro legitimè citatis et examinatis, omninò necessaria est ipsorum repetitio, citato priùs reo, ut videat eosdem juramentum præs-

tare de veritate dicendâ : quod requiritur sub pœnâ nullitatis.

5943. Hæc repetitio fieri debet : 1° per ipsummet judicem : constat ex cap. 1, *de Testib. cogendis.* Excipitur 1° si testes sint infirmitate vel alio impedimento detenti ; 2° si sint... alterius jurisdictionis, quia tunc eorum examen est necessariò alteri demandandum ; 3° si sint magnæ dignitatis, quia tunc judex potest alteri committere ut eorum repetitionem recipiat.

2° Repetitio fieri debet perinde ac si testes nondum fuerint examinati : ab eis exigitur juramentum quoties repeti necesse erit.

3° Fieri debet post publicationem processûs informativi, in quo jus canonicum à Justiniano differt.

4° Ante conclusionem in causâ.

5° Priùs super interrogatoriis à reo propositis, et postea super examine jam facto ad informationem curiæ.

6° Debent affirmare vera esse quæ deposuerant in priori examine ; si duntaxat dicerent se non recordari an vera sint primùm deposita, nihil probarent.

7° Depositiones in extensum sunt repetendæ, nec sufficit quòd se referant ad dicta in priori examine. Ita communiùs contra paucos veteres.

5944. Confrontatio testium fit quando judex eos in faciem rei adducit, atque, eo audiente, primam depositionem iterari jubet ; fit autem hoc modo 1° petitur à reo an cognoscat testem, eumque habeat pro viro probo ; 2° adducitur ille testis, et præstito ab eo juramento de veritate dicendâ, ab ipso petitur an cognoscat reum, et vicissim à reo an cognoscat testem ; 3° interrogatur testis an deposita ab ipso in primo examine vera sint et adhuc tanquam vera deponat ; deinde lectâ ab actuario primâ testis depositione et eâ à teste confirmatâ, petitur à reo an adhuc deposita contra ipsum falsa esse contendat ; 4° datur reo facultas testem interpellandi, et dicta ab utroque ab actuario notantur ; 5° dimisso teste, vocantur successivè alii qui simili modo examinantur.

5945. Hæc confrontatio non est necessaria, sed est re-

medium extraordinarium quo uti cautè debet judex, et nonnisi rarissimè juxta canonistas. Remedium verò ordinarium est repetitio, quæ tamen omitti potest quando fit confrontatio. (Bouix, *De Judic.*, tom. 2, p. 221, 222.)

5946. — VIII. *De processu defensivo.* Jus habet reus ut judex audiat suam defensionem, ad quam sic procedi debet.

Per se vel per advocatum reus scripturam concinnat, in quâ enuntiat varia capita ex quibus suam innocentiam ostendi contendit et idoneas probationes se producturum promittit; scripturam hanc tradit judici. Articuli verò quibus constat vocantur *defensorii*. Pro formâ in eo observandâ, vide *Formularium* D. Bouix, p. 579.

Constituto ergo die, reus debet producere suos testes et alia documenta; testes, delato ipsis priùs juramento, more consueto examinantur.

Examinatis testibus, documentis et omnibus quæ ex utrâque parte proferuntur, fieri potest processûs defensivi publicatio, quæ tamen non est necessaria.

Quando reus nihil novum habet ad sui defensionem producendam, partes citantur ad sententiam definitivam; monentur tamen in decreto citationis ut veniant cum advocatis qui merita causæ ante sententiæ prolationem discutiant.

5947. Die assignato, auditur primò advocatus rei, vel ipse reus si velit audiri : postea auditur Promotor Fiscalis vel advocatus accusatoris si per viam accusationis procedatur; tunc advocato rei conceditur replicatio et Promotori pariter replicatio ad replicationem, et sic deinceps usque ad numerum per stylum curiæ determinatum, ita ut tamen semper ultimo loco audiatur defensor rei.

« Jure civili, ait Devoti (*De Judic.*, tit. 10, § 12), definitus » (non) est modus defensionum quæ ab actore et à reo » proponuntur. Sed in foro ecclesiastico hæ duplicationes, » triplicationesque non obtinent; verùm judex ex officio » iis modum constituit et causam definit. »

His autem loqui desinentibus, judex definitivam sententiam pronuntiat.

5948. — IX. *De sententiis interlocutoriis.* Sententia interlocutoria est illa quâ Judex, non de causâ principali, sed duntaxat de causâ aliquâ incidente pronuntiat. — Est vel *simplex*, si, v. g. Judex concedit dilationem, vel pro certo die partes assignat, vel alia extra causam principalem decernit quæ non sunt definitiva. Vel est *vim habens definitivæ*, ut esset sententia quâ judex juramentum purgatorium parti defert, vel quâ pronuntiat actorem sufficienter intentum suum probasse, vel se esse competentem, vel ècontra, etc.

Sententia interlocutoria non requirit scripturam, nec citationem partis; secus est dicendum de definitivâ.

5949. Sententiam interlocutoriam judex potest corrigere et revocare regulariter: excipe 1° si jam sit executioni mandata; 2° si rogatus ut illam revocaret judex ècontra illam firmavit; 3° si à Superiore ad quem fuit appellatum, approbata fuerit; 4° si fuerit lata de consensu utriusque partis; 5° si judex appellationi ab interlocutorià suâ consensit, eique fuerit inhibitum ne in causâ procederet; 6° si interlocutoria vim habeat definitivæ.

A tempore Concilii Trid. non licet appellare à sententiis interlocutoriis nisi in quibusdam casibus, ut supra diximus (5794, 651) ex Conc. Trid. (sess. 13, cap. 1, et sess. 24, c. 20).

§ III.

Tela processûs criminalis à sententiâ definitivâ usque ad finem.

PUNCTUM I.

DE SENTENTIA DEFINITIVA.

5950. Sententia definitiva est *sententia quâ judex pronuntiat super causâ principali in judicio deductâ.*

Debet esse vel *absolutoria* quâ reus absolvitur à crimine contra ipsum allegato; vel *condemnatoria* quâ ècontra de eo nocens declaratur et ad pœnam damnatur. Sed posset

sententia esse duntaxat *declaratoria* quâ aliquis declaratur criminis reus, adeoque in pœnam incidisse quæ ipso facto per legem inflicta est. Effectus autem hujusmodi sententiæ retrohabitur ad tempus quo delictum fuit patratum. Unde, v. g. si ob delictum aliquis ipso facto privaretur jure eligendi, sententia irritas faceret seu potiùs declararet electiones à die commissi criminis peractas. Excipe tamen actus jurisdictionis qui semper validi sunt, si Ecclesia ob bonum publicum defectum suppleat. Vide Card. Soglia, *Inst. jur. priv.*, § 225.

5951. Quærit. Qualis esse debeat sententia ut sit canonica?

Resp. I. Debet esse absoluta, non verò conditionata. Non tamen omnis conditio irritat omnes sententias, sed solùm illa quæ est conditio propriè dicta, et actum suspendit ad futurum eventum : unde conditio de præterito vel de præsenti, sententiam non irritat.

5952. — II. Sententia debet esse conformis libello (*requête*) ex cap. *Qualiter* 24, circa finem, *de Accus.*, et ex Clement. 2. § *Verùm*, *de verb. signif.* Sed hoc est intelligendum ut patet, quoad *modum* duntaxat *dicendi*, non verò quoad conclusionem actoris. Debet autem esse conformis in tribus : 1° *in re quæ petitur;* unde si res petita præstari potest, reus non potest condemnari ad ipsius æstimationem ; 2° *in causâ petendi*, unde si res petatur ex causâ donationis, etc., non debet adjudicari ex aliâ causâ ; 3° *in actione*, unde judex debet sequi eam quæ instituta est, etiamsi actor aliam sibi utiliorem habuisset. Sunt tamen casus in quibus judex deflectere potest à libelli petitione : talis est casus 1° si hoc necessitas vel æquitas suadeat : nam sententia maximè debet esse ex æquo et justo lata ; 2° si de iis quæ virtualiter et tacitè rei insunt, ut si petatur fundus, potest condemnare etiam ad fructus ; 3° in causis criminalibus, in quibus judex condemnare debet ad pœnam quæ sibi justa videtur, quamvis de eâ nihil expresserit accusator in suo libello.

5953. — III. Sententia debet certè esse juri conformis ; porrò ut hoc benè intelligatur, observandum est quòd sen-

tentia possit esse contra jus duplici modo : vel quia nempe est contra dispositionem legis ; vel quia est contra jus litigantis : *si priùs*, adhuc est distinguendum : vel id in quo sententia lædit legem est *causæ extrinsecum*, v. g. si judex est notoriè excommunicatus, et tunc sententia est ipso jure nulla ; vel id est causæ *intrinsecum*, si v. g. judex pronuntiet validam esse electionem à clericis suspensis peractam ; et tunc si error exprimatur in sententiâ, ea est iterum ipso jure irrita, nec opus est ab eâ appellari, sed tamen aliquando posset firmari per præscriptionem (cap. *Sententia* 1, *de sent. et re judic.*; cap. *Quæ contra* 64, *de regul. juris* in 6°) ; si autem error in sententiâ non exprimatur, habetur ut valida, ita ut nisi intra decem dies appelletur, transeat in rem judicatam.

Si *posteriùs :* quantumvis ejusmodi sententia sit iniqua (modò iniquitas ejus non sit *notoria*) habenda est ut valida, et in rem judicatam transit, nisi condemnatus intra decendium appellet. Ita communter ap. Bouix (*De Judic.*, tom. 2, p. 230 et 231).

5954. — IV. Ad valorem sententiæ requiritur ut feratur, citatis partibus et quidem trinâ citatione vel unâ peremptoriâ (Clement. *Pastoralis* 2, *de sent. et re judic.*) ; si pars citata per contumaciam non compareat, valdè pronuntiari potest sententia; si absit ex justâ causâ, vel illa causa nota est judici, vel non : si priùs, sententia ejus est nulla (Ex leg. *Ea quæ* 7, tit. *quomodo et quando* ; et ex Auth. *Qui semel eodem titulo*) ; valida est è contra, si illa causa judici est ignota. (Bouix, *ib.*, p. 231.)

5955. — V. Quæritur an ad valorem sententiæ requiratur ut cum præscriptis processûs ordinarii solemnitatibus feratur ?

Resp. Distinguendo : vel judex in casu procedere debet per processum ordinarium, vel per processum extraordinarium valet procedere, ex notorio videlicet, aut summariè, aut extrajudicialiter : in primo casu, irrita est sententia in quâ non observantur substantiales processûs ordinarii solemnitates ; secus, in secundo casu, modò observentur ea quæ ad valorem processûs extraordinarii requiruntur :

5956. Ad valorem autem sententiæ in processu ordinario, requiritur 1° ut judex illam pronuntiet sedens pro tribunali : cap. ult. *de sent. et re jud.*, in 6°; secus est in processu summario (Clem. *Sæpe* 2. *de verb. sign.*).

2° Requiritur ut sententia sit scriptis prolata (cap. *Etsi* 5, *de sentent. et re judic.*, in 6°), excipe 1° si à Papâ feratur; 2° si causa sit levioris momenti ; 3° si sit ex notorio ; 4° si sit interlocutoria, quæ tamen à notario in scriptum est referenda.

3° Ut proprio judicis ore pronuntietur. Ita Schmalzgrueber, ap. Bouix (*ib.*, p. 232 et 233). Vide tamen cap. *Etsi* modò citatum.

5957.—VI. In quolibet loco suæ diœcesis, per se vel per alium, Episcopus potest ferre sententiam in causis ad forum suum pertinentibus (cap. *Cùm Episcopis*, *de officio ordin.*, in 6°).

Illas ferre debet antequam instantia sit perempta ; perimitur autem instantia, juxta Justinianum jus, triennio in civilibus et biennio in criminalibus (Vide Conc. Trident., sess. 24, c. 20) ; et huic juri est standum : alia tamen vigebat consuetudo in Galliâ juxta Fleury, ut videre est apud Lequeux, n° 1281, *in notâ*.

5958. Item illas ferre debet die et horâ in citatione assignatis, alioquin non valent. Potest tamen eas in contumaces pronuntiare post terminum indicatum.

Ferendæ sunt in die non feriato, etsi partes consentirent, nisi de feriis rusticanis ageretur, de quibus vide cap *Conquestus* 3, *de feriis* (Soglia, *Inst. jur. priv.*, § 210 ; Devoti *De Judic.*, tit. 10, § 6), aut nisi in eo dispensatum fuisset — Ferri debent interdiu, non verò de nocte : cap. *Consuluit* 24, *de officio judicis delegati*. Excipe *si consuetudo* aliter induxerit, vel si partes non contradicant.

5959. Regulariter non est necesse quòd judex causam exprimat quâ movetur ad ferendam sententiam (cap. *In præsenti* 6, *de renunt.*; et cap. *Sicut* 16, *de sentent. et re judicat.*). Excipiuntur : 1° causæ criminales, imprimis si excommunicatio feratur : non tamen hæc expressio causæ

requiritur ut sententia sit valida (cap. *Medicinalis, de sentent. excomm.*, in 6°).

2° Causæ appellationis, si sententia in primâ instantiâ lata revocetur (cap. *Bertholdus* 18, *de sentent. et re jud.*) 3° Quando in sententiâ, à jure, statuto aut consuetudine receditur. Vide alium casum à Schmalzgrueber relatum, ap. Bouix, *De Judiciis*, p. 234.

5960. — VII. Quæritur quandonam sententia in rem judicatam transeat?

Resp. Hoc regulariter evenire quando, sive expressè, sive tacitè (v. g. non appellando), condemnatus sententiæ acquiescit.

Plures casus excipiuntur à Schmalzgrueber : 1° casus quo sententia est irrita ipso jure (ut si à judice incompetente, vel in falsum procuratorem mandato carentem, aut contra jus commune sit lata); nec in eo casu appellatio est necessaria, prout supra diximus (5953). 2° Si sententia lata sit in causâ matrimoniali, et de ipsius valore agatur : ratio patet. 3° In causâ beneficiali; nam etsi sententia in rem judicatam, quoad eum qui succubuit et intra decendium non appellavit, transierit, attamen validitas tituli posset ab alio opponi, et de eâ etiam judex potest inquirere (cap. *Constitutis* 46, *de appell.*). 4° Si feratur sententia excommunicationis, suspensionis et interdicti : censuratus quidem non potest post decendium appellare, sed potest querelam deferre de talis sententiæ injustitiâ, et ab eâ petere absolutionem (cap. *Cùm contingat* 36, *de offic. jud. deleg.*; cap. fin. *de pœnis*; cap. *Sacro* 48, *de sentent. excomm.*). Eodem modo probari posset aliquem esse censurâ ligatum contra sententiam quâ eâ immunis pronuntiatus fuit, nam sententia non potest mutare rei veritatem, si reverà is sit excommunicatus. 5° Si sententia lata sit ex falsis instrumentis et testimoniis, etiam post decendium sententia hujusmodi retractari potest. 6° Sententia lata ex juramento necessario, secus si à parte fuerit delatum. Si ex repertis postea instrumentis falsa reperiatur, retractari potest et debet. — Lex *Admonendi*, ff. *De Jurejurando*.

5961. — VIII. Quinam sint effectus sententiæ definitivæ?

Resp. Illos effectus respicere vel judicem, vel partes, vel causam :

1° *Quoad judicem :* sententiam definitivam à se latam judex nec revocare nec corrigere potest, etiamsi agnoscat illam esse injustam, et partes consentiant ut corrigatur : dicitur in jure romano (Lex 5, ff. *de re judic.*) : « Judex » postquam semel sententiam dixit, judex postea esse de» sinit. » Vide etiam cap. 6, causa 6, q. 4, Decreti Gratiani. Excipiendus est tamen Papa ; imò et quilibet judex si sententia jure nulla et irrita foret. » Sogl., *Inst. jur. priv.*, § 225.

5962. Etsi judex nequeat revocare aut corrigere suam sententiam, potest tamen eam ordinarius judex *declarare* (nullam nempe) et etiam eodem die supplere quæ omissa fuissent, modò hæc veniant in consequentiam principalis rei decisæ. Vide infra dicenda (6061).

2° *Quoad litigantes :* si valida sit sententia et ab eâ intra decendium non fuerit appellatum, inter partes jus facit, et ad parendum obligat (cap. *Inter* 13, *de sent. et re jud.*).

3° *Quoad causam ipsam.* 1° Per sententiam definitivam lis finitur, et si valida sit, judex desinit esse talis quoad eam. 2° Si lata sit in favorem actoris, facit ut *habeat actionem in rem intentam*, vi cujus potest persequi id ad quod reus fuit damnatus. 3° Si in favorem *rei* fuerit lata, facit ut reo competat exceptio rei judicatæ contra actorem ejusque hæredem. 4° Quandoque irrogat infamiam reo condemnato. Vide alios effectus ap. Bouix (*De Judic.*, tom. 2, p. 237).

5963. In dubio an justa sit sententia prolata, judex ad quem appellatur debet eam confirmare. (*Ibid.*)

PUNCTUM II.

DE SENTENTIÆ EXECUTIONE.

5964. — I. In omni loco effectum suum habent sententiæ quæ executione non indigent : tales sunt : 1° sententiæ absolutoriæ, quoad *rei* tamen absolutionem, non verò quoad expensas, si actor ad illas condemnetur; 2° sententiæ quibus reus aliquâ censurâ feritur : illæ enim sententiæ per seipsas effectum producunt; 3° sententiæ de

pœnâ privationis, si condemnatus se ab aliquo actu debeat abstinere, v. g. si privetur activâ aut passivâ voce, si declaretur inhabilis ad aliquod officium, etc.

5965. — II. Quoad cæteras sententias quæ executione indigent: vel agetur de regionibus in quibus Ecclesia pleno jure potitur, et judex ecclesiasticus per brachium sæculare adjuvatur; vel de regionibus in quibus hoc auxilio destituitur.

In *priori casu*, executio sententiæ fieri quidem debet auctoritate judicis ecclesiastici, sed potestatis sæcularis officium est providere ut efficaciter suas sententias judices ecclesiastici ad executionem deducere valeant.

Si sententia fuit prolata à *judice ordinario* in primâ instantiâ, ad hunc judicem pertinet sententiæ executio, qui potest vel per seipsum vel per aliquem ab ipso deputatum illam exequi.

Idem est dicendum si prolata fuit à delegato Papæ qui ad hoc servat auctoritatem per annum (Card. Soglia, *Inst. jur. priv.*, § 225, versùs finem). Controvertitur quoad alios delegatos, qui tamen certè illam exequi valent si ad hoc fuissent specialiter delegati. — Si reus privandus sit beneficio vel officio et judex non sit ordinarius, mandabit Ordinario ut exequatur sententiam : vide dicta supra (5587). Si bona in quibus executio est facienda sint in alieno territorio, seu sub alterius jurisdictione, is per *litteras requisitorias* (ut vocant) requirendus erit à judice qui sententiam tulit, ut ipse eamdem sententiam in suo territorio exequi velit. (Vide Reiffenst., *De Judic.*, tit. 27, nº 167.)

Arbitri nequeunt suam sententiam exequi, sed executio ad judicem ordinarium pertinet.

5966. Quoad sententiam judicis appellationis, vel est reformatoria, et tunc executio ad hunc judicem pertinet; vel est confirmatoria, et controvertitur inter DD. ad quem spectet sententiæ executio. Vide ap. D. Bouix (p. 239 et 240, tom. 2, *De Judic.*). Juxta Reiffenst. (*De Judic.*, tit. 28, nº 235) executio est tunc remittenda ad judicem *à quo* : in probationem affert cap. *Ut debitus* 59, *de appell.*, ubi

itur : « Illum ad inferiorem remittat »; excipit tamen casum quo judex *à quo* detulit appellationi, quia censetur judicasse suam jurisdictionem quoad casum.

5967. Circa verò epocham quâ executioni sententiæ possunt mandari : vel sunt *pœnales* et statim executionem accipere possunt nisi de iis appelletur : aliqui tamen putant expectandum esse lapsum decem dierum; vel dant *actiones reales* et executioni non sunt dandæ nisi post decennium, si non fuerit appellatum; vel præbent actiones personales, et ante quatuor menses non sunt executioni mandandæ, nisi tempus brevius assignatum fuerit a judice qui etiam potest hoc tempus prorogare ; quadrimense autem regulariter conceditur condemnato ad solvendum (cap. *Quoad consultationem* 15, *de sententiâ et re judic.*; cap. *Quærenti*, *de officio deleg.*).

5968. An autem executor sententiæ possit contra eam admittere exceptiones, vide ap. Bouix (*ib.*, p. 241). Nota solùm quòd sententia nulliter lata non sit executioni mandanda, et casu quo esset injusta tantùm, non verò invalida, vel talis sententia est injusta *solùm materialiter*, quia judex judicavit secundùm allegata et probata, et tunc ab executore est exequenda saltem in causâ civili, si superior jubeat ; vel *formaliter* injusta, quia judex non processit secundùm allegata et probata, et si hoc sit certum, sententia nequit executioni mandari.

5969. Quando à sententiâ fuit appellatum et deinde deserta fuit appellatio, pars debet citari pro executione. Ita communiter. Extra casum desertæ appellationis, si executio sit facienda in ipsâ re de quâ lata fuit sententia non est opus citatione ; si in re diversâ, citanda est tunc pars condemnata. (Bouix, *ib.*, p. 242.)

5970. Quoad *expensas :* aliæ quidem sunt *voluntariæ* ut si litigans spe obtinendæ victoriæ, liberaliorem solito erga advocatos aut alios sese exhibeat. Aliæ verò sunt *necessariæ* quæ juxta morem solvuntur procuratoribus, testibus, aliisque, etiam advocatis. Porrò ad refundendas victori priores expensas pars victa condemnari nequit ; quoad verò alias debet condemnari, si temerè litem intentavit (ex cap. *F*

litibus, *de dolo et contum.*, et ex cap. *Contumaciam*, *de pœnis*).

5971. Temerè autem nunquam censetur litigasse qui sese defendit in causâ criminali, in quâ de pœnâ sanguinis vel aliâ corporis afflictivâ agitur. Nec qui justam causam habuit litigandi, putans ex gravibus momentis sibi jus favere; undè, etiamsi uterque condemnetur, ad expensas alteri parti refundendas non sunt condemnandi.

5972. In *secundo casu* seu in regionibus in quibus Ecclesia destituitur auxilio brachii sæcularis, non inermis remanet judiciaria ipsius potestas.

Nam præter sententias quæ secum executionem trahunt de quibus diximus supra (5964), potest etiam judex ecclesiasticus sententias depositionis ab officio ferre in clericos et executionem eorum obtinere absque auxilio sæcularis brachii : cùm sufficiat ad illarum executionem ut populus christianus eas cognoscens non recurrat ad ministerium hujusmodi depositorum.

Imò per censuras sæpe judex ecclesiasticus poterit obtinere executionem pœnarum pecuniariarum aut aliarum.

5973. In Gallià haberi potest etiam hodie auxilium brachii sæcularis ad exequendum sententias depositionis et privationis in clericos. Ad hoc sufficit quòd Episcopus notam faciat Gubernio sententiam à se contra clericum latam. Et si clericus à parochiali ecclesiâ et presbyterio non recedat, vi publicâ Gubernii recedere cogetur, et insuper emolumenta à Gubernio præstita ipsi retrahentur, attamen rarò hæc sinè multis ambagibus obtinentur.

PUNCTUM III.

DE APPELLATIONIBUS.

5974. Appellatio est provocatio ab inferiore ad superiorem judicem, ratione *illati vel inferendi gravaminis*. Non potest quidem appellari à gravamine judiciali futuro, id est nondum illato seu comminato; sed potest appellari à gravamine judiciali comminato (cap. *Cum cessante* 60, *de appell.*), quia non est merè futurum, sed quasi præsens per

comminationem est habendum. Imò potest appellari à futurâ publicatione censuræ : si v. g. excommunicatus citetur ad videndum se declarari excommunicationem incurrisse. Ita Bouix (*De Judic.*, tom. 2, p. 256). Contradicit tamen Stremler, *Des Peines ecclés.*, p. 417, qui id variis momentis probare nititur. — Insuper appellari potest à gravamine extrajudiciali, etiam futuro et non comminato. Id concluditur ex Clement. *Sicut*, *de appell.*; et Glossâ, in verbo *Futuro*. Vide Stremler, *ib.*, p. 414, etc.

5975. Triplici de causâ instituta fuit appellatio : 1° ut gravamen injustè illatum repellatur; 2° ut judicantium iniquitas vel imperitia corrigatur; 3° ut litigator qui ex ignorantiâ suum jus non benè defendit, possit hunc defectum reparare. Non tamen videtur dicendum quòd jus appellandi ad jus naturale strictum pertineat. Vide Bouix, *De Judic.*, tom. 2, p. 246 et 247.

5976. Quærit. 1° Quinam possint appellare?

Resp. Generaliter appellare posse omnes qui se gravatos non ex frivolis sed ex gravibus momentis existimant, si eis hoc beneficium à jure non denegetur. Excipe 1° eum qui sententiam contra se latam approbavit sive expressè, sive tacitè, v. g. non appellando intra spatium à jure concessum; 2° qui fuit per contumaciam damnatus; 3° qui tanquam notorii criminis reus fuit condemnatus (cap. *Consuluit* 14, *de appell.*); 4° qui crimen confessus est et simul de eo fuit convictus; 5° eum contra quem tres sententias conformes in eâdem causâ eodemque articulo latæ sunt (Concord. Leonis X, cap. *Directæ* 30, *de appellat.*, ubi dicitur à jure permissum bis appellare, non ter in eâdem causâ. *Clement.* 30, *de appellat.*). — Romæ duæ sententiæ sufficiunt ut non possit appellari, juxta Devoti (*De Judic.*, tit. 15, § 6, *nota* 5). Vide alios casus ap. Bouix (*ib.*, p. 248); et Stremler (*ib.*, p. 386, etc.). Quid verò sit dicendum si in causâ pluribus communi, à sententiâ contra omnes latâ unus appellavit, vide Bouix (*De Judic.*, tom. 2, p. 248); et cap. *Una sententia* 72, *de appellationibus*.

5977. Quærit. 2° Quibusnam in casibus detur appellatio? Vide responsionem supra (645, etc.). Nota tantùm quòd

non detur appellatio à sententiâ notoriè invalidâ, seu ipso jure nullâ (cap. *Relatum* 4, *de cleric. non resid.*), quia in hoc casu sufficit *querela nullitatis*, quæ proponi potest etiam coram judice *à quo*: consuetudo tamen generalis est ut proponatur hæc querela coram judice appellationis.

In dubio de nullitate sententiæ, alternativè peti potest vel ut declaretur nulla, vel ut corrigatur si valida sit. Ita Schmalzgrueber (ap. Bouix, *ib.*, p. 250).

5978. Apud quem appellatio fieri possit aut debeat, et an à quocumque liceat appellari, vide dicta supra (658-662). Ibidem dicitur quòd appellatio sit notificanda judici *à quo*, et expenditur quæstio an legitimè possit appellari ab Officiali diœcesis ad eumdem quatenus est Officialis Archidiœcesis.

5979. Quærit. 3° Quomodo et quâ formâ appellatio fieri debeat?

Resp. I. Si appelletur *incontinenti*, seu Judice adhuc pro tribunali sedente, appellatio fieri potest vivâ voce, et tunc sufficit dicere *appello* vel *provoco* (ita jus Justin. lex *Sed si*, ff. *de appell.*, in hoc ab Ecclesiâ admissa). Si appelletur post intervallum, appellatio fieri debet per libellum appellatorium. (Lex *A sententiâ* 5, ff. *de appell.*)

5980. — II. In libello exprimi debet quis appellet, contra quem, et à quâ sententiâ (can. *Post appellationem* 31, causa. 2, q. 6). Non est exprimenda causa in specie, sed sufficit ut appellans dicat in genere se gravatum esse, vel si dicat *appello*: quia de illâ causâ judex *à quo* non debet cognoscere; excipe si appellatio fieret in casibus à jure vel ab homine prohibitis: nam cùm eo casu appellans contra se habeat juris præsumptionem, non tenetur judex ejus appellationi deferre, nisi appellans alleget causam rationabilem ob quam cessat ista præsumptio. Ita Schmalzgrueber (apud Bouix, *ib.*, p. 274).

De iis quæ specialiter concernunt appellationem à sententiâ *interlocutoriâ*, vide Bouix (*ib.*, p. 275).

5981. *Nota* quòd peregrinatio ad Sedem Apostolicam vim et effectum habeat appellationis, dummodo secuta sit intra decem dies à latâ sententiâ seu ab illato gravamine, fueritque intimata judici (cap. *Dilecti filii* 52, *de appell.*)

In cap. 6. *de appell.*, in 6°, exigitur sub pœnâ nullitatis ut tunc *apostoli* petantur cum expressione *gravaminis* (Stremler, *Des Peines*, etc., p. 427). Excipe nisi iter agressurus, à judice inferiori fuerit citatione præventus antequam iter arripuerit : cap. *Ad hæc* 30, *de appell.*; et cap. *Proposuisti* 19, *de foro competenti*. Vide Reiffenst. (*De Judic.*, tit. 29, n^is 1-5).

5982. Quærit. 4° Quid sint apostoli? Quomodo petendi et concedendi sint? Et an sint necessarii?

Resp. Vocabulo *apostolorum* hìc designari litteras quas *judex à quo*, ad instantiam appellantis, transmittit ad judicem *ad quem*, in testimonium et fidem appellationis interpositæ. (Bouix, *ib.*, p. 276.)

Plures sunt apostolorum species : videlicet 1° dimissorii quibus judex *à quo* testatur de appellatione interpositâ et admissâ; 2° reverentiales quibus testatur se appellationem admisisse, non ob ejus justitiam, sed duntaxat ob reverentiam Superioris; 3° testimoniales quibus notarius aliive honesti viri (in casu quo judex *à quo* non potest adiri, vel apostolos dare recusat) testantur coram se fuisse appellatum (cap. *Ultimatum*, *de appellat.*). Vide alias species apud Bouix (*ib.*, p. 277).

5983. Apostolos necessariò postulare debet appellans, ita ut appellatio deserta sit censenda si non petantur modo et tempore debitis : ita cap. *Ab eo*, *de appell.*, in 6°; can. *Post appellationem* 2, q. 6; Clement. *Quamvis de appell.*; estque præsumptio hæc *juris et de jure*, contra quam non admittitur probatio in contrarium si appellans *neglexerit* petere, secus si non potuit. Et hoc procedit etiamsi judex processisset extrajudicialiter : secus si appellaretur à gravamine ab alio quàm à judice illato. Jure tamen particulari et consuetudine legitimè præscriptâ, fieri potest quòd *apostoli* non sint omninò necessarii : non sunt autem in usu in Galliâ, juxtà Lequeux (n° 1292); imò juxta Devoti (*De Appell.*, n° XI). « Nunc, nullus ferè est usus apostolorum in foro, » ac per libellum appellationis intra decendium in actis » exhibitum, appellatio interponitur. » Idem ait Card. Soglia (*Inst. jur. priv.*, § 226).

5984. Omnino tenetur judex *à quo* concedere apostolos, et si recuset, *ex tunc, si fortè in causâ procedat (nisi appellationi renuntiatum fuerit), ejus invalidus et irritus est processus*, ex cap. 4, tit. 15, lib. 2, in 6°.

Jure hodierno triginta dies conceduntur ad petendos apostolos (cap. *Ab eo* 6, *de Appellat.*, in 6°); sed hoc tempus abbreviare potest judex *à quo*, et assignare appellanti terminum arctiorem, quo elapso, si appellans eos petere neglexerit, appellationi renuntiasse censetur, perinde ac si elapsi forent 30 dies de jure communi concessæ. Ita communiter.

5985. Potest judex *à quo* præfigere appellanti terminum ad præsentandos apostolos judici *ad quem;* quo elapso, si illi exhibiti non fuerint, appellatio censetur deserta.—Si verò terminum non præfigat, sex menses conceduntur numerandi à die interpositæ appellationis : multi tamen censent hoc relinqui arbitrio judicis *à quo*. Vide Bouix (*ib.*, p. 278, 279); Reiffenst. (*De Judiciis*, tit. 28, n° 167, 168); Stremler (*Des Peines ecclés.*, p. 436).

5986. Si Judex *à quo* apostolos denegaret, posset certè appellans absque iis prosequi suam appellationem. Constat ex cap. *Post appellationem*, causa 2, q. 6; et ex Clement. 2, *de Appellat.*

Nota quòd appellans debeat præsentare *Judici ad quem*, actum authenticum quo constet debitè se postulasse apostolos, et insuper probare legitimitatem suæ appellationis quando hæc probatio prærequiritur. Ita enim se habet Clemens VIII in suo Edicto *Ad tollendas*, § 3 : « Appellationes nunquam recipiantur nisi per publica documenta, » quæ realiter exhibeantur, priùs constiterit appellationem » à sententiâ definitivâ vel habente vim definitivæ, aut à » gravamine quod per definitivam sententiam reparari » non possit, in casibus à jure non prohibitis, per legitimam personam et intra debita tempora fuisse interpositam ac prosecutam...

» § 9... Cum à gravamine quod per definitivam reparari » nequit, ut indebitæ carcerationis, aut excommunicationis etiam comminatæ appellatur, nonnisi visis actis à

quibus evidenter appareat de gravamine, appellatio admittatur, aut inhibitio vel provisio aliqua concedatur. » Ide Stremler (*ib.*, p. 440) :

5987. Qui addit quòd appellans debeat præsentare judici *ad quem* exemplar authenticum omnium actuum tribunalis primæ instantiæ : quinam verò sint illi actus intelligi potest ex cap. *Quoniam* 11, *de Probationibus.*

5988. Quærit. 5° Quid sint fatalia ?

Resp. *Fatalia* sunt tempora quibus transactis appellatio vel non conceditur, vel concessa, aut jam introducta extinguitur, et quasi emoritur; sunt verò quatuor, nempe : 1° appellationis interponendæ; 2° petendi et concedendi apostolos; 3° appellationis introducendæ, seu apostolos judici *ad quem* præsentandi; 4° appellationis prosequendæ. De 2ª et 3ª specie fatalium modò diximus (5984 et 5985); de 4ª diximus supra (665) : superest igitur ut nunc dicamus de 1ª specie.

5989. — 1° Decem dies conceduntur hodie ad appellandum, sive de actibus judicialibus agatur sive de extrajudicialibus (ita cap. *Quod ad consultationem, de sententiâ et re judicatâ;* et cap. *Concertationi* 8, *de Appellat.*, in 6°). — Excipe si gravamen haberet tractum successivum, vel si appellaretur à gravamine inferendo. Prædicti dies computandi sunt à momento sententiæ si præsens fuerit ille contra quem fertur sententia; sin verò absens fuerit, à momento cognitionis illius sententiæ. Ita communiter ex cap. *Ad consultationem* 15, *de sentent. et re judicatâ;* et cap. *Concertationi* supra citat.

Præfatum decendium currit de momento ad momentum : hinc si sententia lata sit die 1ª mensis, horâ nonâ matutinâ, poterit appellari die undecimâ subsequenti usque ad horam nonam.

Si appellandum sit à gravamine extrajudiciali jam illato, decendium currit à die quo gravatus de illo gravamine sibi illato notitiam habuit. Ita Schmalzgrueber (apud Bouix, *De Judic.*, tom. 2, p. 282 et 283, ubi vide alia p. 283, etc.).

5990. Quærit. 6° Quid, post interpositam appellationem agere debeant tàm judex *à quo* quàm judex *ad quem ?*

Resp. 1° Si appellatio fuerit justè interposita, judex *à quo* debet ei deferre; justè autem interposita censeri debet si causa sit talis, quæ si foret probata, deberet legitima reputari (cap. *Ut debitus* 59, *de Appellat.*).

Judice *à quo* appellationi non deferente, appellans, si ex justâ causâ appellet, potest nihilominus judicem *ad quem* adire et appellationem prosequi. Ex canone autem *Decreto* 11, causa 2, q. 6. Judex qui non detulit appellationi (saltem si ad Papam facta fuerit) deponendus est, vel arbitrariâ pœnâ puniri potest per Superiorem ad quem est remittendus (cap. *De priori* 31, *de Appellat.*). Hoc tamen fieri debet causâ duntaxat finitâ : si enim appellans causâ caderet, ex exitu colligi posset judicem *à quo* justè appellationi non detulisse.

5991. Non debet verò judex *à quo* deferre appellationi quæ foret à jure prohibita, vel quæ frivolè et frustratoriè interponeretur (cap. 5, *De Appellat.*, in 6°) ; sed potest tunc, non obstante appellatione, suam sententiam exequi; contradicit autem Stremler (*Des Peines ecclés.*, p. 380), eò quòd judex *à quo* post sententiam definitivam jurisdictione careat; sed de hoc vide supra (5961-5966). Debet tamen etiam in hoc casu, apostolos concedere, in quibus dicat se appellationi non detulisse. Vide Bouix (*ibid.*, p. 285 et 286). — Si appellatum sit ab interlocutoriâ seu à gravamine, judex *à quo* potest se retractare, citare appellantem ad hanc retractationem audiendam, et contra illum procedere si non compareat. Generaliter adhuc potest quidquid non est in præjudicium appellationis. Bouix (*ib.*, p. 288 et 289) ; Stremler (*Des Peines ecclés.*, etc., p. 376).

5992. — 2° Judex *ad quem* cognoscere nequit de causâ principali antequam pronuntiaverit circa legitimitatem appellationis. — Si pronuntiaverit benè appellatum, tota causa hoc ipso ipsi judicanda devolvitur, etiamsi ab interlocutoriâ tantùm fuerit appellatum. Instituet ergo processum de totâ causâ, eamque terminabit per sententiam definitivam quam etiam executioni mandabit nisi ab ipsâ appelletur. (Vide Stremler, *Des Peines*, etc., p. 378).

Si pronuntiaverit benè *judicatum et malè appellatum*, et

agatur de appellatione à definitivâ, vide quæ diximus (5966); si verò ageretur de appellatione ab interlocutoriâ, tunc judex *ad quem* debet causam ad priorem judicem remittere et condemnare appellantem ad expensas. Posset tamen, juxta Stremler (*ib.*, p. 379) judex *ad quem* causam retinere si appellationi consensisset judex *à quo*.

5993. Judex *ad quem* potest inhibere judici *à quo* ne procedat amplius in causâ, sed ad hoc requiritur ut priùs ipsi constet quòd appellatio facta cum debitis solemnitatibus, sit recipienda; et, si appellatio sit ab interlocutoriâ, causa appellandi debet priùs esse probata et justificata in præsentiâ partium.

Potest etiam judex *ad quem*, tum ex officio tum ad petitionem appellantis, revocare attentata à judice *à quo* post appellationem legitimè admissam.

5994. Qui appellationem interponit potest ei renuntiare, modò pars adversa appellationem nondum acceptaverit (Vide Bouix, *ib.*, p. 287-289). Legendum est insuper circa modò dicta Decretum S. Congr. Episc. anni 1600, à Clemente VIII approbatum. Vide *Prælect. S. Sulpit.* (n° 671).

5995. *Nota* quòd, præter appellationem quæ est remedium ordinarium contra injustas sententias, adhiberi potest etiam aliud remedium quòd vocatur *supplicatio*. Hoc verò nomine intelligitur quædam precum porrectio facta Principi, ut is ex quâdam benignitate restituat supplicantem adversùs sententiam contra quam non compelit medium ordinarium. Supplicatio autem in quâcumque causâ interponi potest. Si ad principem dirigatur, proponi potest intra biennium (L. unic. c. *De Sentent.*); si verò porrigatur judici, hoc fieri debet intra decendium (Auth. *Quæ supplicatio*, c. *de precibus imp.*). Vide Reiffenst. (*De Judic.*, tit. 28, n^is^ 18-22) et supra dicta (644).

CAPUT IV.

DE PROCESSU CRIMINALI EXTRAORDINARIO.

5996. Per processum criminalem extraordinarium intelligitur ille in quo jus canonicum permittit ut non observentur omnes solemnitates in capite præcedenti descriptæ.

Quatuor illorum species numerantur : 1° processus criminalis ex *notorio* ; 2° processus summarius ; 3° sententiæ ex informatâ conscientiâ ; 4° processus inquisitorius contra hæreticam pravitatem.

ART. I.

PROCESSUS EX NOTORIO.

5997. Duplici modo delictum potest esse *notorium*, notorietate *juris* nempe et notorietate facti.

Notorium est delictum *notorietate juris* quando ipsius notorietas ex ipso judicio oritur, nempe vel per spontaneam confessionem rei in judicio factam et non revocatam, vel per probationes judiciales, vel per sententiam definitivam quæ transiit *in rem judicatam*, etsi solùm criminis vel pœnæ declaratoriam. Notorium verò est *notorietate facti*, si perpetratum fuerit in oculis vel totius vel majoris partis alicujus communitatis, parochiæ, collegii, etc. : et nullâ tergiversatione excusari possit. Vide illorum varias species et conditiones apud Schmalzgrueber à D. Bouix relatum (*ib.*, p. 295, etc.) et apud Stremler (*Des Peines ecclésiast.*, p. 73-80). — Vide dicta supra (794, *in notâ*, 1648, 1780).

5998. Casu autem quo delictum est notorium, judex non astringitur ad observandum ordinem judiciarium. Illud constat ex can. *Prohibentur* 14 et can. *Quæ Lotharius* 16, causa 2, q. 1; et cap. *Ad nostram* 21, *de Jurejurando*. Et ratio est quia ordo judiciarius solùm introductus fuit ad criminis aut juris veritatem indagandam ; sed in casu notorietatis non est opus veritatem investigare. Ergo, etc.

Hinc in notoriis non opus est denuntiatione nec libello, nec contestatione litis, nec juramento calumniæ (cap. *Evidentia* 9, tit. 1, lib. 5 Decret.).

Imò quando ita evidenter constat de patrato delicto ut nullâ omnino defensione reus se tueri possit, tunc nec etiam citatione opus est. Non tamen facilè procedi debet contra absentem, sinè prævià citatione, etiam in notorio delicto, quia contingere posset ut exceptionem aliquam ipsum excusantem allegare valeret.

5999. Non autem debet judex in *notorio citationem ad sententiam* prætermittere, nisi in præjudicium reipublicæ et in futurum scandalum mora cedere deberet; sed oportet ut, hoc casu, non solùm crimen sit certum, sed etiam ut simul certum sit quòd nulla reo supersit defensio.

Item non est opus in notorio ut judex sententiam ferat *solemniter et in scriptis*, nisi reus crimen esse notorium negaret: quo casu, necessaria foret sententia notorii declaratoria, sed non in hypothesi tamen quà delictum notorium esset factum permanens.

6000. In casu *notorii* non est locus appellationi, et istâ non obstante, judex procedere potest ad executionem (cap. *Cùm sit* 5, tit. 28, lib. 2 Decret.), modò sententia prolata fuerit tanquam in *reum notorii criminis:* secus si de hâc notorietate sileretur. Potest tamen appellari circa sententiam de notorietate. Vide Bouix (*ib.*, p. 299); Stremler (*Des Peines ecclés.*, p. 81).

6001. *Nota* quòd delictum non tantùm debeat esse notorium ut factum, sed etiam ut delictum; secus esset locus tergiversationi et excusationi, et tunc procedi non posset tanquam *de notorio*. Vide cap. *Tua* 8 (tit. 2, lib. 3 Decret.), ubi dicitur: « Cùm hujusmodi crimen nullâ possit tergi» versatione celari. » Ut verò constet de notorietate criminis prout talis, attendendum est ad naturam facti, et ad ipsius patrationis varias circumstantias. Vide Bouix (*De Judic.*, tom. 2, p. 300 et 301).

His non obstantibus, prudenter aget judex si, etiam in notoriis consuetas judiciorum regulas observet: « Multa

» (enim) notoria dicuntur quæ non sunt. » (Cap. *Consuluisti, de appellat.*)

Quomodo autem agere debeat judex in casu flagrantis delicti, vide explicatum à Schmalzgrueber apud D. Bouix (*ib.*, p. 301 et 302).

ART. II.

DE JUDICIO SUMMARIO.

6002. Judicare summariè, ex jure canonico, idem est *ac procedere simpliciter et de plano, ac sinè strepitu et figurâ judicii.*

Porrò procedere *sinè strepitu et figurâ judicii* non est omittere omnes ordinarii judicii solemnitates, sed aliquas tantùm, ut constat ex Clem. *Sæpe, de verb. significat.*

Judicium autem summarium definitur : *illud in quo omitti possunt, et de facto omittuntur, ad citiùs expediendam causam, certæ quædam, à jure determinatæ, ordinarii judicii solemnitates.*

6003. Dicitur 1° *ad citiùs expediendam causam*, et sic differt judicium summarium à processu ex *notorio :* in isto enim certæ solemnitates omittuntur quia in hoc judicio sunt inutiles, dum in summario omittuntur ne causa nimiùm protrahatur.

Dicitur 2° *de facto omittuntur*, quia secus judicium esset ordinarium.

Differt etiam *summarium* à sententiis ex *informatâ conscientiâ*, quia in istis non solùm aliquæ, sed et omnes solemnitates omitti possunt.

6004. Ex dictâ Clement. *Sæpe*, in summariis judiciis à formâ judiciorum ordinariorum recedi potest in sequentibus : 1° necessarius non est libellus; 2° nec litis contestatio; 3° validè procedi potest etiam diebus feriatis [1]; 4° necesse

[1] Juxtà *Prælect. S. Sulp.* (n° 651), Reiffenst. (*de Feriis*, n° 44) non vult hoc debere intelligi de feriis sacris, sed tantùm de feriis rusticanis, olim indultis gratiâ vindemiarum vel messium, uti dicitur in capit. *Conquestus* 5, *de Feriis*. De iis Feriis vide etiam Devoti, *De Judic.*, tit. 10, § 6.

non est partes peremptoriè citare ad definitivam sententiam, sed sufficit citatio simplex; 5° non tenetur judex sedendo pronuntiare sententiam; 6° necessarium non est fieri conclusionem in causâ.

6005. Sed ex eâdem Clement. in judicio summario observanda remanent sequentia: 1° Admittendæ sunt probationes necessariæ et defensiones legitimæ; 2° citatio omitti nequit; 3° de præstatione juramenti idem currit jus ac in ordinario judicio; 4° si actor vel reus initio aliquid petat, continuò actis inserenda est petitio; 5° remanet facultas fabricandi positiones et articulos; 6° debet proinde judex ad hoc concedere terminum, sed potest pro utrisque unicum terminum assignare; 7° quoad exceptiones et appellationes, idem remanet jus ac in judiciis ordinariis. Vide Glossam ad verbum *dilatorias*.

6006. *Nota* quòd in casu quo judici commissa est causa summariè judicanda, processus ordinarius possit adhiberi, *modò partes consentiant*. Ita dicta Clementina ubi dicitur: « Si tamen in præmissis casibus, solemnis ordo judiciorum in toto *vel in parte*, non contradicentibus partibus, observetur, non erit processus propter hoc irritus, » vel irritandus. » Imò hoc idem dicit Bouix contra Glossam, v° *Non contradicentibus*, de casu quo ex dispositione legis facultas judici datur summariè procedendi.

6007. Quærit. Quibusnam in casibus summariè possit procedi, aut debeat?

Resp. Præter casum quo Papa causam alicui commisit summariè terminandam, nisi partes velint ut ordinarius instituatur processus, summariè procedi debet « in » causis super electionibus, postulationibus, vel provisionibus, aut super Dignitatibus, personatibus, officiis, » canonicatibus, vel præbendis, seu quibusvis beneficiis » ecclesiasticis, aut super decimis..., necnon super matrimoniis et usuris, et eas quoquo modo tangentibus, ventilandis. » Ita Clement. *Dispendiosam* 2, *de Judiciis*.

6008. Insuper summariè expediri possunt: « 1° Causæ » pauperum, viduarum, pupillorum et miserabilium personarum (ex Authent. *de Mandatis Principum*, coll. 3);

» 2° causæ alimentorum (Leg. 2, ff. *de Feriis*); 3° causæ » spolii, depositi, mercedis et peregrinorum (vide Reiffenst., » tit. 1, lib. 2 Decretal., n° 48); 4° causæ religiosorum » (cap. *Olim.* 26, *de accus.*); 5° causæ levioris momenti » (Auth. *Nisi breves*, c. *de sent. ex brev. recit.*); 6° his ad- » dunt communiter auctores causas quæ, ob aliquod immi- » nens periculum, moram non patiuntur. »

6009. « D'après les SS. Canons, inquit Stremler (*Des* » *peines ecclés.*, p. 163), on doit toujours suivre la procé- » dure ordinaire quand il s'agit des causes criminelles ; » la procédure sommaire ne peut être appliquée qu'aux » causes civiles de moindre importance, et dans les cas » spécifiés par les deux Clémentines *Sæpe* et *Dispendiosam*. » Dans les causes criminelles la procédure sommaire est » nulle de plein droit, et invalide la sentence qui pourrait » s'en suivre. »

ART. III.

DE SENTENTIA EX INFORMATA CONSCIENTIA.

6010. — 1° Sententiæ ex informatâ conscientiâ sunt illæ quas judex ecclesiasticus fert sinè ullâ juridicâ informatione, sed duntaxat ex causis in suâ conscientiâ perpensis. Quapropter *ex informatâ conscientiâ* vocantur, et etiam *extrajudiciales*.

6011. — 2° In usu non erat ante Tridentinum ut aliquis posset puniri propter delictum omninò occultum : excipiebantur tamen homicidium et hæresis propter quæ crimina, licet occulta, clerici poterant prohiberi ab exercitio ordinum susceptorum, et ab ascensu ad superiores ordines : sed hoc procedebat ex eo quòd talium criminum rei essent irregulares ; excipiebantur pariter religiosi qui si à Prælatis suis noscerentur rei alicujus criminis etiam occulti, poterant ab iisdem interdici ab ascensu ad ordines. Ita cap. *Ad aures* 5, tit. 11, lib. 1 Decret. Sed à tempore Concilii Tridentini extensa fuit hæc potestas puniendi ex informatâ conscientiâ : sic enim habet Concilium (sess. 14, cap. 1, *De reform.*) : « Ei cui ascensus ad sacros ordines à » suo Prælato, ex quâcumque causâ, etiam ob occultum

» crimen, quomodolibet, etiam extrajudicialiter fuerit » interdictus, aut qui à suis ordinibus, seu gradibus, vel » Dignitatibus ecclesiasticis fuerit suspensus : nulla, contra » ipsius Prælati voluntatem, concessa licentia de se pro- » moveri faciendo, aut ad priores ordines, gradus et Digni- » tates, sive honores restitutio suffragetur. »

6012. — 3° Non pauci canonistæ, sed plerique aut Jansenistæ aut Gallicani, prout Van-Espen et Gibert, sustinuerunt ita esse intelligendum præfatum Decretum, ut possit quidem Episcopus ascensum ad ordines impedire *extrajudicialiter, etiam ob delictum occultum*, non autem à susceptis ordinibus aut dignitatibus ecclesiasticis ob tale delictum suspendere, eò quòd eæ voces *extrajudicialiter*, *ob occultum crimen*, priori tantùm membro phraseos jungantur, non autem posteriori. Sed hæc interpretatio reprobata fuit pluries à S. Congr. Concilii :

« An verba illa *ob occultum crimen*, *quomodolibet*, *etiam* » *extrajudicialiter*, expressa duntaxat in primâ parte pe- » riodi, censeantur repetita in secundâ parte, adeo ut inde » colligi valeat Prælatum, nedum posse ob occultum » crimen extrajudicialiter interdicere suo subdito ascen- » sum ad ordines, sed itidem ob occultum crimen posse » etiam extrajudicialiter illum suspendere ob ordinibus » jam susceptis : — S. Congr. die 24 nov. 1657, re sedulò » examinatâ, censuit non esse recedendum ab antiquis » declarationibus super hoc eodem dubio pluries datis; » ac proindè affirmativè respondit. » Vide plures alias decisiones apud Bouix (*De Judic.*, t. 2, p. 320-324).

6013. Constat ergo tàm ex Concil. Trident. quàm ex auctoritate S. C. Concil. Episcopos habere potestatem ex informatâ conscientiâ non solùm arcendi ab ordinibus sacris, sed etiam suspendendi ab iisdem ordinibus jam susceptis, necnon à Dignitatibus ecclesiasticis. Qui hanc propositionem negarent, censuram Bullæ *Auctorem fidei* non effugerent, ubi dicitur :

« 49. Item quæ damnat ut nullas et invalidas suspen- » siones ex informatâ conscientiâ : *falsa, perniciosa, in* » *Tridentinum injuriosa.*

» 50. Item in eo quòd insinuat soli Episcopo fas non » esse uti potestate, quam tamen ei defert Trident. (sess. » 14, c. 1, *de reform.*) suspensiones ex informatâ con- » scientiâ legitimè infligendi : *jurisdictionis Prælatorum* » *Ecclesiæ læsiva.* »

6014. — 4° Ex eo quòd Episcopi habeant dictam potestatem arcendi ab ordinibus et suspendendi ex informatâ conscientiâ, non sequitur eos sic agere posse quin ipsis constet, ex sufficientibus probationibus, de delicto clerici contra quem sic procederent. Sequitur tantùm eos non indigere ad hoc probationibus juridicis. Imò non sufficit quòd illæ probationes ipsum Episcopum convincere valeant; sed tales esse debent quæ Sacræ Congregationi Concil., casu quo ad eam recursus fieret, justæ ac sufficientes videri possint. Vide Bouix (*ib.*, p. 346-350), et *Analecta jur. pontificii*, 23e livr., col. 349, etc. Secus tamen sentit Auctor *Prælect. S. Sulpitii*, n° 656, II: juxta quem Episcopus qui asserit se esse certum de delicto, obtinere poterit à S. Congr. ut suam affirmationem habeat pro probatione sufficienti. Stremler verò (*Des Peines ecclés.*, p. 327) concedit quòd in hoc casu, dummodo verè delictum fuerit commissum, sententia Episcopi sit valida donec à S. Sede revocata fuerit.

6015. Re quidem verâ, ex Concil. Trident., « nulla » contra ipsius Prælati voluntatem concessa licentia de se » promoveri faciendo, aut ad priores ordines, gradus et » dignitates sive honores restitutio, suffragari » potest; ac proinde in casu sententiæ latæ ex informatâ conscientiâ, non potest appellari ad Metropolitanum aut alium Papâ inferiorem, ut supra diximus (647), et constat ex pluribus decisionibus S. Congr. Concil. ut videre est apud Bened. XIV (*De Syn.*, lib. 12, cap. 8, n° 5), et in Bullâ *Ad Militantis* ejusdem Pontificis, n° 23, et ap. Bouix (*ib.*, p. 321, 323); sed id non impedit quominus possit tunc ad Sedem Apostolicam recurri : idque probatur ex duabus declarationibus S. Congr. Conc. à D. Bouix relatis (*ib.*). Prima sic se habet : « Ad » instantiam Episcopi Vercellensis supplicatur declarari... » 4° An quando Ordinarius suspendit aliquem vigore

» cap. 1, sess. 14, *de reform.*, teneatur exprimere delic-
» tum et causam suspensionis ipsi reo, si illam judicialiter
» petat... S. Congregatio... respondit... ad 4^m^, Ordinarium
» si suspendat aliquem vigore cap. 1, etc... non teneri
» exprimere delictum et causam suspensionis ipsi reo, sed
» tantùm Sedi Apostolicæ, ad quam reus recursum habue-
» rit. » (Die 21 marti 1643.)

Sub die verò 21 apr. 1668, S. Congr. sic respondit Archiepiscopo Remensi : « Cùm nullus ordinari debeat,
» quem Episcopus suæ Ecclesiæ utilem aut necessarium
» non judicaverit, Congregatio non semel declaravit ab hu-
» jusmodi judicio nullam dari appellationem, sed recursum
» duntaxat ad Sedem Apostolicam. Quæ juxta ipsius Cong.
» sententiam per Gregorium XIII.... approbatam, quoties-
» cumque Ordinarius recusaverit quemcumque ordinare,
» Metropolitano aut viciniori Episcopo committit, ut ab
» eodem Ordinario priùs requirat causam recusationis :
» quo legitimam non allegante, licet illi eumdem recusa-
» tum ordinare » (*De Syn. diœces.*, lib. 12, c. 8, n° 4). Vide etiam Bouix (*De Judic.*, tom. 2, p. 350-354); Ferraris (v° *Suspensio*, art. 1, n° 25); et supra dicta (1988).

6016. Causa ab ordinario allegata non esset legitima juxta Stremler (*Des Peines ecclésiast.*, p. 339) si ordines denegarentur ei qui vult educari in seminario extradiœcesano, vel qui non vult promittere se postea servaturum vitam communem cum suo parocho. Si autem legitimam allegaret causam de quâ certus quidem esset Episcopus, sed quam non posset sufficienter probare Sacræ Congregationi vel alii ab ipsâ deputato, possetne tunc sic repulsus ordinari, et tenereturne Episcopus illum ordinatum in suam diœcesim adhibere? Dici posse videtur quòd saltem Episcopus non teneatur illum adhibere ad sacrum ministerium nisi beneficium in suâ diœcesi obtinuisset; alioquin quomodo verum esset quòd Episcopus nullum *ordinare debeat quem suæ Ecclesiæ necessarium et utilem non judicaverit* (Trid., sess. 23, c. 16)? Estne obligatus ad promovendum eum quem certò scit indignum, eò quòd probare non possit eum esse talem? Vide supra (1957 et 3203). Re

quidem verâ ante Concil. Trid. ex Decreto Alexandri III *Ex tenore* 4, tit. 11, lib. Decret. non poterat clericus aliquâ ratione *prohiberi* ad ascendendum ad superiores ordines propter peccatum occultum, si ad eos promoveri volebat; sed hæc Decretalis non dicit quòd Episcopus ipse teneretur talem promovere pro suâ diœcesi, vel quòd alius promovere possit pro eâ, ipso invito. Aliter quidem sentit Stremler, *Des peines ecclés.*, p. 310, 337, etc. Sed non video quòd suam assertionem probet.

6017.—5° Refert D. Bouix quòd Romæ vigeat opinio apud canonistas, non posse Episcopum procedere ex informatâ conscientiâ quando delictum est famâ vulgatum, de quo videnda sunt etiam *Analecta jur. pontif.*, 6e liv., col. 1187, etc. Nihilominus contrarium sentit D. Bouix; et revera Tridentini verba *etiam ob occultum crimen*, manifestè supponunt datam esse à Concilio præfatam potestatem ad *crimina* publica, et non benè videtur quomodo aliter possit opinari (*ib.*, p. 325-332). — Attamen Stremler ait (*ib.*, p. 316) : « Les délits occultes et les délits qui, *sans* » *être rigoureusement occultes*, ne peuvent cependant pas, » à raison de certaines circonstances spéciales, être déduits au for contentieux et devenir matière d'un procès » en forme, sont les seuls pour lesquels l'Évêque puisse » infliger la suspense extrajudiciairement ; hors ces deux » cas, il ne saurait omettre la procédure ordinaire. »

6018. — 6° An valeant dictæ suspensiones ex informatâ conscientiâ, si sint latæ in perpetuum? Non omninò constans fuit quoad hoc disciplina? — Ex unâ parte, Concil. Trident. per verbum *quomodolibet* supponere videtur quòd possint esse perpetuæ, et insuper in lib. 7 Decretorum S. Congr. Concilii, fol. 89 *à tergo*, sic legitur juxta Bouix (p. 334, etc.) : « Congregatio Concilii censuit (cap. 1, » sess. 14, *de reform.*) habere locum in suspensionibus tam » temporariis quàm *perpetuis* ; et temporalem prohibitionem et suspensionem dici eam ubi ex delicto occulto, » extrajudicialiter procedit Episcopus ad suum beneplacitum, prohibendo, vel suspendendo. » Sed Theologus S. Congr. in causâ *Lucianensi*, anno 1848, asserit Sacram

Congr. ab hâc sententiâ recessisse quoad suspensiones perpetuas (*Prælect. S. Sulpitii*, n° 655) ; et Stremler (*Des peines ecclésiast.*, p. 329, etc.) duas refert decisiones, unam S. Congr. Episc. (17 aug. 1857) et alteram S. Congr. Conc. quæ hoc idem probare videntur. Imò, juxta eumdem Stremler, censura ex informatâ conscientiâ non debet ferri ultra sex menses (*ibid.*, p. 331) ; et si fuerit *ad beneplacitum Episcopi lata*, cessat necessariò per mortem ejus qui illam tulit, aut per ipsius renuntiationem. Casu autem quo fertur pro tempore indeterminato, cessare debet etiam per mortem Episcopi, quia 1° solus Episcopus qui eam tulit posset rationem de eâ reddere S. Sedi in casu appellationis ; et quia 2° hujusmodi censura fertur per modum præcepti particularis. Vide etiam Lequeux, 1296, *in fine;* et dicta supra (551).

6019. — 7° In ferendis supradictis sententiis, Episcopus potest omittere etiam formalitates in judicio summario requisitas, cùm non teneatur etiam causam suspensionis reo manifestare. Attamen ipsi licet, si velit, formalitates ordinarii vel summarii judicii ex toto vel ex parte adhibere : et hoc deduci valet ex verbis Concilii *quomodolibet*, *etiam extrajudicialiter*, quæ supponunt posse adhiberi aliquas vel omnes judicii formas : sed necesse est tunc ut dicat se agere vigore cap. 1, sess. 14, Concil. Trid., quia alioquin appellationi locus esset. Vide Stremler (*Des peines ecclés.* p. 325). Idem Stremler (*ib.*, 310) observat quòd si Episcopus suspensionem *tanquam censuram* infligat, non verò tanquam *meram pœnam* debeat observare saltem formalitates pro censuris infligendis requisitas, præsertim monitiones.

6020. — 8° Potestas à Concil. Trident. (sess. 14, c. 1) Episcopis concessa, extendi non debet ultra limites ibidem assignatas : unde erraret Episcopus si sibi licitum existimaret posse excommunicare, vel communitatem aut terram interdicto percellere, vel aliam pœnam infligere ex informatâ conscientiâ præter interdictum ab ascensu ad ordines et suspensionem ab ordinibus, officiis, Dignitatibus, gradibus et honoribus ecclesiasticis : etenim ante Concil.

Trident., Episcopi non habebant facultatem procedendi extrajudicialiter, ut constat ex cap. *Ex tenore* 4, et cap. ultim. tit. 2, lib. 1 Decret. — Proinde Trident. utpote juri communi derogans est strictè interpretandum.

6021. — 9° Episcopi non habent prædictam suspendendi facultatem nisi procedant in clericos tanquam delinquentes : unde v. g., si in eos procedant tanquam in minus idoneos et incapaces juxta dispositionem Concil. Trident. (sess. 14, c. 3, *de ref.*) de illorum sententiâ potest appellari, sic decisum fuit à S. C. Conc. 10 maii 1625 (apud Bouix, *De Judic.*, tom. 2, p. 342).

6022. — 10° Potestate suspendendi ex informatâ conscientiâ uti non debent Episcopi extra casum delicti occulti quando motivum sufficiens non habent à formâ consuetâ recedendi : id deduci potest ex ipsomet Trident., sess. 24, cap. 5, ubi innovatur Constit. Innocentii III quæ incipit *Qualiter et quando* in quâ excluduntur sententiæ ex informatâ conscientiâ et præscribuntur formæ in judiciis observari solitæ. Ita Bouix (*ibidem*, p. 342-346). Vide etiam Bened. XIV (*De Syn.*, lib. 12, cap. 8, n° 2); Stremler, *Des peines ecclés.*, p. 316, etc.

6023. An autem casu quo valens adhibere formas judicii ordinarii, Episcopus procedit ex informatâ conscientiâ, valida sit ipsius sententia licet illicita, non liquet, inquit Stremler (*ib.*, p. 319) qui tamen probabiliorem habet sententiam affirmantem, et affert in probationem decisiones S. Congr. Conc. quæ tamen non sunt omninò convincentes (*ib.*, p. 320-322).

6024. — 11° Non videtur quòd suspensio ex informatâ conscientiâ privet à fructibus beneficii, cùm Concilium non loquatur de beneficiis. Ita Bouix (*ib.*, p. 354-359); Ferraris (v° *Suspensio*, art. 1, n^is 14-25); *Prælectiones S. Sulpitii* (n° 655); Stremler (*Des peines ecclés.*, p. 313). Tenetur tamen beneficiarius sic suspensus suis sumptibus sustentare illum qui in suo officio substituitur.

12° Juxta Stremler (*Des peines ecclésiastiques*, p. 327) Episcopus per seipsum solum suspendere potest *ex informatâ conscientiâ*, eò quòd Trident. de solo Prælato loqua-

tur. Imò juxta eumdem Stremler Vicarius Capitularis, Sede vacante, hanc non habet facultatem, et citat Giraldi sic sentientem. Sed ex dictis supra (1160) pro Vicariis Generalibus si habeant speciale mandatum, et (1253-1257), pro Vicariis Capitularibus, videtur posse aliter opinari.

ART. IV.

NORMA PROCESSUS CRIMINALIS CONTRA HÆRETICOS.

6025. — 1° Modus specialis contra hæreticos procedendi vocatur *Inquisitio :* eodemque nomine designantur tribunalia ad hos coercendos instituta, quæ etiam *Sancti Officii* nomine nuncupantur.

2° Duplicis generis sunt *Inquisitores : ordinarii* scilicet et *delegati*. Quilibet Episcopus in suâ diœcesi est Inquisitor ordinarius : unde *Inquisitor natus* à Pragmaticis vocari solet. Præter hos, à tempore Innocentii III, *extraordinarii Inquisitores* instituti fuêre delegati, qui hoc munus, non quidem privativè quoad Episcopos, sed cumulativè exercerent : hodie autem generaliter adhiberi desierunt.

Usus invaluit ut sub nomine *Sancti Officii* vel *Inquisitionis*, *sola Inquisitio delegata* designaretur : ipsius originem et constitutionem exposuimus supra (722-726).

6026. — 3° Certum est Episcopos, in suâ diœcesi, posse, vi ordinariæ jurisdictionis, contra hæreticos sibi subditos procedere : « Propter quod..., inquit Clemens V (Clem. » *Multorum* 1, tit. 3, lib. 5), ut negotium Inquisitionis hujus- » modi... diligentiùs et cautiùs peragatur, ipsum, tam per » *diœcesanos Episcopos* quàm per inquisitores à Sede Apos- » tolicâ deputatos, decernimus exerceri. »

6027. Et hoc quidem possunt etiam *quoad exemptos*, *saltem tanquam delegati* Sedis Apostolicæ. Id constat ex cap. *Ad abolendum* 9, tit. 7, lib. 5 Decret. ubi dicitur : « Exempti... » nihilominus, in his quæ sunt contra hæreticos instituta » Episcoporum subeant judicium, et eis, in hâc parte, » tanquam à Sede Apostolicâ delegatis (non obstantibus » libertatis suæ privilegiis) obsequantur. »

Hæc autem *delegata* jurisdictio ita ordinariæ æquipara-

tur, juxtà DD. ut, exceptâ appellatione, quæ ad Papam, non verò ad Metropolitanum fieri debet, iidem sint effectus cæteri. (Bouix, *De Judic.*, tom. 2, p. 376.)

6028. — 4° Sede vacante, Capitulum succedit ordinariæ potestati in hæreticos, sed per Vicarium illam exercere debet. Vicarius ergo Capitularis *est ordinarius Inquisitor*, sed non potest, sicut Episcopus, in exemptos procedere, quia non succedit Episcopo in iis quæ illi competunt solo jure delegato. Ita probabiliùs, juxta Leurenium (ap. Bouix, *ib.*, p. 377). Vide tamen dicta supra (1237).

Prælati jurisdictionem quasi-episcopalem habentes sunt etiam judices ordinarii in causis fidei.

6029. — 5° Sive ordinariâ sive delegatâ potestate procedant, illum in procedendo modum servent Episcopi quem Inquisitores possunt ac debent per jura communia vel per speciales concessiones Sedis Apostolicæ observare. (Cap. *Per hoc* 17, tit. 2, lib. 3, lib. 5, in 6°.)

6° Quomodo autem sese habeat jurisdictio delegatorum, tum in seipsâ, tum relativè ad Episcopos, vide dictum ap. Bouix (*ib.*, p. 377-379). Vide etiam dictum cap. *Per hoc* et citatam Clement. *Multorum*.

6030. — 7° « Inquisitores regulariter... procedere possunt » contra omnes hæreticos eorumque credentes, receptato- » res, fautores, defensores, necnon contra infamatos vel » suspectos de hæresi (quinam verò illi sint, vide dicta » supra 5840) existentes in provinciâ, diœcesi, civitate » aliove loco in quo ipsis officium Inquisitionis est com- » missum. » Ita Leuren. ex capit. *Accusatus* et *Ad abolendam*, tit. 7, lib. 5 Decret.; cap. *Ut officium*, *de hæreticis*, in 6° (ap. Bouix, *ib.*, p. 380, etc.).

6031. — 8° Nullus tamen Inquisitor delegatus procedere potest contra Episcopum, nisi à Sede Apostolicâ fuerit concessum; sed tenentur inquisitores Episcopum hæreticum denuntiare S. Pontifici (cap. *Inquisitores*, *de hæreticis*, in 6°, et Conc. Trident. sess. 24, c. 5, *de ref.*). Episcopus tamen id posset erga Episcopum in suâ diœcesi manentem (cap. *Ad abolendam*, *de hæretic.*). — Nec ordinarii, nec delegati Inquisitores procedere possunt contra Sedis Apos-

tolicæ Legatos, Nuntios, aut Officiales (Extrav. *Matthæus, de hæret.*) : proinde Episcopi procedere nequeunt contra Inquisitores delegatos (apud Bouix, *ib.*, p. 381).

6032. — 9° Inquisitores tam ordinarii quàm delegati non tenentur ad servandam in causis fidei formam consuetam processûs criminalis, sed possunt summariè procedere (cap. *Statutum, de hæreticis*, in 6° ; Constit. *Cupientes* Alexandri V et Constit. *Licet ex omnibus* Urbani IV). Imò à jure canonico iis qui per sententiam definitivam condemnati sunt ut hæretici denegatur appellationis beneficium (cap. *Ut inquisitionis, de hæretic.*, in 6°) : unde talis sententia, statim, id est, etiam ante decendium executioni potest mandari : hæresis enim est unum ex his criminibus quæ ita subversionis societatis periculum inducunt, ut expediat illud quàm citiùs reprimere, agendo ad instar gubernjorum sæcularium quæ, periclitante republicâ, tribunalia militaria instituunt à quibus damnati appellare nequeunt. Damnato tamen hæretico non denegatur facultas ad Superiorem recurrendi per viam *querelæ* et *supplicationis*, ut communiùs sentiunt DD. Possunt etiam hæretici appellare sicut cæteri à sententiis interlocutoriis. (Vide Bouix, *De Judic.*, tom. 2, p. 385.)

6033. Non solum in causis fidei sub pœnâ nullitatis reus debet citari ut possit se defendere, et iterum citari ad audiendam sententiam ; sed ipsi sicut cæteris reis judex debet dare plenam facultatem sese defendendi, imò etiam non petenti debet ex officio dare consuetas defensiones, nec debet illum damnare nisi per plenam probationem convictus fuerit (Clement. *Pastoralis*, *de sentent. et re judic.*; Clement. *Sæpe*, *de verb. signif.*), sic patet id quod toties exprobratur in acatholicorum libris, non concedi reo apud S. Officii tribunalia facultatem sese defendendi, impudens esse mendacium et meram calumniam. Vide alia apud Bouix (*ib.*, p. 383).

6034. — 10° Quoad testes in causâ hæreseos, regulariter admitti possunt etiam jure inhabiles : non tamen inimici, nec testes inhabiles sufficiunt ad condemnandum, sed solùm ad faciliùs detegendam veritatem adhibentur. Ne

deterreantur testes à ferendo testimonio, nunquam tenetur judex nomina illorum manifestare reo (Const. Pii IV *Cùm sicut*) : attamen exprimi debent illa nomina coram aliquibus personis, providis et honestis, religiosis et aliis ad hoc vocatis (Const. *Licet* Urbani IV, § 9), et sic injustitiæ suspicio removetur. (Bouix, *ib.*, p. 385, 386, 389.)

6035. — 11° Sententia proferri debet ex consilio peritorum : alioquin irrita est (cap. *Ut commissi*, *de hæreticis*, in 6°). Per *peritos* intellige theologos vel canonistas. Non autem astringitur Inquisitor ad sequendum illorum consilium. (Bouix, *ibidem.*)

6036. Ex dictis dijudicari potest an legitimæ sint perpetuæ et tam acres querimoniæ quibus innumeri scriptores insectati sunt institutionem tribunalis Inquisitionis, circa quod vide Bouix (*ib.*, p. 387-396).

6037. Ne objiciatur justè reprehendi barbariem hujusce tribunalis ex eo quòd in eo adhibebatur supplicium torturæ: nam non magis in hoc tribunali tortura adhibebatur quàm in cæteris tribunalibus etiam sæcularibus: torturæ locus tantùm erat post semi-plenam probationem, nec in eo Ecclesia vituperari potest quin simul etiam damnentur omnia horum temporum tribunalia. De torturâ vide adhuc Card. Soglia, *Inst. jur. priv.*, § 224, qui sic concludit : « Si licet... apertè » dicere quid sentiam : eorum in opinionem propensior » sum qui torturæ usum minimè approbant. Hæc... satis » dicta sint, cùm præsertim in judiciis ecclesiasticis rarus » admodum fuerit torturæ usus, et potiùs leves coercitiones quàm graviora et acerba tormenta infligerentur. » Nunc autem in ecclesiasticis curiis tortura quælibet in » desuetudinem penitus abiit. »

6038. Nec etiam crudelitatis insimulari debet Inquisitio ob mortis atque etiam ignis pœnam hæreticis inflictam : nam hæc pœna non à judicibus ecclesiasticis infligebatur, sed à judice sæculari, et nulla solida ratio allegari potest cur hoc crimen, subversionem pacis et tranquillitatis in totâ republicâ christianâ causans, pœnâ mortis non potuerit legitimè plecti, sicut plectebantur læsæ majestatis rei, milites desertores, etc. Justas fuisse leges Imperatorum pœnam

iortis in hæreticos decernentes, constat ex Bullâ *Cùm adversus*, Bullâ *Cùm super* et Bullâ *Ad extirpanda* Innoc. IV ; vide Bullar. Dominicanorum), et tandem ex Bullâ *Cùm adversus* Clement. IV et Bullâ *Cùm adversus* Nicolai IV. (Bouix, *h.*, p. 390-395.)

Non sunt autem audiendi acatholici fabulosum numerum hæreticorum igni damnatorum narrantes. Multùm enim in hoc exaggerant.

CAPUT V.

DE PROCESSU CIVILI ECCLESIASTICO.

6039. Sicut in foro sæculari habentur non solùm processus criminales, sed sunt etiam civiles, ita et in foro ecclesiastico : processus autem civiles sunt illi in quibus non agitur de publicâ alicujus delicti vindictâ, sed de alio aliquo obtinendo quod interest : v. g. si lis moveatur de valore alicujus matrimonii, vel de jurisdictione alicujus Prælati, de privilegio monasterii, etc.

Plura jam, ob materiarum connexionem, diximus de processu civili; quæ supersunt dicenda, in duos dividemus articulos : in 1° dicemus de processu ordinario in materiâ civili : in 2° formam causis matrimonialibus propriam describemus.

ART. I.

DE PROCESSU ORDINARIO IN MATERIA CIVILI.

6040. Illum articulum in duos paragraphos partiemur : in 1° trademus communem civilium processuum telam summariam; in 2° dicemus de remediis contra injustam sententiam.

§ I.

Communis processuum civilium tela summaria.

6041. — I. *De libello.* Judicium civile initium sumit

à libello quem actor per se vel per procuratorem judici porrigit, in quo instat aliquid sibi fieri vel præstari. Libellus debet esse clarus, ut possit reus deliberare an liti cedere vel litigare ipsi expediat; si secus fiat, judex debet illum rejicere, quia juxta libellum ordinatur processus et profertur sententia. Vide supra dicta de libello (5881, etc.).

6042. — II. Post libelli porrectionem *fit citatio* ut reus conventus petitionis ab actore factæ notitiam habeat; hæc citatio fieri solet sinè appositione pœnæ: secus tamen proceditur in quibusdam curiis, sed in hoc casu ut pœna incurratur, requiritur ut præfigatur terminus aliquot dierum cum verbo *peremptoriè;* vide insuper dicta superiùs (5891-5900). Dari debent reo 20 dies post libelli oblationem ut deliberet. — Vide Devoti tom. 3, tit. 5, § 1.

6043. — III. *De contumaciâ rei.* Si reus conventus non comparuerit die constituto, et processus fiat juxta formam ordinariam, de contumaciâ accusatur die subsequenti, si non sit festivus; si verò summariè procedatur, non ad juris apices res peragitur, sed tantùm juxta facti veritatem. Ultima contumacia accusanda est post lapsum trium dierum à die primæ contumaciæ accusatæ quando reus est præsens in loco judicii, si verò sit extra territorium judicis, accusari debet infra duos menses, et si intra territorium fuerit, sed non in loco judicii, accusari potest infra mensem à die primæ contumaciæ. — Si in ultimâ contumaciâ reus conventus per se vel per procuratorem comparuerit, admittendus erit; si secus, condemnandus erit in contumaciâ.

6044. — IV. *De copiâ libelli.* Quando post citationem, reus comparet coram curiâ, habere debet copiam libelli.

6045. — V. *De exceptionibus declinatoriis, dilatoriis et peremptoriis.* Si exceptiones opponere velit reus, hoc facere debet ante litis contestationem; et primùm debet proponere eas quæ personam judicis respiciunt, et *declinatoriæ* dicuntur, v. g. quod habeat *jus* exemptionis, quia rebus sic exstantibus ad ulteriora procedi nequit, et si illæ exceptiones declinatoriæ non opponerentur, reus videretur consentire in judicem.

Opponere similiter poterit reus exceptiones peremptorias, quæ judicium omnino cessare faciunt, ut est exceptio litis finitæ, perjurii, rei judicatæ, transactionis, nullitatis processûs, pacti de non petendo, etc. Vide dicta supra (5905-5911).

6046. Inter exceptiones peremptorias computari debet *præscriptio*, per quam bonæ fidei possessor, post decursum temporis à lege definitum, dominum rem suam pristinam repetentem vel antiquo suo jure uti volentem repellere potest.

6047. Introducta primum à lege civili (L. 1 et seq., ff. *de usucap.*) confirmata fuit deinde præscriptio à lege ecclesiasticâ (v. cap. *Vigilanti* 5, *de præscript.*), valetque proinde etiam in foro conscientiæ, modò debitas habeat conditiones : videlicet 1° ut res possit præscribi ; 2° sit bona fides ; 3° justus titulus ; 4° possessio per tempus legitimum continuata.

1° Circa primam conditionem dicendum quòd non possit præscribi contra obedientiam Superiori debitam, præsertim si hæc obedientia sit ex jure divino debita. — Quoad limites parochiarum et diœcesium, vide dicta supra (358).

6048. — 2° *Bona fides* saltem pro conscientiâ requiritur toto tempore ad præscribendum requisito. Ita cap. præfatum et cap. ultim. *de præscript.*, ubi Innoc. III dicit : « Synodali judicio diffinimus ut nulla valeat absque bonâ » fide præscriptio tàm canonica quàm civilis. Cùm generaliter sit omni Constitutioni atque consuetudini derogandum, quæ absque mortali peccato non potest observari : undè oportet, ut qui præscribit, in *nullâ temporis* » *parte rei habeat conscientiam alienæ.* »

6049. — 3° Per *justum titulum* intelligitur ille qui ex se habilis esset ad transferendum dominium si ex vero domino procederet, ut donatio, emptio, transactio, uno verbo titulus putativus translationis dominii vel juris ; non autem commodatum, depositum, etc. Quòd autem talis titulus requiratur ordinariè ad acquirendum dominium per præscriptionem, constat ex c. *Si diligenti* 17, *de præscript.*,

ubi dicitur : « Cùm in præscriptione rerum ecclesiasticarum » bona fides et justus titulus exigantur »; excipe nisi tanti temporis allegetur præscriptio, cujus contrarii memoria non existat : id est (juxta multos contra alios) nisi allegetur præscriptio centenaria : in præscriptione tamen 30 annorum pro privatis sufficit bona fides 30 annorum; et non pauci idem dicunt de acquirendis servitutibus in fundo alieno.

6050. — 4° Ad præscribendum autem immobilia contra ecclesiam et pia loca requiruntur 40 annorum, imò 100 annorum requiruntur ad præscribendam contra Ecclesiam Romanam. Vide cap. *Ad aures* 6, cap. *Illud autem* 8, cap. *Quia indicanti* 9, cap. *Ad audientiam* 13, et cap. *Cum vobis*, *de præscript.*, et cap. ultim. causa 16, q. 3. Concordat Authent. *Quas actiones*, c. *de Sacros. Eccl.* ubi dicitur : « Solâ Ro- » manâ Ecclesiâ gaudente centum annorum spatio ac pri- » vilegio. » Sed vide dicta (5342, 5343).

Quoad actiones extinguendas præter dicta supra (5342), actio injuriarum expirat lapsu unius anni (L. *Si non convicti*, c. *de injuriis*). Quoad alia crimina vide dicta supra (5810) ; et Reiffenstuel, *De Judiciis*, lib. 2, titul. 26, n^is^ 2-188.

6051. — VI. *De litis contestatione.* Discussis exceptionibus, illisque rejectis vel admissis vel reservatis, fit litis contestatio de quâ satis diximus supra (5923-5926). — Deinde præstatur juramentum *calumniæ* de quo etiam supra (5927-5931).

6052. — VII. *De termino probatorio.* Successivè datur terminus tum actori ad faciendas suas probationes; tum reo ad faciendas suas responsiones. Ad judicem pertinet determinare tempus. Vide Devoti, *De Judic.*, tit. 13, § 2.

6053. — VIII. *De positionibus et articulis.* De iis satis diximus supra (5937-5938).

IX. Post articulorum et interrogatoriorum productionem, citantur testes ut examinentur circa veritatem articulorum, et simul citatur pars adversa ad videndum ipsorum testium juramenta de veritate dicendâ.

Quando testes extra locum judicii existunt, solet fieri ipsorum nominatio et petuntur litteræ commissoriales vel remissoriales ad partes quæ diriguntur judicibus ordinariis locorum in quibus testes examinandi inveniuntur, dummodo ii judices partibus non fuerint suspecti; acceptis his litteris, judex remissorialis monet partes de tempore et loco, ut præsentes sint examini testium, et illos examinat super articulis actoris et interrogatoriis rei, vel è converso. Vide Bouix, *De Judic.*, tom. 2, p. 402, 403.

6054. — X. *De publicatione testium.* Absoluto testium examine completisque probationibus, fit publicatio in causâ, per quam manifestantur utrique parti dicta testium.

6055. — XI. *De repulsâ et reprobatione testium.* Post præfatam publicationem peti solet ab uno ex litigantibus repulsatio seu reprobatio testium examinatorum, quod fit per adductionem aliorum testium pro aliâ parte, qui dicuntur testes reprobatorii, et intra terminum assignatum sunt examinandi. Terminus autem repulsæ est medietas termini probatorii, et currit de momento ad momentum. Expleto verò examine testium reprobatoriorum fit publicatio in causâ repulsæ.

6056. — XII. *De repulsâ repulsæ.* Si altera pars reprobare voluerit testes reprobatorios, petere potest *repulsam repulsæ*, id est alium terminum ad repulsandum testes examinatos pro repulsâ testium examinatorum in termino probatorio: iste autem terminus brevissimus esse debet. Peracto hoc examine fit denuò publicatio, et regulariter non datur alius terminus.

6057. — XIII. *De conclusione in causâ.* Consummatis omnibus probationibus fit conclusio in causâ: ex quo evenit ut non possint ultra fieri probationes, ne causæ immortales evadant. Vide dicta supra (5947).

XIV. *De monitione ad allegandum in jure et in facto.* Postea citantur partes ad dicendum et allegandum coram judice, per se vel per advocatos quidquid est in favorem causæ.

XV. Judex deinde sibi exhiberi facit acta omnia causæ, ut, iis diligenter perscrutatis, proferre valeat rectam sententiam.

6058.—XVI. *De citatione ad sententiam.* His benè perpensis citantur partes ad audiendam definitivam sententiam, quæ continere debet condemnationem vel absolutionem rei conventi : aliàs non valet.

XVII. *De executione sententiæ.* Prolatâ sententiâ, si valida sit et ab eâ non fuerit appellatum infra decem dies, executioni mandatur ; imò in quibusdam causis, executioni potest demandari, appellatione non obstante.

§ II.

De remediis contra injustam sententiam.

6059. Triplex remedium à jure fuit statutum contra injustam sententiam : *querela* nempe *nullitatis*, *appellatio et restitutio in integrum.* Duo priora remedia *ordinaria* vocantur : tertium est *extraordinarium*, et nonnisi duobus prioribus deficientibus est adhibendum.

PUNCTUM I.

DE APPELLATIONE ET QUERELA NULLITATIS.

6060. Nihil est hìc addendum his quæ supra diximus de appellatione (644-665, 5974-5995) ; superest ergo ut dicamus tantùm de *querelâ nullitatis.*

Querela nullitatis locum habet quando sententia est ipso jure nulla : hoc multipliciter contingere potest : 1° ratione judicis, si sit publicè excommunicatus, infamis, si sit laicus in causis ecclesiasticis, etc. ; 2° ratione jurisdictionis, si judex illâ careat, si sit incompetens, si excedat limites suæ delegationis, etc. ; 3° ratione litigantium, si sententia sit prolata in minorem, qui in judicio interfuit absque auctoritate tutoris vel curatoris; si in exemptum; si in gratiam actoris excommunicati denuntiati, etc.; 4° ratione loci, si extra territorium judicis sententia fuit lata, vel in

alio loco quàm partibus assignato ; si in loco non publico, nisi partes consenserint ; 5° ratione temporis, si sententia proferatur de nocte, vel die feriato ; 6° ratione suî, quando sententia nec absolutoria nec condemnatoria est ; 7° ratione quantitatis, si judex qui non potest judicare nisi circa certam summam, pronuntiat tamen in causis quæ illam excedunt ; 8° ratione modi, si judex sententiam proferat stando in causis in quibus summariè non procedit, vel si eam in scriptis non pronuntiat ; 9° ratione processûs, v. g. si proferatur, lite non contestatâ, et generaliter si quid omittatur substantiale in ordine judiciario ; 10° ratione manifestæ iniquitatis, v. g. si feratur contra jus scriptum, si manifestum errorem contineat, etc.

6061. Attento juris rigore querela nullitatis proponi potest tum coram judice ordinario qui sententiam tulit, tum coram judice appellationis. Ita communiter, et ratio cur possit proponi coram judice ordinario est quia tunc non censetur judicasse, cùm sententia sit ipsò jure nulla : proindè rem ut nondum judicatam potest declarare, sed ad hoc requiritur ut sit judex ordinarius : nam si esset solùm delegatus, postquam semel sententiam protulit, sive benè sive malè, officio suo functus est, et auctoritatem non habet ad reformandum suam sententiam nulliter latam. Vide Reiffenst. (lib. 2, tit. 28, n° 28). Potest etiam recurri ad judicem superiorem, qui meliùs ordinariè sententiam nulliter latam reformabit.

6062. Ita ex rigore juris, sed ob contrariam consuetudinem generalem ubique vigentem, causa nullitatis à solo judice appellationis judicanda est. Vide apud Bouix (*De Judic.*, tom. 2, p. 410).

6063. Querela nullitatis proponi potest etiam usque ad 30 annos, sed non ultra, cùm omnis actio dicto tempore præscribatur. Ita unanimiter. Excipiuntur tamen casus sequentes : 1° si nullitas deducatur per modum exceptionis, cùm exceptiones sint perpetuæ ; 2° si actus sit ipso jure nullus, propter eamdem rationem ; 3° si nullitas proveniret ex defectu jurisdictionis ; 4° si per statutum vel consuetudinem alicubi aliter disponeretur. (Bouix, *ibid.*)

6064. Conjungi potest querela nullitatis cum appellatione, istâ nempe formulâ : *Dico sententiam esse nullam, et si fortè talis non sit, appello.* Sed ad hoc requiritur ut non effluxerit tempus à jure pro appellatione concessum.

PUNCTUM II.

DE RESTITUTIONE IN INTEGRUM.

6065. — 1° Restitutio in integrum est actus quo qui læsum se contendit, per officium judicis reducitur in eum statum in quo foret si asserta læsio non contigisset.

Hoc remedium denegatur in causis criminalibus : ratio est quia ex Leg. *In criminalibus* 1, c. *Si adversus delict.* : « Malorum morum infirmitas animi non excusat. » Locum ergo habet solùm in causis civilibus.

6066. — 2° Restitutio in integrum conceditur generatim omnibus minoribus, seu iis qui nondum 25 annos compleverunt, si constet ipsos læsos fuisse, etsi ex illorum culpâ id evenisset (cap. *Constitutus* 8, *de in integr. restit.*). Si minor major factus actum ratum habuerit, non potest in integrum restitui, nisi quatenus id majoribus conceditur.

Nomine autem minorum veniunt etiam ecclesiæ, monasteria, hospitalia et alia pia loca, necnon et Universitates.

6067. Conceditur etiam majoribus restitutio in integrum, dummodo concurrant tres conditiones nempe : 1° quòd constet ipsos fuisse læsos; 2° non ex illorum culpâ; 3° quòd ipsis non pateat via mediorum ordinariorum ad læsionem repellendam.

6068. Multùm autem differunt majores et minores quoad beneficium restitutionis in integrum : nam præter modò dicta : 1° si minor vel ecclesia graviter sit læsa, ex officio judicis, nemine etiam petente, in integrum restitui debet : dum major non restituitur nisi ad ipsius instantiam; 2° majores non restituuntur nisi quando eis aliud remedium ordinarium non suppetit : secus de minoribus; 3° minor restituitur quamvis tutore vel curatore interveniente læsus fuerit, dum major etiam absens non restituitur, si procu-

ratorem reliquerit. Ita Schmalzgrueber (apud Bouix, *De Judic.*, tom. 2, p. 415).

6069.—3° Regula generalis est locum esse restitutioni in integrum contra quoslibet actus civiles, validos et rescindibiles quibus aliquis læsus est : excipitur 1° si quis, etiam minor, ex matrimonio contracto læsus fuisset; 2° si minor actum juramento firmaverit (cap. *Cùm contingat* 28, *de jurejurando;* cap. *Quamvis* 2, *de Pactis*, in 6°); 3° si minor simulaverit se esse majorem ut alium ad contrahendum induceret; 4° si beneficio restitutionis in integrum minor juramento renuntiaverit; 5° si læsio non sit notabilis. (Bouix, *ib.*, p. 414).

6070.— 4° Ex cap. *Causa* 9, tit. 41, lib. 1 Decret., restitutionem *in integrum* concedere possunt Ordinarii habentes administrationem, seu territorium cum imperio saltem mixto : quibus verbis certè designantur Episcopi et Prælati jurisdictionem quasi-episcopalem habentes : an autem facultatem hanc habeant Vicarii Generales, absque speciali mandato, controvertitur : sed probabiliùs affirmatur, juxta Leurenium ap. Bouix (*ib.*, p. 417).

Quoad judices delegatos, restituere etiam possunt in integrum in duobus casibus : 1° si id eis fuerit specialiter concessum; 2° si in negotio ipsis commisso incidenter contingit quæstio restitutionis in integrum (ut cap. *Causa*).

Item delegatus ad universitatem causarum, territorium habens cum administratione, restituere potest in integrum quia Ordinario æquiparatur. Non tamen id potest quoad sententiam definitivam à se latam, nisi specialiter id ei fuerit concessum, quia alioquin censetur functus fuisse suo officio. Ita Schmalzgrueber ap. Bouix (*ib.*).

Cæteri judices præter memoratos restitutionem in integrum concedere nequeunt.

6071.—5° Judices ordinarii, qui restitutionem in integrum restituere possunt, id valent etiam quoad sententiam definitivam à se ipsis prolatam, ut constat ex citato cap. *Causa:* prævaluit tamen consuetudo ut nonnisi à S. Pontifice, vel à judice appellationis illud fieret : atque ut is, non verò qui jam judicavit causam, iterum cognoscat et dirimat:

quod sanè valde decere videtur. (Bouix, *ibidem*, 418, etc.)

6072. — 6° Regulariter loquendo restitutio in integrum petenda est à judice illius contra quem seu in cujus præjudicium restitutio petitur, eò quòd actor forum rei sequi debeat; etin hoc casu, ille contra quem petitur. habendus sit ut reus. Excipiendi sunt tamen casus sequentes : 1° si ecclesia petat restitutionem in integrum contra laicum ; 2° si petatur restitutio contra aliquem contractum non est necessariò adeundus judex domicilii, sed potest adiri judex loci quo celebratus fuit contractus, vel judex loci quo res sita est. Vide ap. Bouix (*ib.*, q. 417 et 418).

6073.—7° Quadriennium à jure conceditur ad petendam restitutionem in integrum (Leg. fin., cap. *de temp. in integr. restit.*) : sed illud quadriennium pro minoribus est computandum tantùm ab anno 25 completo, nisi minor veniam ætatis impetraverit : nam in hoc casu, quadriennium computatur à die quo venia ætatis fuit obtenta et intimata.

Incipit pro ecclesiis et aliis qui jure minorum gaudent à die factæ, vel ut aliqui putant, cognitæ læsionis (cap. *Ecclesia* 1, etc., *de in integr. rest.*, in 6°).

Majoribus concessum computari debet à die quo cessat causa absentiæ, vel alterius impedimenti propter quod eis conceditur restitutio (Leg. *In his* 1, et leg. fin., cap. *de temp. in integr. rest.*). Excipitur restitutio ex causâ metûs et doli, illa enim anno, hæc biennio continuo finitur. Ita Schmalzgrueber ap. Bouix (*ib.*, p. 419 et 420).

Etiam post quadriennium restitutio ecclesiæ conceditur in quibusdam casibus de quibus vide Bouix (*ib.*, p. 419).

6074. Regulariter restitutio in integrum suspendit sententiæ executionem. (Bouix, *ib.*)

Præter modos supra descriptos lites finiendi, sunt alii à lege non determinati, sed qui à partibus sponte adhibentur, ut arbitratus et transactiones, de quibus vide Devoti-(*De Judiciis*, tit. 17 et 18), et dicta supra (5666-5674) de arbitris, et (5889) de compositione.

ART. II.

NORMA PROCEDENDI IN CAUSIS MATRIMONIALIBUS.

6075. Ad judices ecclesiasticos spectant causæ matrimoniales, juxta Conc. Trid. (sess. 14, can. 12), vide supra (5516, etc.) : porrò tales sunt omnes causæ in quibus agitur de naturâ matrimonii et sponsalium; de illorum valore; de juribus et obligationibus ex eis provenientibus; de impedimentis et eorum dispensatione, etc.; ad forum sæculare pertinent tantùm causæ in quibus agitur de effectibus civilibus : de dote videlicet, de donationibus propter nuptias, de hæreditariâ successione et similibus, ut ex communi sensu docent Bellarminus, Pirrhing, etc., nisi tamen quæstio incidat in causam matrimonialem propriè dictam quæ principaliter agatur; hoc enim casu, de hujusmodi causis cognoscere et pronuntiare potest judex ecclesiasticus. Ita Schmalzgrueber ap. Bouix (*De Judic.*, tom. 2, p. 421).

6076.—1° Communiter ut certum habetur quòd, etiamsi maritus uxorem expulerit, si postea illam revocet et uxor nolit redire, judex ecclesiasticus, si maritus postulet, debet decernere ipsius restitutionem : nam unum est ex propriis officiis matrimonii quòd conjuges simul cohabitent.

2° Idem est dicendum de casu quo alter conjugum, qui temerè fugerat, redit ad alterum à quo non recipitur, si reversus judicialiter petat se restitui in possessionem conjugis.

6077.—3° Si verò, in hoc eodem casu, non ipse conjux discedens restitutionem petat, sed postulet alter derelictus, quid sit agendum?

Si quæstio esset de sponsalibus, jus quidem non haberet ad restitutionem sponsæ, cùm nondum illam in possessionem habuerit, sed postulare posset ut impleret contractum sponsalitium, si nullam exceptionem justam allegare posset. Sed vide dicta supra (3996).

Si quæstio sit de matrimonio, vel agitur de rato et non consummato, vel de consummato : in primo casu, con-

trovertitur an debeat judex decernere ut pars discedens redeat ad conjugem, eò quòd ipsi liceat Religionem ingredi; communiter tamen DD. affirmant, sed quoad habitationem tantùm non autem quoad torum (Bouix, *ib.*, p. 423). In secundo casu, decernenda est à judice restitutio, etiam quoad torum. Vide supra (4129, etc.).

6078. Quærit. 1° Quid sit agendum casu quo conjux discedens prætendit existere impedimentum dirimens, et alter petit se restitui in possessionem conjugis?

Resp. Vel matrimonium nondum fuit consummatum, vel jam est consummatum: in priori casu, si impedimentum sit notorium, non debet audiri conjux petens restitutionem, sed judex debet statim ad causam nullitatis cognoscendam et dirimendam procedere, juxta formam infra dicendam (6087, etc.); si impedimentum non sit notorium sed sit dubium, tunc possessio valoris est penes matrimonium, et in hoc casu conjux restitui debet quoad habitationem, non tamen cogi quoad torum, pendente lite de valore matrimonii, etsi usus matrimonii sit licitus casu quo bonâ fide fuit contractum; si verò impedimentum *non notorium* sit certum, et pars recedens habeat rationes paratas, audienda est, et, probato impedimento, absolvenda est ab obligatione matrimonii. Si autem non habeat rationes paratas, decernenda ipsius restitutio quoad habitationem, non quoad torum, donec pronuntietur in causâ nullitatis.

6079. In secundo casu, seu matrimonio supposito consummato, si impedimentum fuerit notorium, eodem modo judex debet tunc se gerere ac in casu quo matrimonium est duntaxat ratum; si verò non fuerit notorium, licet certum, tunc etiamsi pars discedens haberet paratas probationes impedimendi allegati, restituenda est quoad habitationem, non verò quoad torum (cap. *Litteras* 13, tit. 13, lib. 2 Decret.); et si non habuerit rationes paratas, restituenda est, etiam quoad torum, *quia præsumitur contra eam quæ sinè judicio Ecclesiæ, suâ tantùm temeritate, recessit à viro.* Ita Innocent. III in citatâ Decretali. Attamen si illa pars sit certa impedimenti, suæ conscientiæ potiùs

am judici obedire debet, quia tunc uti matrimonio esset einsecè malum; et si contra eam censura lata sit, *debet niliter tolerare, donec probationes afferat præparatas tunc absolutione petitâ... absolvatur.* Si verò non sit certa pedimenti, diximus supra quid ipsi liceat ex cap. *Inquisitioni* 44, *de sentent. excomm.* (4455).

6080. Quærit. 2° Quid agere debeat judex si conjux propriâ auctoritate discedens objiciat mariti adulterium, et maritus petat se restitui in possessionem conjugis?

Resp. Vel adulterium est notorium vel non : si priùs, non est decernenda restitutio, nisi uxor idem crimen commisisset (cap. *Significavit* 4, et cap. *Ex litteris, de divort.*; cap. *Intelleximus* 6, *de Adult.*); si posteriùs, decernenda est restitutio, etiam quoad torum, usquedum probetur adulterium; et hoc etsi pars discedens paratas habeat probationes; sed vide dicta supra (4140).

6081. Quærit. 3° Quid in casu quo uxor recedit votum continentiæ mutuo consensu emissum allegans et maritus restitutionem petit?

Resp. Juxta nonnullos, uxorem non esse tunc restituendam, modò Religionem ingressa sit; sed communiùs tenetur eam non esse quidem restituendam quoad torum, antequam probatum fuerit votum mutuo consensu emissum, ob periculum violandi hujusmodi voti, si reverà existat, sed restituendam esse quoad habitationem, quia per dictum votum, neutra pars censetur se privasse obsequiis mutuæ cohabitationis. Ita Schmalzgrueber (ap. Bouix *l.*, tom. 2, p. 428 et 429).

6082. Quærit. 4° Quinam admittendi sint tanquam *actores et testes* in causis matrimonialibus?

Resp. 1° Ut actores ad impediendum matrimonium admittendi sunt omnes qui impedimentum objicere possunt: sed omnes possunt, imò tenentur sub gravi impedimentum denuntiare, si illud existere nôrunt. Ergo, etc.

Ad petendam autem separationem quoad habitationem et torum, admittendus est tantùm conjux innocens. Ita communiter.

6083. In casu quo petitur nullitas matrimonii, dis-

tinguendum est : vel petitur ob impedimentum impotentiæ, vel erroris, aut metûs, et in iis casibus soli conjuges ad agendum admitti debent : quia in primo casu possunt, si velint, non obstante impotentiâ, cohabitare tanquam frater et soror (vide dicta 4230), et in aliis casibus, quæ errávit vel ex metu contraxit, liberè consentire in matrimonium : imò nec etiam partes essent admittendæ ad nullitatem petendam, si post notitiam impedimenti carnaliter se cognovissent.

Vel petitur nullitas ob impedimentum consanguinitatis, aut affinitatis ex copulâ conjugali aut ex publicâ honestate et tunc ad agendum admitti debent parentes, et, iis deficientibus, vicini. Ita communiter.

6084. Ad nullitatem petendam ob alia præter memorata impedimenta, admitti possunt quicumque impedimenti notitiam habent. Ita communiter, ex cap. *Perlatum* 1, *de his quæ vi*, etc. Repellendi sunt tamen 1° qui accusant turpis lucri causâ (cap. *Significasti* 5, tit. 18, lib. 4 Decret.); — 2° qui non manifestârunt impedimentum dum fiebant bannorum proclamationes, nisi probent, saltem ex juramento se ignorasse tunc impedimentum, vel nescivisse quòd fierent proclamationes (cap. ultim., tit. 18, lib. 4 Decret.).

Nota 1° quòd non per litteras tantùm, sed personaliter, nullitas matrimonii possit accusari (cap. *Per script.* 5, causa 2, q. 8; et cap. *A nobis* 2, tit. 18, lib. 2 Decret.).

6085. — *Nota* 2° quòd accusans nullitatem matrimonii audiri debet etiam post 30 et 40 annos, quia matrimonium nullum nunquam tractu temporis convalescit : imò datur actio contra illud etiam post sententiam latam pro ipsius valore, quia talis sententia nunquam in rem judicatam transit (cap. *Lator* 7, *de sent. et re jud.*) : excipe si mortui jam sint conjuges, et post 30 aut 40 annos moveatur lis de legitimitate filiorum. Schmalzgr. (ap. Bouix, *ib.*, p. 434).

6086. Resp. 2° Ut testes ad deponendum de nullitate Matrimonii in facie Ecclesiæ contracti, admittuntur qui certiorem illius notitiam habent, proinde etiam parentes, consanguinei et affines (cap. *Videtur* 3, *qui Matrim. ac-*

cus., et cap. *Quoniam, de testibus*), et hoc etiamsi deponant pro sustinendo Matrimonio. Si tamen ex circumstantiis suspectum appareret testimonium eorum, ut si sponsa peteret ut validum haberetur Matrimonium cum viro sibi divitiis præstante, tunc parentum testimonium non esset admittendum nisi concurrerent circumstantiæ quæ suspicionem removerent.

Insuper ut testes admitti non debent : 1° pecuniâ corrupti (cap. *Licet* 29, *de test. et attest.*) ; 2° qui non propriâ voce sed absentes per litteras testimonium perhibent (Cap. *A nobis* 2, tit. 18, lib. 4 Decret.; can *Testes* 15, causa 3, q. 3) ; 3° actor : si tamen judex ex officio procedat, denuntiator potest admitti ad deponendum. Ap. Bouix (*ibidem*, p. 432 et 433).

6087. Quærit. 5° Quomodo nunc à tempore Bened. XIV sit procedendum in causis nullitatis Matrimonii?

Resp. Ex Constit. Bened. XIV, 3 nov. 1741, incip. *Dei miseratione* : 1° instituendus est ab Ordinario in quâlibet diœcesi *defensor Matrimonii*, qui, in quantum fieri potest, clericus sit, et vitæ probitate et juris scientiâ sit idoneus, cum facultate tamen *eum suspendendi vel removendi, si justa causa adfuerit, et substituendi alium æquè idoneum* : *quod etiam fieri poterit, si erit legitimè impeditus.*

« Si judex in secundâ instantiâ fuit Metropolitanus, aut » Sedis Apostolicæ Nuntius, aut Episcopus vicinior, Ma- » trimonii defensor sit qui ab ipsis fuerit deputatus... Si » autem judex in secundâ instantiâ erit judex commissa- » rius, cui à Sede Apostolicâ causæ cognitio demandata » sit... volumus ut illo defensore Matrimonii utatur qui » constitutus fuerit ab Ordinario.., etiamsi idem Ordinarius » sit qui primam sententiam in eâdem causâ pronuntia- » verit. » (Ex Const. modò citatâ.)

Si Romæ causa sit judicanda, vide in eâdem Const. qualis tunc esse debeat Matrimonii defensor.

6088. — 2° Officium Matrimonii defensoris sic determinatur à Bened. XIV : ad ipsum spectat « in judicium venire » quotiescumque contigerit matrimoniales causas super » validitate vel nullitate coram legitimo judice disceptari ;

» eumque oportebit (etiam sub pœnâ nullitatis) in quolibet » actu judiciali citari, adesse examini testium, voce et » scriptis Matrimonii validitatem tueri, eaque omnia de- » ducere quæ ad Matrimonium sustinendum necessaria » censebit. » Insuper vult Pontifex ut dictus defensor non appellet, si Matrimonium pronuntietur validum; èontra ut appellet si in primâ instantiâ pronuntietur invalidum; et hoc etiamsi nulla pars appellet, aut si à suâ appellatione se desistat. Imò etiam à secundâ instantiâ debebit defensor appellare si malè pronuntiatum existimet.

Quinimò, si Matrimonium validum in secundâ instantiâ fuerit declaratum, sed postea, parte appellante, nullitas illius pronuntietur in tertiâ, poterit dictus defensor, sive solus sive adhærens alteri parti, ab hâc tertiâ sententiâ appellare. Ita Stremler, ex eâdem Const., § 8, 11, 14.

6089. Non solùm, cùm primùm constituitur, juramentum de officio suo fideliter explendo præstare debet defensor Matrimonii, sed et in singulis causis (*ib.*, § 7).

Ex dictâ Constit. duæ sententiæ conformes de nullitate Matrimonii, à quibus intra decendium non sit appellatum, requiruntur ut conjugibus sit licitum ad novas nuptias convolare : alioquin contrahentes novum Matrimonium omnibus pœnis contra polygamos latis subjacent.

6090. « Salvo semper, inquit Pontifex (§ 11), et firmo » remanente... privilegio causarum Matrimonialium, quæ, » ob cujuscumque temporis lapsum, nunquam transeunt in » rem judicatam : sed si nova res quæ non deducta vel » ignorata fuerit detegatur, resumi possunt et rursus in » judicialem controversiam revocari. »

Indicat postea (§ 12) Papa quibus modis poterit provideri salario dicti defensoris.

6091. Adhiberi autem debet defensor præfatus in omnibus, sed in solis causis in quibus agitur de valore vel nullitate matrimonii (§ 6) : hinc causæ de sponsalibus, de divortio quoad torum et habitationem, etc., juxta normam juris ordinarii expediendæ sunt.

Non autem excipiuntur à necessitate habendi defensorem matrimonii causæ in quibus est evidens matrimonium fuisse

nullum. Ita decisum à S. Congr. Conc. refert Bouix (*De Judic.*, tom. 2, p. 441-445), quoad Episcopum Sonorensem (in Americâ Septemtr.), 26 aug. 1848. De hujusmodi judicio vide *Analecta*, 2^e^ livr., col. 927-930; Lequeux, n° 921; *Prælect. S. Sulpit.*, n° 665.

6092. Ex Clement. *Dispendiosam* 2, *de Judiciis*, in causis matrimonialibus procedi potest *simpliciter et de plano, ac sinè strepitu judicii et figurâ*. Non autem liquet hanc facultatem fuisse revocatam per modò dictam Constitut. Bened. XIV. Tutiùs tamen aget judex si formam plenarii judicii observet. (Bouix, *ib.*, p. 446.)

Nota quòd ex Concil. Trident. (sess. 24, cap. 20, *de ref.*) et Const. Bened. XIV *Dei miseratione*, causarum matrimonialium cognitio, omnibus judicibus inferioribus, etiam Abbatibus *nullius*, *etiam Cardinalibus*, fuerit sublata, *non obstante quovis privilegio ac præscriptione*, *ac Episcoporum tantùm examini et jurisdictioni fuerit reservata : sed hoc non impedit quominus alius judex* possit specialiter delegari ab Ordinario. Vide *Analecta* (*ib.*, col. 927).

6093. Quærit. 6° Quid sit specialiter faciendum quando agitur de processu in causâ nullitatis matrimonii ex impedimento impotentiæ?

Resp. Præter jam dicta (4233, etc.), *nota* 1° quòd regulariter utraque pars, sive potens sive impotens, possit separationem petere ob impedimentum impotentiæ : excipe si vir allegans propriam frigiditatem ideò id faciat ut ad alias nuptias transitus permittatur, quia sibi contradiceret; secus, si allegaret impedimentum ex parte feminæ. (Vide ap. Bouix, *ib.*, p. 448.)

6094. *Nota* 2° circa temporis spatium intra quod nullitas matrimonii peti potest, quòd si uterque conjux fateatur impedimentum, audiri debent nullitatem postulantes quocumque tempore etiam post multos annos (cap. *Fraternitatis* 6, et cap. finale tit. 15, lib. 4 Decret.) : si unus impedimentum affirmet alter verò neget, vel tunc nullitas petitur ante triennium experientiæ à jure concessum, (4232), vel post illud; si posteriùs, audienda est pars reclamans ex cap. *Fraternitatis* et cap. finali modò citatis;

si priùs, id est si ante triennium elapsum nullitas petatur, audienda est si alleget signa certa vel saltem verisimilia impotentiæ; si verò solùm *dubia*, non audienda est ante triennium, nisi statim, id est post unum vel duos menses à copulæ attentatione elapsos, reclamet. Sic conciliatur cap. *Accepisti* 1, tit. 15 lib. 4 Decret. cum supra citatis capitulis. (Vide Bouix, *ib*, p. 469.)

6095. *Nota* insuper 3° quòd si is, ob cujus impotentiam dissolutum est matrimonium, postea comperiatur fuisse verè potens etiam relativè ad conjugem derelictam, restaurandum est priùs matrimonium, etsi aliæ nuptiæ fuissent initæ. Ratio patet : vide supra (4234).

6096. Quærit. 7° Quomodò sit procedendum pro obtinendâ dispensatione super matrimonio rato et non consummato?

Resp. S. Congr. Conc. non concedere dispensationes hujusmodi, sed solùm votum consultivum emittere super hoc : *num sit locus concedendæ dispensationis*. Ita Bened. XIV in Const. *Dei miseratione* supra citatâ. Examen autem Congreg. versatur circa duo hæc : *an probetur* matrimonium non fuisse consummatum? et an, hoc probato, justa allegetur dispensandi causa? quæ si duo constent, S. C respondet *affirmativè;* si autem alterutrum desit, negativè respondet. Et postea Secretarius S. Congreg. defert votum ad Sanctissimum qui, prout illud approbat aut rejicit, concedit vel denegat dispensationem. Vide alia ap. Bouix (*De Judiciis*, tom. 2, p. 454-458).

6097. Quærit. 8° Quomodo procedi debeat in informatione capiendâ de statu libero eorum qui matrimonium inire cupiunt?

Resp. Ex Concil. Trid. (sess. 24, c. 7, *de ref.*), non debet parochus vagorum matrimoniis assistere, nisi priùs diligenter inquisierit utrum sint liberi ad contrahendum, et nisi insuper, negotio ad Ordinarium delato, licentiam procedendi ad matrimonium ab ipso obtinuerit.

Ex instructione verò S. Officii per Decretum Clementis X confirmatâ, 21 aug. 1670, quæ legi potest ap. Bouix (*ib.*, p. 459), et fusiùs ap. *Analecta* (avr. 1854, col. 847-850),

generaliter statuitur non posse parochos ad matrimonium cujuscumque, etiam diœcesanorum procedere, nisi priùs in Curiâ Episcopali juridicè probata fuerit libertas contrahentium. Examen tamen testium potest ab Ordinario demandari, alicui viro idoneo, sed tunc depositiones ad Curiam episcopalem sunt mittendæ, à quâ expediri semper debet statûs liberi attestatio. Forma autem faciendi examinis in instructione præscripta ad unguem servanda præscribitur.

6098. Pro matrimoniis cum exteris contrahendis, parochi prohiberi debent ab Ordinariis ne publicationes faciant ante receptam à Curiâ episcopali attestationem de libertate statûs (Vide supra 1382-1383). Videtur ergo quòd pro diœcesanis, parochi ante dictam attestationem possunt publicationes facere.

Vagi exhibere debent suorum Ordinariorum attestationes de statu libero, et insuper servandum est Decretum Trident. supra citatum.

Si neque per attestationem suorum Ordinariorum, neque per testes, vagi suum statum esse liberum probare valeant, recurri solet ad S. Congr. Inquis. quæ præscribit quid sit tunc servandum. (Bouix, *ibi*.)

6099. Vigere adhuc censendæ sunt præfatæ dispositiones cùm fuerint renovatæ et confirmatæ à S. Pontifice Leone XII, sed apud nos non observantur præsertim quoad diœcesanos, nec fortè sunt apud nos hodie tàm necessariæ quàm erant olim, eò quòd officiales civiles, ad contractum civilem non admittant nisi priùs constiterit de statu libero contrahentium. Cùm tamen omnia impedimenta canonica à lege civili non admittantur, utiliter saltem etiam hodie apud nos observarentur hujusmodi dispositiones : sed quoniam illud à parochis non dependet sed ab Episcopis, sufficere videtur ut parochi inquirant, in quantum possunt, de libertate contrahentium, et se aliunde statutis diœcesanis et mandatis Ordinariorum se conforment. Quoad vagos tamen nunquam ad matrimonium ipsorum procedant, non solùm antequam ipsis constiterit de libertate partium, sed etiam antequam totum negotium retulerint ad proprium Ordinarium, ab eoque licentiam ulteriùs procedendi obtinuerint,

juxta Tridentinas dispositiones. Vide insuper dicta supra (p. 1382, etc.).

Legi potest ap. Bouix (*ib.*, p. 466) formula attestationis de statu libero in ordine ad matrimonium.

6100. Superesset dicendum hîc de causis nullitatis professionis religiosæ, sed satis de iis diximus supra (2718, etc.). Vide etiam (3052-3056) quomodo procedi debeat in causis religiosorum criminalibus, et (3085 etc.) quomodo procedi debeat in eorum ejectione.

PARS SECUNDA.

DE DELICTIS.

6101. « Delictum seu crimen est libera ac voluntaria » divini aut humani juris violatio, quæ in detrimentum » Ecclesiæ vel civilis potestatis redundat. » (Card. Soglia, *Inst. jur. priv.*, § 228.) — Distinguitur à peccato simpliciter, in eo quòd peccatum, licet sit divini aut humani juris violatio, societati tamen nocumentum non infert. « Les » délits contraires à la loi naturelle ou divine, inquit Strem- » ler (*Des Peines ecclés.*, p. 65), et qui ne blessent pas en » même temps une loi ecclésiastique ou civile, se nomment » péchés... Le péché... pourra être grave, et même énorme » en soi, mais aux yeux de la loi civile, ou du for extérieur de l'Église, il ne sera pas réputé délit ni crime, ni » puni comme tel tant qu'il n'aura pas été l'objet d'une » loi ecclésiastique ou civile. »

6102. Delicta alia sunt *ecclesiastica* quæ soli Ecclesiæ directè officiunt : qualia sunt quæ fidem et religionem directè lædunt, ut apostasia, hæresis, schisma, simonia, etc.; alia sunt *civilia* quæ sæculari Reipublicæ potissimùm nocent, ut homicidium, furtum, peculatus, etc.; alii tandem sunt *communia* seu *mixta* quæ religioni pariter et Reipublicæ adversantur, ut crimen usurarum, adulterii, concubinatûs, sortilegii, etc. Item delicta alia sunt *occulta*, alia *publica*, vel *manifesta* vel *notoria*, de quibus vide supra

(794, *in notâ;* 1648, 1780); et Stremler, *Des peines ecclés.*, p. 67-80.

6103. De criminibus ecclesiasticis solus judex ecclesiasticus etiam contra laicos cognoscit et judicat, siquidem judicium est de re spirituali; crimina civilia judex laicus cognoscit : crimina autem mixta uterque judex cognoscit, servatâ lege præventionis : attamen omnia crimina sive laicorum sive clericorum pro foro interno et sacramentali, imò aliquando etiam pro foro externo, ad Ecclesiam spectant; vide dicta supra (5530, etc., 5536). Unde de præcipuis eorum indiscriminatim dicemus in capitibus sequentibus : nempe 1° de delictis contra fidem et unitatem Ecclesiæ; 2° de delictis contra virtutem religionis; 3° de delictis venereis; 4° de delictis contra justitiam.

CAPUT I.

DE DELICTIS CONTRA FIDEM ET UNITATEM ECCLESIÆ.

6104. Hujusmodi delicta sunt *apostasia*, *hæresis* et *schisma*.

ART. I.

DE APOSTASIA.

6105 Apostasia est defectio à Deo, quatenus vel fides christiana, vel status religiosus, vel ordo sacer receptus deseritur. Triplex ergo est apostasia, *à fide* scilicet, à *Religione* seu *statu religioso*, et à *sacro ordine*.

6106. — 1° Apostasia à fide est totalis discessio à fide christianâ : fieri potest vel ad amplectendum judaismum, vel paganismum, vel mahumetismum, vel etiam (nullâ admissâ falsâ religione) ad atheismum profitendum aut in indifferentiâ omnis religionis permanendum.

6107. Ab hæresi discrepat apostasia quòd hæresis non ex toto, sed ex parte duntaxat in uno aut pluribus articulis, apostasia autem totaliter abhorret à fide : unde qui à verâ religione ad aliquam sectam hæreticam, prout lutheranam, anglicanam transeunt, nonnisi impropriè apostatæ nun-

cupantur; nec pœnis contra apostatas jure communi specialiter statutis subjacent. Ita communiter Reiffenstuel (*De Judic.*, pars 5, tit. 9, n° 3). Lequeux tamen (n° 1367) secus videtur opinari.

6108. Præter autem pœnas contra hæreticos latas, apostatæ, quandiù vivunt et post mortem per quinquennium, accusari et in suis bonis per confiscationem puniri possunt (Leg. *Si quis* 2, et 4 *apostatarum* 4, c. *de apostatis*), nec suffragatur eis pœnitentia uti hæreticis (L. *Hi qui* 3, c. eodem).

6109. In Albaniâ, Serviâ, aliisque regionibus quæ Turcis subjacent, invaluerat consuetudo quâ christiani nomina turcica assumerent, quominus possint liberiùs negotiari cum infidelibus variasque evadere vexationes : hoc prohibitum fuit à Concilio in Albaniâ habito anno 1703, quam prohibitionem confirmavit Bened. XIV in suis Constit. *Inter omnigenas* et *Quod Provinciale*. (Vide *De Synod.*, lib. 13, cap. 20, n° 8, etc.)

Aliud est omittere propriam fidem, quod aliquando tolerari potest; aliud profiteri fidem alienam, quod nullo pacto licet, etsi hoc fieret solummodo exteriùs, prout constat exemplo Eleazari (2 Mach., c. 6). Unde reprehensibiles erant illi christiani, qui urgente persecutione tempore S. Cypriani, obtinebant à magistratibus securitatis libellos in quibus falsò asserebatur eos diis sacrificasse Christumque negasse ut sic supplicia evaderent. Itemque graviter peccaret qui transiens per infidelium regiones indueret se vestibus quibus soli infideles utuntur: prout si apud Turcas caput tobaleâ albâ circumdaret, ne ab ipsis occideretur vel comprehenderetur, quia sic ut desertor fidei censendus foret; secus si vestes indueret quæ tantùm significarent distinctionem gentis à gente, non religionis à religione. (Vide *De Syn. diœces.*, lib. 13, cap. 20, n^is 1-12, etc.)

Circa hæc autem notandum est Decretum S. Inquisit. 18 jul. 1630 : quæsitum fuerat à S. Congr. : « An apostatæ à fide... ad pœnitentiam redeuntes cogendi sint ad » retractandum explicitè et publicè coram infidelibus cum » periculo vitæ, sicut negârunt fidem : an verò sufficiat

» coram fidelibus publicè abjurare apostasiam... et im-
» plicitè apud infideles, abstinendo ab actibus infideli-
» tatis, et deponendo habitum? Sanctissimus Dom. noster
» censuit apostatas à fide redeuntes ad pœnitentiam non
» teneri ad abjurandam apostasiam publicè coram infide-
» libus; sed sufficere ut eam abjurent... coram fidelibus,
» abstinendo se ab actibus infidelitatis, ac deponendo
» habitum infidelium, quatenus sit protestativus falsæ reli-
» gionis : si verò sit æquivocus, posse illum deferre.
» Quòd si ex illâ delatione, ratione personæ, aliqua oriatur
» suspicio, teneri aufugere cùm primùm poterit. » (*De Synodo, ib.*, nº 13.)

6110.—2º Apostasia à statu religioso est criminosa abjectio vitæ monasticæ solemniter professæ, cum animo ad regulare Institutum non ampliùs redeundi : de eâ satis diximus supra (3077-3084).

6111.—3º Apostasia à sacro ordine locum habet quando clericus in sacris constitutus, relictis habitu et tonsurâ clericalibus, vitam sæcularem aut statum conjugii amplectitur.

Pœnis sequentibus minatur vel plectitur apostata ab ordine : 1º excommunicatione, non quidem latæ (nisi matrimonium contrahere præsumpserit) sed ferendæ sententiæ (ex cap. 1 *De Apostatis*, et Clement. unicâ *de consang. et affin.*); 2º habendus est ut ipso facto infamis (cap. *Alieni* 23, causa 2, q. 7), proinde est irregularis; 3º amittit privilegium canonis juxta dicta superiùs (1687); 4º mancipari posset duro carceri ab Episcopis, juxta cap. *A Nobis* 5, *de Apostatis :* sed hoc apud nos fieri nequit.

ART. II.

DE HÆRESI.

6112. — I. Hæresis considerari potest vel 1º *in se* seu *objectivè*, et sic spectata est assertio contradicens alicui veritati quæ ab Ecclesiâ proponitur tanquam à Deo revelata, et proinde ab omnibus firmâ fide tenenda; vel 2º in *individuo* seu *subjectivè*, et sic est error voluntarius et perti-

nax contra veritatem fidei catholicæ in eo qui profitetur religionem christianam.

De priori modo hæresim intelligendi et quomodo hæresis differat à propositione *erroneâ*, *falsâ*, *sapiente hæresim*, etc., consulendi sunt theologi dogmatici in tractatu de fide vel de notis theologicis. Sufficiat ergo hic explicare quid sit hæresis in secundo sensu : per solam enim hæresim subjectivè sumptam aliquis *hæreticus* constituitur.

6113. Dicitur 1° *Error contra veritatem fidei catholicæ :* unde propriè hæreticus non est qui verbis tantùm hæresim profert, quin intellectus hæresi verbis prolatæ adhæreat : error autem intellectûs debet esse directè et immediatè contra veritatem ab Ecclesiâ definitam tanquam de fide. Sufficit tamen dubium positivum plenè deliberatum, quia sic dubitans eo ipso judicat Ecclesiam posse errare : unde in cap. *Dubius* 1, *de Hæreticis*, dicitur : « Dubius in fide » infidelis est. »

6114. Dicitur 2° *Voluntarius et pertinax*. Haberi debet ut pertinax qui voluntariè suæ sententiæ adhæret contra doctrinam Ecclesiæ ipsi sufficienter propositam, seu quando scit contrarium teneri ab universali Ecclesiâ, etsi acriter et mordicùs eam non tueatur : de quo sic habet S. August. in can. *Dixit Apostolus* 29, causa 29, q. 3 : « Dixit Apos- » tolus : hæreticum hominem post primam et secundam » correptionem devita... Sed qui sententiam suam, quamvis » falsam..., nullâ pertinaci animositate defendunt, præ- » sertim quam non audaciâ suæ præsumptionis pepere- » runt, sed à seductis, atque in errorem lapsis parentibus » acceperunt, quærunt autem cautâ sollicitudine veritatem, » corrigi parati cùm invenerint, nequaquam sunt inter » hæreticos deputandi. » Vide ap. S. Liguor., lib. 2, n° 19. — Qui nescit suam sententiam esse contra Ecclesiæ doctrinam, is est duntaxat materialiter hæreticus, nec incurrit pœnas contra hæreticos latas. Nec item formaliter hæretici sunt habendi qui ex ignorantiâ, *etiam crassâ aut supinâ*, nesciunt Ecclesiam aliter sentire; imò juxta Patuzzium (*Curs. compl.*, tom. 6, col. 648), nec etiam hæretici formales sunt quorum ignorantia esset affectata ex solo

addiscendi tædio; secus tamen si ex contemptu Ecclesiæ, prout esset si quis non curaret scire quid Ecclesia sentiat de suâ opinione. Vide etiam de his Melchior Cano, *De loc. theolog.* (*Curs. compl.*, tom. 1, col. 770). — S. Liguor. tamen (lib. 7, n° 301) probabiliorem habet sententiam quæ tenet etiam tunc non incurri excommunicationem contra hæreticos latam, quia Ecclesiæ non contradicit qui nescit se Ecclesiæ contradicere, ob quamcumque ignorantiam hoc faciat.

6115. Dicit 3° *In eo qui profitetur religionem christianam;* alioquin esset infidelis : imò ut hæreticus pœnas Ecclesiæ incurrat, baptizatus esse debet.

6116. — II. Hæresis alia est purè mentalis, quæ in mente continetur nulloque actu externo proditur : alia est externa, quæ aliquo actu externo moraliter malo manifestatur; dicitur *moraliter malo* : unde pœnas contra hæresim latas non incurrit qui suam hæresim manifestat ad petendum consilium : vide S. Liguor., lib. 7, n° 304; sufficit tamen ad has pœnas incurrendas ut manifestatio erroris sit externa, etsi occulta (*ib.*, 305). Externa autem potest esse *vel occulta*, quæ penitùs ignoratur, vel à tam paucis cognoscitur ut possit aliquâ tergiversatione celari; *vel manifesta*, quæ à plurimis cognoscitur, nec ampliùs potest celari : de hâc sic habet cap. *Super quibusdam* 26, *de verb. signif.* : « Tua devotio postulavit à Nobis qui sunt dicendi » hæretici *manifesti* : super quo tibi duximus respondendum illos esse intelligendos manifestos hæreticos, qui » contra fidem publicè prædicant, aut profitentur seu » defendunt eorum errorem, vel qui coram Prælatis suis » convicti sunt, vel confessi, vel alteris sententialiter con» demnati super hæreticâ pravitate. » Manifesta verò esse potest hæresis vel notorietate *juris*, vel notorietate *facti*. Vide supra (3206, 5997).

6117. Insuper circa hæresim distinguuntur *credentes, relapsi, suspecti de hæresi et complices* : per *credentes* intelliguntur sectatores hæresiarcharum; per *relapsos* ii qui postquam suam hæresim palam ejuraverunt, ad vomitum suum revertuntur; *suspecti de hæresi* sunt illi qui licet hæ-

resim manifestè non profiteantur, meritò tamen ut tales præsumuntur ex variis indiciis : de iis sic habet Concil Lateran. IV (Cap. *Excommunic.* 13, *de hæreticis*) : « Qui » autem inventi fuerint *solâ suspicione notabiles*, nisi juxta » considerationem suspicionis, qualitatemque personæ » propriam innocentiam congruâ purgatione monstrave- » rint, anathematis gladio feriantur, et usque ad satisfac- » tionem condignam ab omnibus evitentur : ita tamen » *quòd si per annum in excommunicatione perstiterint, ex* » *tunc velut hæretici puniantur.* »

Per *complices* intelligi debent : 1° *receptatores* qui asylum hæreticis præbent ne veniant in judicum manus, vel fortè qui domos suas ad conventicula præstant; 2° *defensores* qui hæreticos indebitè defendunt, ne à judicibus puniantur; 3° *fautores* qui, quocumque modo, hæreticis auxiliantur contra coercitionem legitimam erga ipsos adhibitam. Vide Lequeux, n° 1345.

6118. Variis pœnis hæresis à sacris canonibus plectitur: illæ autem pœnæ sunt, juxta C. Soglia: « 1° Excommunicatio latæ » sententiæ S. Pontifici reservata (modò hæresis sit consum- » mata interiùs et exteriùs), quam etiam incurrunt fautores » et receptores, tum ipsorum libros legentes, retinentes, ac » imprimentes » (cap. *Excommunicamus* 13, *de hæreticis*). Vide etiam S. Lig., lib. 7, n° 306 : probabile est tamen eam excommunicationem non incurri à parentibus et filiis, si non ex motivo hæresis sed ratione consanguinitatis aut amicitiâ hæreticis faveant (*ibid.*, n° 307). « 2° Depositio, si » clerici fuerint, ab omni officio et beneficio, ac degra- » datio. 3° Inhabilitas ad quodlibet officium et beneficium » ecclesiasticum. 4° Irregularitas seu inhabilitas ad sacros » ordines suscipiendos vel exercendos : his tribus pœnis, » nimirùm privatione omnium officiorum et beneficiorum, » itemque inhabilitate ad quævis officia et beneficia et ir- » regularitate mulctantur etiam fautores, receptores et de- » fensores hæreticorum, atque ipsorum liberi ad primum » et secundum gradum per lineam paternam, per mater- » nam verò ad primum gradum duntaxat. *Et quidem*, in- » quit Bened. XIV, *De Syn...*, lib. 13, cap. 24, *pater etiam*

» *post ejuratam hæresim irregularitate tenetur, adeoque* » *dispensatione indiget ad ordines suscipiendos. At relictâ* » *à patre hæresi, eoque ad Ecclesiæ sinum reverso, filii,* » *juxta æquiorem et magis receptam interpretationem,* » *irregularitate solvuntur.* » Vide supra (1808). « 5° Infamia » non tantùm facti, sed etiam juris, ipso facto incurrenda » (cap. 13, *De hæreticis*). Hæc autem infamia ad filios » hæreticorum non porrigitur, cùm id nullo jure sancitum » sit. 6° Denique privatio sepulturæ ecclesiasticæ... : cap. » *Sicut, de hæreticis...;* in cap. 2, eodem, in 6°, sancitum » est : *Ut quicumque hæreticos, vel credentes, vel recep-* » *tatores, vel defensores, vel fautores eorum scienter præ-* » *sumpserint ecclesiasticæ sepulturæ tradere, sententiam* » *excommunicationis incurrunt usque ad idoneam satisfac-* » *tionem.* » Ita Card. Soglia, *Inst. jur. priv.*, § 232 : vide supra (4716). Deneganda est autem sepultura ecclesiastica hæretico, etiamsi non sit denuntiatus, modò sit notorius et licet pariter non pertineat ad sectam separatam, ut constat ex Constit. *Inter cunctas* Martini V, ubi dicitur § 8 : « Si hæretici publici ac manifesti, licet nondum per Ec- » clesiam declarati, in hoc tam gravi crimine decesserint, » ecclesiasticâ careant sepulturâ, nec oblationes fiant aut re- » cipiantur pro eisdem. » An autem cœmeterium polluatur per sepulturam hæretici notorii, vide dicta supra (4799).

Quoad pœnas à sæculari potestate contra hæreticos sancitas, vide Card. Soglia (*ibidem*).

6119. Quærit. 1° A quibusnam et quomodo hæreticus sit absolvendus?

Resp. Quoad primam quæstionis partem vide dicta supra (1166-1169). Quoad verò secundam partem si agatur de foro externo : 1° Exigi debet ante omnia hæresis abjuratio, pro quâ consule Pontificale : *ordo ad reconciliandum*, 3 pars. Vide etiam infra (6135); vel si abjuratio ab alio quàm ab Episcopo esset recipienda, determinanda esset forma ab eo qui dat facultatem hæreticum reconciliandi (6462-6466). In Galliâ sic generatim conficiebatur actus abjurationem referens : « *N... Episcopus... notum facimus universis, die... N... hæresim N... quam antea profitebatur*

deposuisse, ac fidei catholicæ, apostolicæ et romanæ professionem juxta formam ab Ecclesiâ præscriptam emisisse, ipsumque à vinculo excommunicationis solutum, quo propter dictum hæresim ligatus erat, in Ecclesiâ catholicâ receptum fuisse. Vide André, *Cours de droit canon*, v° *Abjuration.*

6120. — 2° Expendi debet an hæreticus reconciliandus validè fuerit baptizatus : in dubio autem de validitate Baptismi baptizandus est sub conditione ; postea absolvendus est à censuris et deinde, auditâ ejus confessione, absolutio sacramentalis ab ejus peccatis sub conditione est ipsi impertienda : quippe supposito dubio baptismo, dubium est pariter an talis reconciliandus indigeat absolutione. Juxta Bened. XIV (*De Syn.*, lib. 9, cap. 4, n° 3) hæreticus ad tribunal Episcopi deductus potest ab eo reconciliari, et pro utroque foro absolvi à censurâ : imò, postquam suos ejuravit errores, ad simplicem confessarium remitti potest, ut ab eo absolvatur ; eaque absolutio, licet data in foro sacramentali, prodest etiam pro foro externo.

6121. Quærit. 2° Quid à lege ecclesiasticâ sit sancitum quoad lectionem, retentionem et impressionem librorum hæreticorum ?

Resp. Vide respons. supra (730-768 et 1634).

6122. Quærit. 3° Utrum sit licitum de rebus fidei disputare cum infidelibus et hæreticis ?

Resp. Jure *naturali* cuilibet indocto prohibitam esse talem disputationem, quia in detrimentum religionis vergeret.

Jure *positivo* prohibitam videri omnibus laicis : dicitur enim in cap. *Quicumque*, *de hæreticis*, in 6° : « Inhibemus » quoque ne cuilibet laicæ personæ liceat publicè vel pri- » vatim, de fide catholicâ disputare : qui verò contra fece- » rit, excommunicationis laqueo innodatur. » Dicitur tamen in Glossâ quòd vox *laicæ* intelligenda sit fortè ad *modum ultramontanorum qui illiteratos laicos vocant, et litteratos clericos.* De quo vide etiam Patuzzium (ap. *Curs. compl.*, tom. 6, col. 631) ; sed quidquid sit de his, excipiendus est casus necessitatis aut magnæ utilitatis ; puta cùm refellendus esset hæreticus qui cum injuriâ fidei ejus-

que periculo loquitur. Item excipiendi sunt loci ubi contraria invaluit consuetudo, ut evenit in Germaniâ et aliis locis in quibus catholici permixti vivunt cum hæreticis. (Vide S. Liguor., lib. 2, nº 19, 6°.)

Doctioribus ecclesiasticis certè licet disputare cum hæreticis, servatis tamen servandis : ut nempe adsit majoris boni spes, nec sit periculum ex parte auditorum. Sed ut pericula omnia, in quantùm fieri potest, magis removeantur, consulendus est Ordinarius, nec sinè ipsius licentiâ publicæ disputationes cum hæreticis sunt aggrediendæ. Vide Lequeux (nº 1356, 3ª edit.), et Auct. *Prælect. S. Sulp.*, nº 685.—Secus est dicendum de disputationibus privatis, ut patet.

6123. Quærit. 4° Quatenus hæresis inducat privationem officiorum et beneficiorum?

Resp. Certum esse 1° occultum hæreticum non amittere jurisdictionem, nec Dignitatem « donec ipse, ait Bellar- » minus (*de Eccles. milit.*, lib. 3, cap. 10), se ab Ecclesiâ » separet, aut convictus hæreseos separetur. »

Certum esse 2° ante Extrav. *Ad evitanda scandala*, hæreticos et schismaticos manifestos jure ecclesiastico caruisse ipso facto omni ecclesiasticâ jurisdictione.

Disputatur an post dictam Extravagantem, saltem jure divino, illi hæretici aut schismatici manifesti jurisdictionem penitus amittant?— Affirmat Bellarminus (*De Roman. Pontif.*, lib. 2, c. 30), eò quòd per hæresim manifestam aliquis desinat esse membrum Ecclesiæ. Negat verò Suarez (*De Fide*, sect. 5, disp. 21), quia fides, etiam externa, non est fundamentum omninò necessarium jurisdictionis ecclesiasticæ, ut constat ex eo quòd absolutio ab hæretico in extremâ necessitate data, communiter habeatur ut valida; et insuper colligitur ex Conciliis Nicæno et Chalced. (cap. *Convenientibus*, causa 1, q. 7), Episcopos hæreticos suam hæresim retractantes, aliquando in suis muneribus et Dignitatibus conservatos fuisse sinè novâ institutione. Huic sententiæ Suarezii adhæret Card. Soglia ut majori rationum pondere præditæ et magis ab auctoribus receptæ. Vide insuper dicta superiùs (557, 682).

6124. Quærit. 5° An et quatenus sit prohibitum communicare cum hæreticis?

Resp. Certè esse illicitum communicare cum hæreticis si sint nominatim denuntiati, ut dicturi sumus infra tractando de excommunicatione; si verò non sint denuntiati, ante Concil. Constantiense canones vetabant cum ipsis consortia habere; sed per Bullam *Ad evitanda scandala*, non nihil relaxata fuit in hoc Ecclesiæ disciplina, ut ibidem dicturi sumus. Quidam tamen putant adhuc vetitam esse, si non ex jure ecclesiastico, saltem ex jure divino communicationem cum hæretico manifesto: et certè communicatio hæc illicita est, consentientibus omnibus, in casibus sequentibus: 1° si communicetur in ipsâ doctrinâ, in ritibus hæreticis, ut participare cœnæ calvinistæ, aut aliæ rei ob quam communicans graviter de suâ fide suspectus haberetur; 2° si ex communicatione periculum propriæ perversionis immineret, vel si oriatur scandalum proximi aut catholicæ religionis contemptus: unde peccarent catholici qui magistris hæreticis filios suos educandos committerent; 3° si per hujusmodi communicationem hæreticus fieret audacior et in suo errore pertinacior.

6125. Circa hæc, notanda sunt varia Pii VI monita: nempe 1° in suo Brevi 19 mart. 1791, sic fideles admonebat: « Caveatis ne ullo modo communicetis, præsertim » in divinis, cum intrusis et refractariis, quocumque » nomine appellentur. » — In suis verò Brevibus, 26 sept. 1791 et 16 dec. 1793 dicebat: « Non licere fidelibus, » sive diebus feriatis, sive diebus Dominicis aliisque de » præcepto, missæ assistere celebratæ à parocho vel sim» plici presbytero, qui civicum juramentum emiserint, » neque eisdem fidelibus licere vesperis publicisque pre» cibus assistere, quibus parochus, vel simplex sacerdos » præest, cùm expressè vetita fuerit quævis communica» tio, præsertim in divinis cum intrusis et refractariis... » Non posse fideles parochum juratum adire pro sacra» mento Baptismatis, excepto casu extremæ necessita» tis, in quo non adest alius valens baptizare. Non licere » fidelibus patrini munere fungi in Baptismate adminis-

» trato à parocho vel presbytero jurato aut à parocho » intruso.

» Non licere mulieribus post partum se præsentes sistere » parocho aut presbytero jurato.

» Non esse improbandam rationem quam inierunt non- » nulli Gallicani Præsules, qui in articulo vel periculo » mortis pœnitentiæ sacramentum à sacerdotibus juratis, » ac etiam à parochis intrusis recipi posse permiserunt, » deficiente quovis alio sacerdote catholico. Non autem » licere absolutionem et communionem, quovis anni » tempore, præsertim tempore paschali, à parocho jurato » petere.

» Non licere parochum juratum adire pro matrimonio.

» Fideles genua flectere debere coram hostiis consecra- » tis, etiam ab intrusis : ne verò in ejusmodi cultu præs- » tando immiscere se videantur cum schismaticis, curan- » dum esse fidelibus ut declinent occasiones occursûs » schismaticorum cùm sacramentum deferunt. » Videri etiam potest (ap. Giraldum, *Expositio jur. pontificii*, pars 1, lib. 5 Decret., sect. 826) instructio data anno 1729 missionariis Orientis.

6126. Observandum est quòd non fuit prohibitum ne sacerdotes catholici celebrarent sacra mysteria in ecclesiis quæ à schismate profanatæ fuêre, quia per tale crimen templa non polluuntur. V. ap. Lequeux (n° 1366, 3ᵉ édit.).

6127. Extra supradictos casus (6124), aliqui autumant communicationem cum hæreticis, concurrente gravissimâ causâ, licitam esse, etiam in rebus divinis, suppositis tamen quibusdam conditionibus : « Haud equidem igno- » ramus, ait Bened. XIV (*De Syn.*, lib. 6, c. 5), non » deesse theologos ab omni culpâ absolventes catholicos » qui cum hæreticis et schismaticis, nominatione non » denuntiatis, communicant in divinis, atque etiam sacra- » menta ab iisdem recipiunt, dummodo hæ simul concur- » rant circumstantiæ : 1° ut... adigat gravissima et urgen- » tissima causa ; 2° ut hæretici aut schismatici, à quibus » sacramenta exposcunt, sint validè ordinati, et sacra » administrent ritu catholico, absque ullâ admixtione ri-

» tûs damnati; 3° ut communicatio cum eisdem in divinis. » non sit externa protestatio falsi dogmatis; 4° demum » ut nulli scandalum ingerat. Verùm... prædicta theolo- » gorum sententia suos habet adversarios, neque ab om- » nibus admittitur tanquam in praxi secura; dein, eâ etiam » admissâ, cùm omnes enumeratæ circumstantiæ simul et » conjunctim adesse debeant, ut catholicorum cum hetero- » doxis in rebus sacris societas omni vacet culpâ; idcircò » ferè impossibile est usuvenire, ut à flagitio excusari va- » leant catholici sese in rebus sacris cum hæreticis vel schis- » maticis admiscentes. » — Aliquando tamen id vacaret culpâ, ut constat ex verbis Pii VI supra relatis (6125).

6128. Etsi autem licitum non sit infidelium aut hæreticorum sacris ita interesse ut eis communicare censeamur, hoc tamen licet si spectes ut comœdiam, aut si quis famulatum præstet politicum domino suo, exemplo Naaman. Vide ap. S. Liguor. (lib. 2, n° 16).

6129. Non esset licitum adire conciones hæreticorum casu quo Princeps id sub gravissimâ pœnâ omnibus suis subditis præscriberet, etiamsi Princeps diceret se nihil aliud exigere quàm obedientiam civilem, quia contrarium velle reipsa videtur : ita Anglis rescripsit S. Pius V, et Paulus V anno 1606. Vide S. Liguor. (*ib.*, 13°); et Lequeux, n° 1353.

Ex causâ tamen audiri possunt conciones hæreticorum, modò absit scandalum, periculum perversionis et communicatio impietatis; item eorum templa visitare, ibique orare ritu catholico. (Reiffenst., pars 5, lib. 5, tit. 7, *De hæreticis*, n° 24.)

In Germaniâ, audire conciones hæreticorum, deducere funus, assistere Baptismo tanquam patrinus, non habentur signa professiva fidei, vel communicationis in sacris cum hæreticis. Imò, inquit Busembaum, patrinum fieri talis infantis, videtur potiùs optandum, seclusis aliis, quia non est aliud quàm se obligare ad eum erudiendum in fide catholicâ (ap. S. Liguor., *ib.*, n° 11). Secus sentiunt Lequeux (n° 1353, editio 3ª); Auctor *Prælect. S. Sulpit.*,

n° 685; eisque saltem favere videtur Pius VI in Brevibus supra relatis (6125).

De Matrimoniis cum hæreticis, vide supra (4303-4307).

6130. Præsentia autem hæreticorum vel schismaticorum precibus ac ritibus catholicis tolerari potest, ait Card. Soglia (*Inst. jur. priv.*, § 234), modò in eisdem functionibus, nec proprios ritus adhibeant, nec ritibus catholicis se immisceant; aliter nullo pacto est permittenda. Vide dicta supra (3148).

An in baptismo catholico hæretici possint admitti ut patrini, vide (3324).

ART. III.

DE SCHISMATE.

6131. Schisma *græcum nomen est*, ait cap. *Schisma*, causa 24, q. 1, *quod scissuram significat;* et locum habet quando aliquis sese separat voluntariè ab unitate Ecclesiæ catholicæ : « Inter hæresim et schisma, hoc esse (discrimen) » arbitramur, inquit S. Hieronymus (in *Epist. ad Titum*), » quòd hæresis perversum dogma habet, schisma propter » episcopalem discessionem ab Ecclesiâ separat. » Vix tamen schisma sinè aliquâ hæresi existit : tum quia schismatici facilè sibi persuadent extra Ecclesiæ unitatem salutem inveniri posse, quòd aperta hæresis est; tum quia ferè semper, propter alicujus fidei veritatis negationem sese ab Ecclesiâ segregant.

Schismatici sunt potissimùm illi qui sese separant ab Ecclesiâ Romanâ seu à Summo Pontifice, cùm « ad hanc » Ecclesiam, propter potiorem principalitatem, necesse » est omnem convenire Ecclesiam, hoc est eos qui sunt » undique fideles » (S. Irenæus, lib. 3, *contra hæres.*, cap. 3, § 2). Sed schismatici etiam nuncupantur, quamvis sensu minus stricto, qui se, à suo proprio Episcopo communionem cum Papâ habente, segregant, ei subesse detrectantes. « Schismatici dicuntur, ait S. Thomas (2, 2, » *quæst.* 3, art. 1), qui subesse renuunt S. Pontifici, et qui » *membris Ecclesiæ ei subjectis* communicare renuunt. »

Si verò peculiares Ecclesiæ inter se dissociantur, salvâ unitate fidei, et communione cum universalis Ecclesiæ Capite, propriè schisma non est, sed potiùs voluntatum et opinionum dissensio.

6132. Schisma est 1° vel *purum*, si cum nullâ conjungatur hæresi, quod vix fieri potest, ut jam diximus : si, v. g., regnum vel provincia, obedientiam Papæ tanquàm Capiti Ecclesiæ renuens, constitueret sibi Patriarcham, sinè Papæ consensu, quamvis de cætero papatum et omnes fidei articulos crederet.

Vel est *non purum*, si conjungatur cum hæresi : v. g. si non admittatur Primatus jurisdictionis S. Pontificis in universalem Ecclesiam.

2° Schisma est etiam vel *speciale*, vel *universale : speciale* est quando aliquis à propriâ Ecclesiâ, suoque Episcopo cum Apostolicâ Sede communionem habente, se injustè separat, et subesse omninò recusat. *Universale* est quando Ecclesia, Episcopus vel quivis fidelis subjectionem et obedientiam Romano Pontifici denegat.

6133. Quærit. 1° Quænam sint pœnæ contra schismaticos latæ?

Resp. Si non sint *puri*, easdem pœnas incurrere ac hæreticos de quibus supra diximus (6118).

Si *puri* sint, sequentes pœnas ab ipsis incurri : 1° excommunicationem majorem S. Pontifici reservatam (cap. *Nulli fas* 5, dist. 19 ; cap. *Liguribus* 43, causa 23, q. 5; C. *Apost. Sedis*, 3) ; 2° inhabilitatem ad beneficia et Dignitates ecclesiasticas, præsertim Episcopalem (cap. *Quia diligentia* 5, *de elect.*, et cap. 1, *De Schismaticis*, in 6°) ; et hoc probabiliùs locum habet etiam post peractam pœnitentiam ; 3° privationem jurisdictionis ecclesiasticæ : ex quo fit ut quæcumque collatio beneficii, alienatio rerum ecclesiasticarum, uniones ecclesiarum, sententia et absolutio censurarum, etc., ab ipsis factæ, ipso jure sint irritæ (cap. *Novatianus* 6, causa 7, q. 1 ; cap. *Didicimus* 31, causa 24, q. 2; cap. 1, *De Schismaticis*) ; 4° privandi sunt suis bonis, officiis, honoribus ac dignitatibus : cap. 1, *De Schismaticis*, in 6°. — Vide Reiffenst., pars 5, lib. 5, tit. 8, n^os^ 2-13. Hæc

intelligenda sunt etiam de *schismate speciali*. « Qui à suâ » Ecclesiâ suoque Episcopo injustè separantur, si clerici » sint, deponuntur, inquit Devoti (lib. 4, tit. 5, § 4); si » laici, extra Ecclesiam projiciuntur... Si Episcopus... » hæresis, apostasiæ, schismatis reus sit, rectè se christiani à » peccatore præposito separabunt. » V. C. *Apost. Sedis*, 3.

6134. *Nota* quòd qui ordines à schismaticis susceperunt, sunt ipso jure suspensi et inhabiles ad officia ecclesiastica, donec sint Ecclesiæ reconciliati. Hujusmodi ordinationes *irritæ* in sacris canonibus dicuntur, eò quòd nullum jus tribuant sacros ordines legitimè exercendi (cap. *Quod à prædecessore*; C. Fraternit., *De schism.*, et C. *Apost. Sedis*).

6135. Quærit. 2° Quomodo schismatici sint reconciliandi?

Resp. Pro regulâ dari posse videtur (modificanda tamen pro variis rerum circumstantiis) agendi ratio præscripta à Pio VI, ad reconciliandos eos qui civicum juramentum præstiterant in luctuosâ perturbatione Galliæ post annum 1789; porrò 1° ante Concordatum 1801, dabatur potestas Episcopis præfatos schismaticos reconciliandi, *prævià publicâ in casibus publicis abjuratione*, *in casibus verò occultis*, *prævià abjuratione coram confessario privatim emissâ*.

Hæc addebat Pius VI, 13 junii 1792, communicando ad tempus facultatem absolvendi *intrusos*: « Jubemus *intru-* » *sorum* absolvi neminem, nisi priùs scripto ejuraverit » civicum juramentum illosque errores qui in civili consti- » tutione cleri gallicani continentur, et nisi declaraverit » speciatim sacrilegas esse ordinationes ab intrusis sive » receptas sive peractas, irritam esse collatam ab eis » auctoritatem, injustamque et nullam esse intrusionem...; » et nisi jurejurando promiserit se Apostolicæ huic Sedi » legitimisque Episcopis obtemperaturum; et nisi denique » parochiam, ejusve partem reapsè abdicaverit, eorumque » abjuratio abdicatioque publica fuerit, perindè ac crimen » quoque publicum fuit: injunctis... pro qualitate cri- » minum et pœnitentium facultate... convenientibus satis- » factionibus. »

6136. — 2° Post verò Concordatum, Gubernium volens

omnia prætermitti quæ pacem externam perturbare poterant, à Cardin. Legato obtinuit ut *in foro externo* nihil aliud exigeretur à sacerdotibus dictis *constitutionalibus*, quàm declaratio quâ quisque profiteretur se *adhærere Concordato, et esse in communione sui Episcopi* à Papâ instituti. Pro verò *foro interno*, iidem monerentur *ut suæ conscientiæ providerent*. Vide Lequeux (nº 1365, 3ª edit.).

CAPUT II.

DE DELICTIS CONTRA VIRTUTEM RELIGIONIS.

6137. Dicemus de simoniâ, blasphemiâ, perjurio, sacrilegio, injuriâ Ordinibus regularibus illatâ, et magiâ.

ART. I.

DE SIMONIA.

6138. *Simonia* sic dicta à Simone Mago, qui oblatâ pecuniâ voluit à S. Petro obtinere potestatem communicandi dona Spiritûs S., definitur communiter : *studiosa* (seu deliberata) *voluntas emendi aut vendendi, pretio temporali, aliquid spirituale aut spirituali annexum.*

Ad intelligendam hanc definitionem tria sunt expendenda : 1º quid haberi debeat *tanquam spirituale aut spirituali annexum ;* 2º quid sit reputandum *pretium temporale ;* 3º quis actus seu quale pactum constituat *venditionem et emptionem* de quibus in definitione fit mentio.

6139. — 1º Nomine *rei spiritualis* intelligi debet res « supernaturalis ad salutem ordinata, sive sit formaliter » talis, ut gratia et dona Spiritûs S. ; sive causaliter, ut » sunt sacramenta, concio, preces et sacramentalia ; sive » sint effectus et usus potestatis supernaturalis, ut conse- » cratio, absolutio, dispensatio, benedictio, excommuni- » catio, electio, præsentatio, confirmatio, collatio bene- » ficii, aliique actus jurisdictionis ecclesiasticæ. » Ita Busembaum (ap. S. Liguor., lib. 3, nº 49).

6140. Nomine autem rei *spirituali annexæ*, intelliguntur ea quæ per se non sunt quidem spiritualia, sed ad ea ordinantur, sive annexa sint eis *antecedenter* ut juspatronatûs respectu beneficii, vasa et vestes sacræ respectu sacramentorum; sive *concomitanter*, ut labor intrinsecus in administratione sacramentorum; sive *consequenter*, ut redditus beneficiorum, qui dantur propter officium spirituale. (S. Liguor., *ib.*)

6141. Non habetur verò ut res spiritualis labor extrinsecus qui non est necessariò annexus functioni sacræ, qualis est itineratio extraordinaria, cantus in missâ, aut aliquid aliud pretio æstimabile. Cantus tamen habetur à Lequeux (n° 1323) tanquam labor intrinsecus, nisi agatur de cantu adhibito tantùm ad ornatum per organum aut alia instrumenta.

Instruere in doctrinâ sacrâ est quidem res spiritualis, si instructio tendat ad bonum tantùm spirituale aliorum: unde esset simonia sic instruere pro pretio, nec liceret aliquid recipere pro studio, defatigatione, quia hæc habentur ut labor intrinsecus: idem dic de labore ad præparandam concionem. Secus si instructio tendat etiam ad aliquod bonum temporale alterius, ad utilitatem, honorem, oblectationem, prout est instructio ad edocendas sacras Scripturas, aut theologiam sive polemicam sive moralem; unde S. Thomas (2, 2, q. 190, art. 13, ad 3) dicit: « Qui docet » scientiam, potest stipendium accipere, quasi operas suas » locans. » Et ob id in Universitatibus aliquid exigitur pro impertiendâ licentiâ docendi theologiam cum titulo *Doctoris*, vel decidendi casus morales pro bono scientiæ, quamvis hoc conducat ad animarum pacem; secus esset dicendum, si hoc officium tenderet tantùm ad bonum spirituale, puta ut alii moverentur ad pœnitentiam, etc... S. Liguor. (lib. 3, n^is^ 93-95). Vide Clement. *Cùm sit*, *de magistris*. His autem fortè non absolutè adversatur cap. *Quanto* 3, *de magistris* (Reiffenst., lib. 5, tit. 5, *de magistris*, n^le^ 24, etc.).

6142. Item non debet haberi ut res spiritualis sustentatio personæ à quâ spirituale præstatur: unde non est simonia

accipere pecuniam, non ut pretium, sed ut stipendium sustentationis, etiam pro labore intrinseco in tali ministerio impendendo, ut infra dicemus (Vide S. Liguor., lib. 3, n° 55). Communiter ut temporale habetur officium ecclesiam custodiendi, mundandi, corpora defunctorum deferendi, inhumandi, etc.

6143. — 2° Ut *pretium temporale* haberi debent non solùm munus à *manu*, id est pecunia, et quodcumque temporale quod pretio sit æstimabile, quale esset etiam remissio vel solutio debiti, vel pactum de præstando mutuo etiam in incontinenti; item si Episcopus dans beneficium conveniat cum accipiente quòd iste alteri pensionem præstabit : vel si quis paciscatur cum aliquo, quòd si eum adjuvet ad beneficium obtinendum, pensionem illi solvet (S. Liguor., lib. 3, n^is^ 56, 57); sed etiam *munus à linguâ*, ut est laus, vituperium, patrocinium, etc., aut etiam *munus ab obsequio et famulatu*, uti docere, inservire (*ib.*, 49, 61).

6144. — 3° Per *venditionem et emptionem*, intelligendi sunt quivis contractus onerosi, sive venditionis sive locationis sive permutationis aut renuntiationis, quibus irreverenter res spirituales, instar temporalium, pretio æstimantur et contractibus subjiciuntur. Non autem existit simonia saltem extra mentem, sinè aliquâ pactione, vel expressâ vel tacitâ et obligatione ex pacto.

6145. Simonia quadruplex est : 1° *mentalis*, cùm quis dat temporale cum animo obligandi ad reddendum spirituale, aut èconverso, sed absque ullo pacto : est vel purè *mentalis* quæ nullo modo influit in actus externos; vel *non purè mentalis* quæ licet influat in actus externos, attamen nihil deducit in pactum, etiam tacitum.

6146. — 2° *Conventionalis*, cùm adest pactum, sed nondum à contrahentibus executum. Si tamen ab unâ parte executioni mandaretur simonia vocaretur tunc *mixta*.

Nulla in jure canonico clarè expressa reperitur pœna adversùs simoniam, sive mentalem sive purè conventionalem sive mixtam.

6147. — 3° *Realis*, cùm pactum jam est impletum ex utrâque parte saltem inchoativè, cùm scilicet, datâ re

spirituali ab uno, ab altero solvitur pars saltem pretii conventi.

6148. — 4° *Confidentialis*, quando resignantur beneficia cum conditione *accessûs*, *regressûs*, vel *ingressûs* ad ipsa, vel cum confidentiâ recipiendi fructus ex beneficio resignato : si enim confidentia esset de aliâ re temporali recipiendâ, esset quidem simonia, sed non confidentialis.

Fit autem confidentia per *accessum* cùm quis renuntiat beneficium alteri, cum pacto ut ille deinde resignet et alteri conferatur. Fit per *regressum*, cùm quis sibi reservat jus reassumendi iterum beneficium in aliquo casu. Fit tandem per *ingressum*, si resignes beneficium tibi collatum, sed nondum possessum, cum pacto capiendi possessionem illius in aliquo casu aut tempore. (S. Liguor., lib. 3, n^is^ 49, 84, 85.)

6149. Iterum simonia, alia est juris naturalis in quâ accipitur temporale pro pretio rei spiritualis; alia juris ecclesiastici quæ ab Ecclesiâ prohibetur ob apparentiam quam habet simoniæ, vel periculum quod ingerit ad simoniam (S. Liguor., lib. 3, n° 50) : v. g. quando Ecclesia prohibet ne aliquid accipiatur pro sacro chrismate, vel quando prohibet confidentiam (can. *Placuit* 102, causa 1, q. 1; cap. *Ea quæ, de simon.*). Vide alia ap. S. Liguor., lib. 3, n^is^ 68, 69.

6150. Simonia est unum ex maximis criminibus et hæresi proxima habetur à sacris canonibus, qui eam vocant *simoniacam hæresim* (can. 3, 11, 13, 20, 21, 28, 103, 117, causa 1, q. 1). « Omnia enim crimina, inquit cap. *Patet* 27, » causa 1, q. 7, ad comparationem *simoniacæ hæresis*, » quasi pro nihilo reputantur. » — « Pecunia tua tecum » sit in perditionem, quoniam donum Dei existimasti pe- » cuniâ possideri » (Act. Apost., cap. 8, v. 20). Communis autem est sententia, casu quo simonia est juris naturalis, non dari in eâ parvitatem materiæ : casu verò quo est tantùm juris ecclesiastici, probabiliter adesse potest materiæ parvitas, quia quando non accipitur temporale pro pretio rei spiritualis, sed acceptio vetita est ad vitandam tantùm speciem simoniæ, reipsà non fit injuria rei spirituali, sed

violatur tantùm præceptum Ecclesiæ, in quo potest contingere parvitas materiæ. (S. Liguor., lib. 3. n° 50.)

6151. Quærit. An semper ac datur temporale pro spirituali, vel contrà, sit simonia?

Resp. 1° Certum est quòd si adsit aliquis legitimus titulus extrinsecus ad aliquid offerendum vel accipiendum, ita ut temporale non detur pro spirituali aut vice versâ, tunc non adest simonia : v. g. si temporale detur non tanquam pretium rei spiritualis, sed tanquam stipendium personæ in gratiam alterius occupatæ. « Accipere aut dare aliquid » pro sustentatione ministrantium secundùm ordinem » Ecclesiæ et consuetudinem approbatam, licitum est », inquit S. Thomas (2, 2, q. 100, art. 3) ; idque currit, ait S. Liguor. (lib. 3, n° 55), etiamsi minister sit aliunde locuples ex bonis propriis vel ecclesiasticis, quia juxta Apostol. (1 Cor., c. 9, v. 7), *nemo militat suis stipendiis.*

6152. De tali stipendio potest pacisci non obstantibus cap. finali *De Pactis*, et cap. *Si nos*, *de simoniâ* : quia hæc capitula sunt intelligenda de pactis inhonestis tantùm, vel illis per contrariam consuetudinem fuit derogatum. (S. Liguor., lib. 3, n° 55.)

6153. Item aliquid recipere aut dare licet pro labore extrinseco qui sit pretio æstimabilis ; item in recognitionem gratitudinis ob obsequium præstitum ; item non est simonia quòd Episcopus alicui conferat beneficium, ut se honestè sustentet : imò nec esset simonia, quamvis in eo esset grave peccatum, si illud conferret gratis etiam indigno, solâ ratione consanguinitatis vel amicitiæ. (S. Thomas, 2, 2, q. 100, art. 5, ad 2.)

6154. Resp. 2° Ubi deest aliquis titulus extrinsecus ut supra, si aliquid præstetur solo intuitu obtinendæ rei spiritualis vel contra, præsumenda tunc est intentio saltem virtualiter simoniaca : scilicet commutandi temporale cum spirituali, nisi constet de opposito, vel aliter colligatur ex circumstantiis, nempe ex parvitate muneris, ex pietate vel nobilitate dantis, etc. : et hoc constat ex cap. *Tua nos*, *de simon.* : « Et maximè nequit excusari à simoniâ mentali, » is qui Episcopo gratis inserviret animo eum obligandi ex

» gratitudine, etsi non ex justitiâ, ad retribuendum bene-» ficium. » Ita S. Liguor. (lib. 3, n° 51, *in fine*). Secus tamen sentiunt plures ab eodem citati (*ib.*).

6155. A fortiori esset simonia, quidquid dicant nonnulli apud eumdem (*ib.*, 53), deducere in pactum obligationem antidoralem, quia tale pactum invehit saltem obligationem fidelitatis, quæ, cùm sit aliquo pretio æstimabilis, certè pactum simoniacum reddit. Contrarium tamen videtur dicere Reiffenst., lib. 5, tit. 3, n° 113, sub hâc modificatione quòd promittens non intendat præcisè temporale, et absit scandalum ex parte alterius.

6156. Item simoniacum esset dare beneficium alteri propter preces alterius, si illud fieret ad favorem humanum adipiscendum; secus, si daretur etiam indigno, nullo habito respectu ad talem favorem comparandum. Ita S. Liguor., lib. 3, n° 52, qui adjicit, contra Lacroix, quòd adesset simonia in conferendo beneficio ad se liberandum ab injusto damno: quia esset dare spirituale pro temporali commoditate. Contradicere videtur Reiffenst. (lib. 5, tit. 5, *De Simoniâ*, n° 66) ob rationem quòd talis operans non agat ex pacto.

6157. Notandæ sunt hîc sequentes propositiones ab Innocent. XI damnatæ: propos. 45: « Dare temporale pro » spirituali non est simonia, quando temporale non datur » tanquam pretium sed duntaxat tanquam motivum con-» ferendi vel efficiendi spirituale; vel etiam quando tem-» porale sit solùm gratuita compensatio pro spirituali, aut » contra. » Propositio 46: « Et id quoque locum habet, » etiamsi temporale sit principale motivum dandi spiri-» tuale; imò, etiamsi sit finis ipsius rei spiritualis, sic ut » illud pluris æstimetur quàm res spiritualis. »

Meritò damnatæ fuêre prædictæ propositiones; nam quamvis ibi dicatur ob motivum, non verò tanquam pretium, et non sit simonia ubi non intervenit venditio rei spiritualis, attamen quando res merè spirituales dantur principaliter propter temporales alicujus magni momenti (secus si parvi), difficilè dantur omninò gratis, sed practicè præbentur cum pacto implicito imponendi alteri novam

obligationem, et sic motivum convertitur in pretium. Ita idem S. Liguor. (lib. 3, n° 54).

6158. Quærit. 2° An sit simoniacum celebrare missas, administrare sacramenta, assistere choro, concionari, et similia peragere, principaliter ob emolumenta temporalia?

Resp. In hoc non concordare DD.: alii enim affirmant; alii verò negant; negantium verò sententia probabilior vocatur à S. Liguorio, quia simonia quidem est accipere temporale pro pretio spiritualis, minimè verò si temporale accipiatur tanquam stipendium ad sustentationem ministri qui spirituale munus exercet: sicut enim simoniacus non est qui stipendium dat principaliter propter missam, ita qui missam celebrat principaliter propter stipendium. In hoc tamen difficilè sic celebrans excusaretur ab aliquâ culpâ, cùm sit quædam inordinatio dirigere spiritualia ad temporalia, sed non ideo esset simonia.

Nec obstat propositio 46 supra relata, ubi dicitur: *Etiamsi temporale sit principale motivum dandi spirituale*, quia in dictâ propositione motivum accipitur pro eodem ac *pretium rei spiritualis*, et in nostrâ hypothesi temporale datur, non ut pretium *rei spiritualis*, sed in stipendium personæ occupatæ in gratiam alterius: in quo sensu liceret etiam, ad stipendii modum dare pauperi pecuniam ut pro dante oret. S. Liguor. (lib. 3, n° 55).

6159. Quærit. 3° An sit simonia dare aliquid temporale sub conditione rei spiritualis quæ vergat in utilitatem accipientis: v. g. dare dotem puellæ si ingrediatur monasterium; munera adolescenti si sacramenta frequentet?

Resp. Si accipiens non obligetur ad rem spiritualem, non est simonia, in tali præstatione: quia est duntaxat donatio sub conditione licitâ; secus si imponeretur obligatio, vel si conditio esset in utilitatem dantis, quia tunc res temporalis esset velut pretium rei spiritualis. Vide S. Liguor., lib. 3, n° 59.

6160. Quærit. 4° An sit simonia dare beneficium cum onere rem spiritualem præstandi?

Resp. Si illud onus jam sit insitum beneficio, vel si ab Episcopo cum Capitulo beneficio vacanti imponatur, v. g.

infirmis assistendi, docendi, canendi, etc., tunc beneficium dare cum tali onere non est simonia. Ita communiter. Si verò dictum onus imponeretur à resignante vel à præsentante, quidquid dicant aliqui apud Sanchez, hoc haberi debet ut simoniacum, ex cap. *Quam pio* 1, q. 2; in aliis tamen rebus spiritualibus posset esse locus commutationi, v. g. *applico pro te missam, ut mane applices pro me* (S. Liguor., lib. 3, n° 60). Certè est simonia conferre beneficium famulo ut gratis inserviat; vel si famulus inserviat, ut loco salarii beneficium consequatur. Non tamen esset obligatio restituendi nec incurrerentur pœnæ contra simoniacos latæ, nisi intercessisset pactum expressum (Cap. *Mandatum, de simon.*). S. Liguor. (*ib.*, n° 61).

6161. Quærit. 5° An sit simonia dare pecuniam alicui ut per ipsum beneficium obtineatur?

Resp. Si pecunia detur, non gratis ad conciliandam accipientis amicitiam, ex quâ motus te adjuvet, sed cum pacto ut intercedat ad rem spiritualem obtinendam, tunc certè adest simonia, ut constat ex Extrav. 2, *de simoniâ*, ubi dicitur: « Simoniam committi cùm pecunia datur pro » collatione.., favore seu mediatione. » Licet enim in casu detur temporale pro temporali prout est intercessio: « Ve» rumtamen, inquit S. Liguor. (*ib.*, n° 64), *sic per pecu» niam parares tibi viam ad rem spiritualem obtinendam*, » ut in simili casu, ait S. Thomas (2, 2, q. 100, art. 2, » ad 5). » Idem dicit S. Liguor. (*ib.*, n° 65) contra quosdam alios, de intercessore mediato.

Si verò pecunia detur mediatori, non pro mediatione, sed pro labore suscipiendo aut lucro amittendo ab eo, et pecunia sit cum illis proportionata, non est simonia, quamvis peccatum alterius generis esse posset.

Idem dicunt plures, si quis det pecuniam famulo Episcopi, ut facilem tribuat aditum; vel si det gratis, ut factus benevolens obstacula removeat: sed hoc ultimum, inquit S. Liguor. (*ib.*, n° 64), est valde periculosum.

Item periculosum esset quod dicunt Salmantic. cum aliis pluribus, non esse simoniam dare alicui pecuniam ut dantis merita simpliciter Episcopo proponat: eò quòd ad

simoniam requiratur ut obtentio rei spiritualis sit immediatus finis præstationis pecuniæ; sed valdè timendum est, addit S. Liguor. (*ib.*), ne alter relinquat officium informantis et officium sumat intercedentis.

Non esset simonia promittere alicui pecuniam in pia opera erogandam, si ille obtineat tibi beneficium. S. Lig. (*ib.*, nº 66).

6162. Quærit. 6° An reverà dari possit simonia de solo jure humano, non autem divino?

Resp. Negare Gonet, apud S. Liguor. (*ib.*, nº 69), quia, inquit, minimè possunt homines rerum naturam mutare, et facere quòd aliquid sit simonia, quod tale non est; secus tamen communiter sentiunt DD., quia Ecclesia potest efficere ut materia sui præcepti sit materia determinatæ virtutis, sicut hîc religionis.

Sic 1° plures dicunt simoniam esse de solo jure ecclesiastico vendere beneficia, quia jus ad redditus temporales, quod certè est pretio æstimabile et vendi posset si non esset Ecclesiæ prohibitio, potest mentaliter separari à jure ad exercendas sacras functiones, sicut in calice separatur valor argenti à consecratione. Attamen multi alii probabiliùs sentiunt tunc adesse simoniam de jure divino, quia aliud est temporale in calice, cùm ibi sit antecedenter annexum spirituali, aliud in beneficiis in quibus est subsequenter tantùm annexum, nec à spirituali separari potest quin statim desinat esse jus beneficiale; jus enim ad fructus beneficii non datur nisi propter officium spirituale (cap. *Si quis* 1, q. 3; et cap. *Et diligenti, de Simon.*). Hinc etiam cum dispensatione S. Pontificis vendi non possunt beneficia; sed Papa posset separare jus ad redditus, à jure ad sacra, et ita concedere ut vendantur redditus tanquam res merè temporales, vel ut aliqua pensio super beneficium imponatur, separando tunc partem fructuum illius et alicui tradendo.

6163. Sunt officia quæ neque spiritualia sunt, neque spiritualibus annexa, quæ propter periculum et speciem quamdam simoniæ pretio conferri vetantur: qualia sunt officia œconomi, sacristæ, advocati; et alia ejusdem genc-

ris quæ ad temporalium ecclesiæ rerum administrationem ordinatur ex cap. *Si quis* 1, et cap. *Salvator*, q. 1. — Vide S. Liguor. (lib. 3, nº 68); Card. Soglia (*Instit. jur. priv.*, § 236); Reiffenstuel (lib. 5, tit. 3, *de Simoniâ*, nº 25).

6164. — 2º Quoad juspatronatûs, si hoc jus vendatur quoad jus ad honores et subventiones quæ patronis debentur, nulla in hoc contractu adest simonia, quia, quoad illa, jus non habetur ut quid spirituale.

Quoad verò jus præsentandi ad beneficium, major est difficultas : sub hoc enim respectu, juspatronatus habetur à pluribus ut res spiritualis, cujus venditio esset simoniaca etiam ex jure divino; juxta alios verò est res merè temporalis, eò quòd sit favor seu honor temporalis ab Ecclesiâ concessus, et proinde, juxta eosdem, non esset simonia juris divini tale jus vendere. Sed quidquid sit de illâ controversiâ, juxta omnes, venditio jurispatronatûs est saltem simonia juris positivi, ut constat ex cap. *De Jur.*, et cap. *Præterea, de jurepatronat.* Quando tamen hoc jus rei est affixum, vendi potest absque simoniâ hæc res cum jurepatronatûs ei annexo, pariterque potest transferri donatione aut jure hæreditario; sed esset simonia rem vendere pluris ratione talis juris, vel ob id imponere onera specialia. V. S. Liguor. (*ib.*, nº 71); et dicta supra 5403, 5406, 1640.

Vendere autem jus sepulturæ in loco sacro ob digniorem positionem, probabiliter non est simonia, juxta Croix, contra Sanchez. (S. Liguor., *ib.*)

6165. 3º Etsi in aliis rebus spiritualibus præter beneficia, permutatio sit aliquando licita, unde licet dicere v. g., *Ego dicam missam pro te ut pro me dicas totrosaria;* aut, si temporalibus mixtis spirituali, temporale sit antecedenter spirituali annexum, possit temporale permutari cum temporali, v. g. calix cum arculâ reliquiarum, in beneficiis tamen talis permutatio, sinè legitimâ auctoritate peracta, tanquam simoniaca est vetita (cap. *Quæsitum, de rerum permut.*) : sed hæc simonia est juris positivi tantùm; facta verò permutatio ex auctoritate competenti est licita, ut supra diximus (5504, 5460, etc.).

6166. « Quæstio magna est, inquit S. Liguor. (lib. 3,

» n° 76), quando beneficia permutanda sunt inæqualia, an » liceat inæqualitatem compensare per aliquam pensionem » seu pecuniam auctoritate Pontificis; affirmat probabiliter » prima sententia..., quia tunc nudi tituli beneficiorum » simpliciter commutantur, sed separantur à proventuum » juribus, quæ temporalia sunt, et per alium contractum » compensatur excessus...; negat verò secunda sententia » probabiliùs... quia esset simonia contra jus divinum, » dum emeretur spirituale pro temporali; ille enim excessus consequenter est annexus titulo spirituali beneficii. » Cæterùm dicunt Salmant., n° 35, posse Pontificem approbare contractum, non per modum permutationis, » sed separando à beneficio pinguiori partem fructuum et » alteri dando.

6167. » Certum est autem esse simoniam, compensare » pecuniâ excessum qui sit in re spirituali, puta ob » majorem dignitatem, jurisdictionem. Contra verò non » est simonia commutare beneficium pinguius cum alio » digniore, modò nullus habeatur respectus ad compensandum excessum reddituum cum excessu dignitatis... » Vide insuper dicta supra (5460, etc.).

6168. Si quis autem resignet beneficium alteri sinè pacto, sed cum spe ut ille ex solâ gratitudine iterum resignet in suî favorem, vel solvat aliquid ex beneficii fructibus, certum est non esse simoniam jure divino, nec canonico antiquo, licet sit valde periculosum, inquit S. Liguor. (lib. 3, n° 85), et plerumque simonia mentalis. — An vero talis resignatio sit simonia ex Const. Pii IV et S. Pii V [1] controvertitur : et probabiliùs negatur à S. Lig. (*ib.*, n° 86), etiamsi resignans declaret suam intentionem esse ut alter remaneat obligatus ad resignandum in futuro, modò alter non promittat, quia sic deest pactum. Secus tamen est dicendum si resignans declaret velle ut solvatur pensio ex fructibus : quia hoc est signanter expressum in Bullâ (S. Liguor., *ib.*, 87).

6169. — 4° Etiam extra beneficia, pacta possunt esse simoniaca ex solo jure positivo, sic ab Ecclesiâ prohibetur

[1] Textum Bullæ S. Pii V, vide apud Ferraris, v° *Simonia*, art. 1, n° 15.

ne vendatur *oleum* benedictum et S. Chrisma, etiam quoad materiam, ob periculum in tali venditione insitum ne ratio habeatur consecrationis in æstimatione pretii (cap. *Ea quæ* 16, *de simoniâ;* et can. *Placuit* 102, causa 1, q. 1).— Item vetatur aliquid accipere etiam sponte oblatum pro examine ad parochiales ecclesias (Concil. Trid., sess. 24, c. 18, *de ref.*).

6170. Quærit. 7° Qualiter committi possit simonia pro ingressu in religionem?

Resp. Certum est esse simoniam aliquid dare et accipere pro ingressu in monasterium (cap. *Quam pio* 2, causa 1, q. 2; cap. *Non satis.*, et cap. *Veniens*, *de simoniâ*), quia hoc esset vendere Statum religiosum.

6171. Sed quæstio est an liceat aliquid accipere pro sustentatione ingressuri : porrò certum est : 1° posse aliquid recipi pro alimentis tempore novitiatûs (Trid., sess. 25, c. 16, *de reg.*). 2° Certum est posse aliquid recipi pro sustentatione professuri, si monasterium sit inops, quia in hoc casu recipiendus nullum est habiturus jus ad bona quæ monasterium non habet : ita communiter ; et ad hoc non requiritur arcta necessitas, sed sufficit quòd monasterium non possit aliàs commodè alimenta postulantibus suppeditare. 3° Certum est posse aliquid recipi si recipiendus sit infirmus, senex, tardus ingenio, etc., in compensationem nempe incommodi temporalis quod tunc subiturum est monasterium, vel servitutis quam alius sanus vel juvenis præstitus fuisset : ita omnes. 4° Certum est posse aliquid accipi à monasteriis monialium, ex concessione Clem. VIII, quia monasterio monialium facilùs sunt obnoxia diversis infortuniis ut experientiâ constat. S. Liguor., lib. 3, n° 92, *in fine*. Vide dicta supra (2733, 2734). 5° Dicit Reiffenst. (lib. 5, tit. 3, *de simoniâ*, n° 183) posse « regu- » lares tàm viri quàm mulieres quorumvis monasterio- » rum, etiam divitum, cum parentibus pacisci et exigere » certam quantitatem pecuniarum, vel aliorum bonorum » temporalium, sub conditione ut suscepta ad religionem » et professa persona omni jure hæreditatis, vel alterius » justæ prætentionis temporalis, renuntiet. Ratio est quia in

» tali casu justè exigitur temporale pro temporali... Cùm... » quidquid monachus acquirit, acquirat monasterio. »

6172. His casibus exceptis, circa positam quæstionem duplex est sententia : *Prima* affirmat non esse simoniam, neque ex jure naturali neque ex jure positivo, aliquid recipere pro sustentatione ingressuri in Religionem, etiam in monasteriis divitibus : non *jure naturali*, quia non est contra jus naturale posse accipi aliquid pro sustentatione, cùm postulans non habeat jus ad bona monasterii; neque *jure positivo*, cùm nullus textus expressus prohibeat aliquid recipere sustentationis titulo; vel si existat, videtur ei derogatum per contrariam consuetudinem. Non negant tamen plures ex fautoribus hujus sententiæ quòd hoc saltem non poterit excusari ab avaritiæ labe.—*Secunda sententia* cui videntur adhærere S. Thomas (2, 2, q. 100, art. 3, ad 4) et S. Lig. (*ib.*), dicit esse simoniam in præfato casu, quia etsi postulans ante receptionem nullum jus habeat ad bona monasterii, postquam tamen receptus est, jus habet ad illa pro suâ sustentatione; unde si aliquid ab eo exigeretur pro sustentatione illius temporis, ei venderetur jus quod per receptionem est adepturus, et cùm illud jus, etsi temporale, sit annexum consequenter rei spirituali, nempe professioni religiosæ, non magis potest vendi quàm jus ad reditus beneficii, vel ad decimas percipiendas; et cùm in hoc sit simonia juris divini, frustra allegaretur contraria consuetudo, quæ cæterùm non videtur existere nisi pro monasteriis monialium. Vide insuper cap. *Quoniam, de simon.*; et Extrav. *De simon.*, ubi prohibetur sub excommunicatione aliquid accipere ob quemcumque finem pro ingressu in Religionem, nisi quis liberaliter dare voluerit. Videtur autem hæc excommunicatio usu abolita saltem pro monasteriis mulierum. — S. Liguor. (*ib.*) ; Reiffenst. (lib. 5, tit. 3, *De simoniâ*, 256).

6173. Quærit. 8° An aliquid possit accipi pro dispensationibus ?

Resp. Vide dicta supra (1057, 1058). « Accipiuntur, » inquit S. Liguor. (*ib.*, n° 96), solutiones in dispensatio- » nibus in matrimoniis, etc., etiam per modum susten-

» tationis onerum Pontificatûs ; item per modum commu-
» tationis, sicut vota commutantur in eleemosynas, etc. »

6174. Quærit. 9° An sit simonia dare aliquid ut alter omittat rem spiritalem ?

Resp. « Affirma, inquit S. Liguor. (*ib.*, 97), si omissio
» dirigatur à potestate spirituali, ut esset omissio absol-
» vendi, dispensandi, eligendi, etc., ex cap. *Presbyter, de*
» *simoniâ*.... nisi tamen absolutio esset sacrilega, aut in-
» justa... ; secus autem... si actus spiritualis dependeat à
» libertate, ut esset omissio orandi, dandi eleemosynam,
» celebrandi, nisi alter ad ea teneatur ex justitiâ... »

6175. Quærit. 10° An simonia sit aliquid dare ad redimendam injustam vexationem ?

Resp. Vel res à quâ injustè impeditur quis est res *in quâ* jus certum habet, vel est res *ad quam* tantùm jus possidet. *Si priùs*, licet tollere injustam vexationem dando aliquid temporale : ita communiter : unde dari posset aliquid ne injustè denegarentur sacramenta in necessitate gravi, v. g., implendi præceptum paschale, non remanendi in mortali peccato, etc. ; vel ne eligatur indignus, si electores ad hoc essent parati : Ecclesia enim habet jus acquisitum ne sibi detur minister ineptus ; imò jus habet ut eligatur dignus aut dignior in genere (non verò in individuo). S. Liguor., lib. 3, n° 103. — Secus tamen si jus in re esset dubium, quia alioquin per temporale acquiri posset jus certum ad spirituale. Secus pariter si quis justè impediretur obtinere spirituale : undè, quidquid dicat Elbel cum aliis quibusdam, licitum non est dare pecuniam competitori, ut desistat concurrere ad beneficium (S. Liguor., *ib.*, q. 4). « Super eo, inquit Alex. III, cap. 7, *de transact.*, quod
» quæsivisti, utrum de ecclesiastico beneficio in litigium
» deducto possit fieri transactio, tale damus responsum
» quòd transigi super re sacrâ et litigiosâ non potest ; etenim res sacræ ut possideantur aliquo dato vel retento
» sive promisso, speciem credimus habere simoniæ. »
Vide etiam cap. *Constitutus* 4, ejusd. tit.

6176. Dictum fuit *dando aliquid temporale :* non enim posset dari spirituale pro redimendâ vexatione injustâ,

quia hoc esset commutare spirituale pro temporali, et proinde esset simonia.

6177. Controvertitur autem an pecuniâ possit redimi vexatio circa possessionem beneficii. *Prima sententia* negat, quia possessio est res spiritualis vel spirituali annexa, cùm per possessionem acquiratur jus ad exercenda spiritualia : liceret tamen dare ad redimendam injustam vexationem, ut supra : ita Viva, etc. *Secunda sententia*, quæ à S. Liguorio probabilior dicitur, affirmat : quia jus quidem ad beneficium est spirituale, non autem possessio : sed in hoc supponi debet quòd jus ad possessionem sit certè acquisitum; secus si hoc jus in dubium probabiliter revocaretur. S. Liguor. (lib. 3, n° 99).

6178. *Si posteriùs*, id est si *jus ad rem* tantùm quis habeat, non licet pecuniâ vexationem tollere, ex cap. *Matthæus, de simon.* : hinc simonia esset si offerrem pecuniam Episcopo qui injustè nollet me præsentatum instituere, vel me dignum eligere, quia tunc per pecuniam non solùm amoverem impedimentum, sed etiam rem spiritualem adipiscerer.

6179. Probabiliter tamen simonia non esset dare pecuniam ne aliquis electorum vi vel fraude alios electores corrumpat, et sic impediat electionem dantis; imò etiamsi hoc faceret, solis precibus aut muneribus ex odio sinè vi vel fraude. Item non esset simonia dare pecuniam ad redimendam vexationem ab iis qui tantùm obesse possunt; secus si possint obesse et simul prodesse, instituendo, præsentando, vel confirmando, quia sic pecuniâ tunc directè sterneretur via ad beneficium obtinendum. (S. Lig., lib. 3, n° 100, 101 et 102.)

6180. Quærit. 1° Quæ sint pœnæ contra simoniam latæ?

Resp. Varias esse illas pro diversitate simoniæ :

Ante omnia, observandum est non incurri pœnas quoties committitur simoniæ crimen, sed duntaxat in simoniâ *realî contra jus divinum* quæ *perpetratur* in ingressu in Religionem, in collatione et susceptione ordinum, in beneficiis ecclesiasticis, vel per simoniam confidentialem : unde non incurruntur ullæ pœnæ pro venditione sacramentorum aut jurisdictionis spiritualis. (S. Liguor., lib. 3, n° 112.)

6181. Diximus 1° *In simoniâ reali*, proinde non in simoniâ mentali, nec purè conventionali (cap. *Mandato* 46, *de simoniâ*). Disputatur tamen an ad incurrendas pœnas, simonia debeat esse ex utrâque parte completa; communior verò et probabilior sententia, juxta S. Liguor. (lib. 3, n° 106), tenet requiri impletionem ex utrâque parte, licet non requiratur ut in toto sit impleta, quia in jure nullibi pœnæ infliguntur contra simoniam non utrinque completam, et *in pœnis benignior est interpretatio facienda* (49 *reg. juris*, in 6°); et quia, juxta Navarrum et alios, talis est Curiæ stylus. Secus est dicendum in simoniâ confidentiali: in eâ enim sufficit quòd ex unâ parte sit impleta, juxta Bullam S. Pii V *Intolerabilis*.

Ex præfatis concluditur eum qui beneficium obtinet per fictam pecuniæ promissionem, etsi peccet cooperando alterius simoniæ, attamen reverà, ante impletionem, non incurrere pœnas contra simoniam latas, quia tunc simonia non est utrinque completa. (S. Liguor., *ib.*, n° 107.)

6182. Diximus 2° *In simoniâ reali contra jus divinum.* Controvertitur tamen an non etiam per simoniam realem *contra jus ecclesiasticum* incurrantur pœnæ contra simoniacos latæ: v. g. si quis emeret officium sacristæ, œconomi, etc. Opinio autem, tàm affirmans quàm negans, habetur ut probabilis à S. Liguor. (*ib.*, n° 108).

Ut autem devenianus nunc ad speciales pœnas à sacris canonibus contra simoniam sancitas, dicendum est:

6183.—1° Ex cap. 1 Extrav. *De simoniâ*, præsumentes dare aut accipere aliquid pro ingressu in Religionem incurrunt ipso facto excommunicationem papalem. Sed valde est probabile quòd non incurratur in simplici ingressu, sed in professione, quæ tamen certò est valida, hoc non obstante (etsi contrarium dicat Auctor *Prælect. S. Sulp.*, n° 693, p. 298). Servata est hæc excommunicatio Papæ reservata. (C. *Apostolicæ Sedis.*)

6184. Si accipiens sit integra communitas aut Capitulum, non excommunicationem incurrit, sed suspensionem ab officio, executione juris capitularis et administratione jurisdictionis, Papæ reservatam. De hâc susp. silet C. *Apost. Sedis.*

Item incurritur ex utràque parte infamia juris, et proinde irregularitas ; simoniacè autem admissus debet transferri post sententiam in arctius monasterium, ex eâdem Extravag. Vide S. Liguor. (*ib.*, n° 108); Reiffenst., lib. 5, tit. 3, *de simon.*, n° 252.

6185. — 2° Ultra excommunicationem et suspensionem papalem, Episcopi simoniacè ordinantes, et ad id mediatores, incurrunt ipso facto interdictum ab ingressu ecclesiæ (cap. *Cùm detestabile* 2, Extrav. *De simoniâ*). Et si violaverint suspensionem aut interdictum, suspenduntur à regimine Ecclesiæ suæ, et privantur perceptione fructuum (*ex motu* Sixti V). — Quæ consonant Trid., sess. 21, c. 1, *De ref.*

6186. Ordinati verò ultra prædictam excommunicationem et suspensionem Papæ reservatam, suspenduntur ipso facto ab exercitio suorum ordinum, sed probabiliter illorum duntaxat qui simoniacè sic fuerunt recepti, ac etiam à spe ascendendi ad superiores ordines (Extrav. *Cùm detestabile* citatâ ; et Bullâ Sixti V). Non autem ab ordinato præfatæ pœnæ incurruntur, casu quo, ipso ignorante, alius simoniam commiserit. (V. Trid., sess. 21, c. 1, *De ref.*)

Si crimen simoniæ sit manifestum, tam ordinans quàm ordinatus, ultra supra dictas pœnas, à gradu suo et ecclesiastico beneficio sunt deponendi, ex can. *Qui per pecuniam*, caus. 1, q. 1 ; Card. Soglia (*Inst. jur. priv.*, § 238) ; Devoti (lib. 4, tit. 9, *de simon.*, § 10).—Idem est dicendum in casu quo beneficium simoniacè obtinetur (can. *Erga simoniacos*, causa 1, q. 1 ; et cap. *De hoc* 11, *de simoniâ* :— Reiffenst., lib. 5, tit. 3, *de simoniâ*, n° 268). Dicunt autem Lessius et Palaus, Bullam Sixti V, quoad reservationem suspensionis ad Papam non esse usu receptam (S. Liguor., *ib.*, n° 109). Sed in hâc diœcesi Valentin., hæc reservatio agnoscitur (*Ordonn.*, p. 336, 7°, et p. 338).—Controvertitur an incurrantur præfatæ pœnæ in collatione simoniacâ primæ tonsuræ, non obstante eo quod dicitur in cap. 1, sess. 21 Conc. Trident. ; S. Liguor., lib. 3, n° 110, addit non esse improbabile quòd, non obstante eodem Concil. (*ibid.*), Episcopus possit aliquid moderatum sponte oblatum post ordinationem recipere, ob consuetudinem justâ

causâ introductam : reprobatio enim consuetudinis à Concilio facta, probabiliter intelligi potest de consuetudinibus immoderatis quæ fortè vigebant ante Concilium, non verò de moderatis quæ ex justâ causâ postea introduci potuère. Vide dicta supra (1053).

6187. — 3° Ob simoniam realem in beneficiis incurritur 1° excomm. papal. (1640. VIII). 2° irrita est electio, præsentatio, confirmatio et institutio : unde talis non facit fructus suos, et hoc licet crimen à tertiâ personâ, proviso ignorante, fuerit commissum, ut habetur in cap. *Nobis fuit*, *de simoniâ*, nisi tamen provisus contradixerit (cap. 33, *de simon.*), quo etiam casu contradicens beneficium non posset acceptare, si sciret pecuniam revera fuisse datam à tertio pro collatione, cùm in dicto capitulo dicatur : *te penitus ignorante* ; vel nisi à tertio pecunia fuerit data per fraudem, ut provisus redderetur inhabilis ; vel nisi bonâ fide possessum fuerit beneficium per triennium. Non tenetur autem Beneficiatus, etiam ante triennium, restituere fructus bonâ fide consumptos, si ditior non evaserit, nec fructus perceptos intuitu stolæ et aliarum functionum parochialium, prout exequiarum, concionum, administrationis sacramentorum, etc. : quia hæc non sunt reditus beneficii, sed in stipendia officii præstantur : ita post S. Thomam (2, 2, q. 100, art. 6, ad 3), S. Liguor. (*ib.*, n° 111) ; 3° provisus simoniacè inhabilis efficitur, ante omnem sententiam etiam declaratoriam, ad idem beneficium, etsi simoniam penitus ignorasset, aut dispensationem Episcopi obtinuisset. Non tamen ipso jure cæteris suis beneficiis privatur, nec inhabilis fit ad alia acquirenda, ante sententiam declaratoriam. Ita communiùs et probabiliùs, etsi quidam dicant nullam ad hoc sententiam requiri etiam criminis declaratoriam. Vide ap. S. Liguor. (lib. 3, n° 112, p. 3); et *Prælect. S. Sulpit.* (n° 693, 4°).

6188. A dictis excipi debet simonia commissa ab examinatoribus beneficiorum parochialium, in synodo electis, qui, si aliquid recipiant occasione examinis, privantur ipso facto, ante omnem sententiam, beneficiis antea ritè obtentis (Conc. Trid., sess. 24, c. 18, *de ref.*). Attamen

etiam tunc requiritur sententia saltem declaratoria criminis; imò, si illi examinatores velint absolvi à labe simoniæ, dimittere priùs debent sua beneficia juxta idem Concilium (*ib.*). — S. Liguor., lib. 3, n° 112, q. 3.

6189. — 4° Ob *simoniam confidentialem*, etiamsi fuerit tantùm conventionalis, incurruntur 1° interdictum ab ingressu ecclesiæ; 2° excommunicatio papalis, ipso facto; 3° nullitas collationis et obligatio restituendi fructus; 4° inhabilitas ad idem beneficium obtinendum, et ad alia quæcumque assequenda; 5° privatio aliorum beneficiorum justè antea obtentorum: hæ quidem pœnæ incurruntur ipso facto, sed requiritur sententia criminis declaratoria; 6° collatio beneficii per confidentiam dati ad Papam reservatur. S. Liguor. (*ib.*, n^is 89, 111, 112, q. 3); Card. Soglia (*Inst. jur. priv.*, § 238). — Cf. *Apost. Sedis* silet de pœnâ interd.

6190. *Nota* quòd si quis resignet beneficium cum confidentiâ, ex auctoritate privatâ, non obtento Superioris assensu, peccatur quidem, sed tunc non incurruntur dictæ pœnæ; talis enim resignatio de se est nulla, etiam independenter à simoniacâ pactione. Pœnæ autem non incurruntur, quando resignatio independenter à labe simoniæ non est valida.

Circa prædicta notandum est adhuc quòd, nomine beneficiorum et officiorum quorum electio simoniaca nulla est ipso jure, non veniunt vicariæ amovibiles ad nutum, nec pensiones, nec capellaniæ non collativæ, nec officia Inquisitoris, Legati, aut cujuscumque habentis jurisdictionem spiritualem ad tempus [1]: quia non sunt propriè officia ecclesiastica; et quamvis simonia adsit in illorum venditione, attamen propterea non incurruntur pœnæ supra enuntiatæ.

6191. Sed veriùs invalidæ sunt electiones simoniacæ Generalatûs, Abbatiæ, Provincialatûs, Prioratûs, Rectoratûs, aliorumque officiorum spiritualium in Religionibus: sic enim dicitur in Extrav. 2, *de simoniâ*: « Per electiones

[1] Ex his verbis dubitari potest an incurrerentur pœnæ supradictæ in venditione parochiarum quæ apud nos vocantur *succursales*, quorum rectores ab Episcopo sinè formis juridicis removeri possunt.

» verò, provisiones, etc., quas simoniacâ contigerit labe » fieri, et quæ viribus omninò careant, in ecclesiis, » monasteriis, dignitatibus, prioratibus, officiis ecclesiasticis, et quibusvis beneficiis, cuiquam jus nullatenus » acquiratur. »

Quod autem sancitum invenitur in fine illius Extravagantis ubi præcipitur : « Omnibus et singulis ecclesiasticis et sæcularibus, in virtute sanctæ obedientiæ, » ut eos omnes, quos simoniam hujusmodi commisisse, » vel procurasse, aut mediatores esse sciverint, Pontifici » per se vel per alios revelare quantò citiùs non omittant, » etiamsi complices fuerint... : quod si non fecerint, absolvi non valeant, donec prædicta revelent et complices » detecti arctiùs puniantur. » Hoc, inquimus, non fuit usu receptum, nec ad id obligatur ullus nisi sit Curialis Sedis Apostolicæ. Ita S. Liguor. cum aliis pluribus (*ib.*, n° 112, q. 3, *in fine*).

6192. Quærit. 12° An electio S. Pontificis simoniaca sit invalida?

Resp. Non concordare in hoc DD. : alii enim negant, ut Suarez et alii plures, et probant ex cap. *Licet* 6 ; affirmant tamen veriùs, juxta S. Liguor. (*ib.*, *quær.* 4), Cabassut, Bonacin., Viva, etc., cum communiori sententiâ, et probant ex cap. *Si quis*, dist. 79 ; et clariùs ex Concil. Lateran. V, sess. 5, ubi dicitur : « Sacro approbante Concilio » statuitur, ut electio Romani Pontificis per simoniam » facta, eo ipso nulla existat ; et sic electo nulla in spiri» tualibus vel temporalibus tribuatur facultas. » Nec objici valet quòd Ecclesia remaneret sinè Capite : nam posito errore communi cum titulo colorato, si occulta esset simonia, Ecclesia suppleret jurisdictionem : « Unde, ait S. Liguor. » (*ib.*, q. 4), omnes actus hujusmodi Pontificis benè » erunt validi, et ejus definitiones adhuc infallibilem hà » bebunt auctoritatem, ut declaratur in cap. *Licet* ; » secus si simonia esset publica. » Vide dicta supra (682).

6193. Quærit. 13° An et cui sit restituendum simoniacè acceptum ?

Resp. 1° Vel agitur de spirituali simoniacè accepto, vel

de temporali : quoad primum, nihil, præter beneficium, ipsius fructus, aut etiam pensionem, est restituendum, (Extrav. *Cùm detestabile*, *de simoniâ*), quia aut restitui non possunt, prout sacramenta, vel non sunt restituenda ante sententiam, cùm aliud non statuerint canones; de hoc tamen non omninò concordant DD. ut videri potest ap. S. Liguor. (lib. 3, n° 113). — Fructus autem beneficii per simoniam acquisiti, restituendi sunt Ecclesiæ, juxta doctrinam S. Thomæ (2, 2, q. 100, art. 6, ad 4), modò commodum ex hoc non recipiant qui simoniam commiserunt. Probabile est autem illos posse restitui, etiam pauperibus, vel successori in beneficio, vel etiam de iis posse componi cum Pontifice. S. Liguor. (*ib.*, n° 116).

6194. Quoad secundum, pretium acceptum pro beneficio, collatione ordinum, sacramentorum et sacramentalium, si notabiliter excedat id quod pro sustentatione exigi poterat, jure positivo restituendum est; item acceptum pro admissione ad Religionem : sed hoc nonnisi post sententiam, posito quòd admissus in monasterium maneat : quia plerumque sic datum, ratione alimentorum, retineri potest, modò in communem usum convertatur. (Ap. S. Liguorium, *ib.*, n° 114.)

Controvertitur autem cuinam dictum pretium sit restituendum : — tres de hoc sunt sententiæ, quas omnes probabiles vocat S. Liguorius : *prima* tenet illud esse restituendum ante sententiam ei qui dedit : ita *Prælect. S. Sulpit.* (n° 694, II); *secunda* censet illud esse restituendum ecclesiæ in quâ est beneficium, in pœnam irreverentiæ ipsi irrogatæ per venditionem rerum suarum; *tertia* dicit illud posse ex consuetudine restitui etiam pauperibus, ut admittit S. Thomas (2, 2, q. 32, art. 7; et q. 62, art. 5).

6195. Ex his concludit S. Liguor. (*ib.*, n° 115) quòd recipiens pretium simoniacum poterit, prout voluerit, illud vel danti, vel Ecclesiæ, vel pauperibus restituere, et etiam sibi ipsi, si egeat. Pretium verò pro ingressu in religionem restituendum est ipsi danti, ut afferat ad monasterium ad quod transfertur, et à quo ali debet.

6196. Quærit. 14° Quinam possint absolvere vel dispensare in supra dictis pœnis?

Resp. Quoad excommunicationem et suspensionem in ordine simoniacè accepto, solus S. Pontifex potest absolvere, nisi hæ censuræ sint occultæ (cap. *Liceat* 6, sess. 24, Conc. Trid.). Vide dicta supra (1643. II).

Quoad verò suspensionem ab ordinibus ritè susceptis, controvertitur an illam Episcopus possit tollere. Salmantic. probabiliorem habent sententiam negantem.—S. Liguor. (*ib.*, n° 117).

6197. Circa inhabilitatem ad alia beneficia præter illud quod fuit simoniacè obtentum, Episcopus potest dispensare, nisi fuerit simonia confidentialis, aut nisi simoniacus expectet sententiam, quia tunc est irregularis ex infamiâ juris. (S. Lig., *ibid.*)

6198. Quoad autem inhabilitatem ad idem beneficium, si istud fuerit simplex, canonicatus nempe, vel etiam Dignitas cui non insit cura animarum, et fuerit acceptum per simoniam ignoranter, scilicet per simoniam a tertio commissam ipso accipiente ignorante, tunc potest Episcopus dispensare, etiam in illâ vacatione, dummodo beneficiarius sponte renuntiet. Ita probabiliter cum S. Thomâ (2, 2, q. 100, art. 6, ad. 7); S. Liguor. (lib. 3, n° 112, q. 3 et n° 118). Si autem beneficium sit curatum non potest Episcopus dispensare in illâ vice, sed potest in aliâ vacatione cum ignorante.

6199. Si verò quis scienter simoniacè acceperit beneficium, sive sit simplex, sive curatum, etiamsi simoniacus sponte renuntiet, nequit Episcopus cum eo dispensare ad idem beneficium, neque pro illâ, neque pro aliâ vice, ut docet S. Thomas (2, 2, q. 100, art. 6, ad 7), quamvis posset dispensare ad alia beneficia obtinenda, nisi fuerit simonia confidentialis. Vide cap. penult. *De Elect.* In prædictis, probabilius dispensationem impertiri potest etiam Episcopus cum quo simonia fuit commissa. (S. Liguor., lib. 3, n° 119.)

An autem Pontifex beneficium alicui quem scit inhabi-

lem conferens, censeatur super hoc cum eo dispensare, vide apud S. Liguor. (lib. 3, n° 120); et dicta supra (489).

ART. II.

DE BLASPHEMIA.

6200. Blasphemia *est mala, seu contumeliosa locutio in Deum.* Vide theologos moralistas.

Antiquo jure blasphemi, si clerici erant, deponebantur ab officio et statu clericali; si verò laici, excommunicandi erant. « Si quis blasphemiâ contra Deum usus fuerit, si in » ecclesiastico ordine fuerit, deponatur; si laicus, anathe- » matizetur. » (Cap. *Si quis* 10, q. 1.)

Insuper sic habet cap. 2 *De Maledicis :* « *Statuimus* ut » si quis contra Deum, vel aliquem Sanctorum suorum, » maximè B. V. linguam in blasphemiam publicè relaxare » præsumpserit, per Episcopum suum, pœnæ subdatur » inferiùs annotatæ... septem diebus dominicis præ fori- » bus ecclesiæ in manifesto, dum aguntur missarum so- » lemnia, blasphemus existens, ultimo illarum die domi- » nico pallium et calceamenta non habeat, ligatus corrigiâ » circo collum, septemque præcedentibus sextis feriis in » pane jejunet et aquâ, ecclesiam nullatenus ingressu- » rus. »

6201. In suâ autem Const. *Cùm primùm*, § 9, S. Pius V sancivit : « Ut laicus qui Deum, et D. N. J. C., vel glorio- » sissimam Virginem Mariam... expressè blasphemaverit, » pro primâ vice, pœnam 25 ducatorum incurrat; pro » secundâ, pœna duplicabitur; pro tertiâ autem centum » ducatos solvet, et ignominiâ notatus exilio mulctabitur. » Plebeius qui solvendo non sit, pro primâ vice, manibus » post tergum ligatis, ante fores ecclesiæ constituetur per » diem integrum; pro secundâ fustigabitur per urbem; » pro tertiâ ei perforabitur lingua et mittetur ad triremes.» (Hæc, ut patet, in praxim deduci non possunt apud nos in Galliâ.)

6202. Clericus verò blasphemus ex eâdem Constit., pro

primâ vice privandus est fructibus unius anni omnium beneficiorum; pro secundâ, ipsis beneficiis; pro tertiâ tandem, omnibus Dignitatibus privatus, deponendus est atque in exilium mittendus. Si autem clericus beneficium non habeat, pro primâ vice, pecuniariâ, vel corporali pœnâ plectendus est; pro alterâ, in carcerem detrudendus atque ad triremes mittendus. Qui in Sanctos blasphemias effuderit, eum S. Pius V, judicis arbitrio, habitâ ratione criminis ac personarum, puniri voluit : ita Devoti (lib. 4, tit. 10, *De Maledicto*, § 3, *not.* 4), qui insuper adjicit : « Verùm uti monet Card. Albitius..., nunc à Tribun. Sacræ » Inquis. contra blasphemos, respectu habito ad crimen » atque ad personas, arbitrariæ pœnæ constituuntur. »

ART. III.

DE PERJURIO.

6203. Licitum est aliquando jurare, ut supra diximus (5743), et constat innumeris sive Scripturæ sive traditionis monumentis; sed conditiones requiruntur ut licitum fiat juramentum : « Jurabitis, aiebat Jeremias (c. 4, v. 2), in » veritate et judicio et justitiâ. » Vocare autem Deum in testem pro re parvi momenti non est mortale, si adsint veritas et justitia : est tamen veniale, quia est assumptio nominis Dei in vanum : imò posset esse mortale, si juramentum esset adhibitum ad confirmandam detractionem etiam levem, ut putat S. Liguor. (lib. 3, n° 146); si verò desit veritas (imò justitia, saltem in juramento promissorio), juramentum est peccatum mortale, et vocatur perjurium : « Plures adversùs perjuros pœnæ sunt constitutæ. » Eos non secus ac fures et adulteros, sese ab altari rejecturum minatur Chrysostomus (Hom. 17 *in Matth.*, n° 5) : » per undecim verò annos communionis expertes esse Basilius jubet (*epist. canon.*). Jure civili et canonico perjuri » infames sunt (L. 8, Cod. Theod., *de Pactis*, can. 9, » causa 3, q. 5, etc.); arcentur à ferendo testimonio » (cap. 7 et 54, *De Test.*), atque ab ecclesiasticis benefi-

» ciis, et aliis etiam pro rerum criminisque ratione pœnis » subjiciuntur. » Ita Devoti (tom. 4, tit. 12, § 2).

ART. IV.

DE SACRILEGIO.

6204. Sacrilegium est violatio rei sacræ seu cultui divino dicatæ ; triplicis generis est : *personale* quo persona, *locale* quo locus, et *reale* quo res aliæ violantur.

I. *Personale* committitur per clericorum percussionem, aut eorum pertractionem ad judicium sæculare, item per luxuriosam violationem personæ Deo per votum castitatis sacratæ. Circa pertractionem ad forum laicale, vide dicta supra (1678-1684).

Controvertitur utrum violatio voti sit semper sacrilegium : probabiliùs autem est quòd tale sit violatio voti castitatis ; imò certum est tale esse violationem voti solemniter emissi in professione religiosâ, aut in susceptione ordinis subdiaconatûs. Vide S. Liguor. (lib. 3, 47, 455-457).

6205. Sic autem de percussione clericorum habet cap. *Si quis* 17, q. 4 : « Si quis, suadente diabolo, in clericum » vel monachum violentas manus injecerit, anathematis » vinculo subjaceat : et nullus Episcoporum præsumat illum » absolvere, nisi mortis urgente periculo, donec Apostolico » conspectui præsentetur, et ejus mandata recipiat. » De hoc V. C. *Apost. Sedis* : 5ª special. et 2ª simpl. reserv.

Dicitur 1° *Si quis*, proinde, cujuscumque sexûs, statûs, ætatis, modò rationis compotis et doli capacis (cap. *Mulieres* et cap. *Pueris*, *de sent. excomm.*) : sed impuberes ab Episcopis absolvi possunt, etiam à percussione enormi, licet absolutionem post pubertatem postulent.

Extenditur canonis sanctio etiam ad efficaciter mandantes, consulentes, et consentientes ; proinde requiritur ut percussio de facto eveniat, et graviter in eam influat mandatum, consilium, etc. Ita communiter, ex cap. *Quanta* et cap. *Mulieres*, *de sentent. excomm.* Si quis diceret coram suis : *cupio vindictam talis clerici*, prævidens

ex eo dicto eum esse percutiendum, incurreret excommunicationem, si reverà exinde clericus percuteretur.

Etiam ratihabentes incurrunt excommunicationem (Ex cap. *Cùm quis, de sentent. excomm.*) : 1° si percussio eorum nomine aut in eorum gratiam facta fuerit ; 2° si hæc ratificatio externè significetur ; 3° si quando percussio evenit fuerint habiles ad ratihabendum saltem habitualiter : non enim incurrerent si essent amentes, benè verò si tunc essent ebrii aut dormientes. Ita communiter.

Item non impedientes, si ex officio ad id teneantur, ut reges, judices et cæteri superiores, patres, tutores, heri, pedagogi, parochi, etc. At de his omnibus v. 1637, V ; 1640, II.

Qui verò ex charitate tantùm impedire tenentur, veriùs excommunicationem non incurrunt, etsi ex odio sic agerent, juxta S. Liguor. (*ib.*, 269).

6206. Dicitur 2° *Clericum* : quo nomine intelligitur omnis saltem primâ tonsurâ initiatus, licet conjugatus, dummodo cum unicâ virgine, deferat habitum, serviatque certæ ecclesiæ. Item etiam excommunicatus, imò degradatus, si degradatio sit verbalis tantùm.

6207. « Non incurrit verò qui percutit clericum bigamum ex reali bigamiâ, secùs si ex similitudinaria, nempe » qui in sacris constitutus matrimonium contraxerit et consummaverit. Neque incurrit percussor clerici qui habitum deponens sæcularibus negotiis se ingesserit, nec » post tertiam monitionem sui Prælati resipuerit. Communiter. » (S. Liguor., lib. 7, n° 270.)

6208. Dicit. 3° *Monachum :* intellige quemvis religiosum, etiam laicum, conversum, novitium utriusque sexûs ; item tertiarios S. Dominici et S. Francisci, si gestent habitum et vivant in communitate ; item eremitas subjectos alicui regulæ vel Superiori, secus si sint vagi, licet inserviant alicui ecclesiæ ex commissione Episcopi. Non requiritur ut Institutum sit expressè à S. Pontifice approbatum ; sufficit ut tacitâ ipsius auctoritate subsistat, et inibi vivatur sub Prælato, etsi non fiat professio. Idem dicit Fagnan (in cap. *Nullus*, *de foro compet.*) de mulieribus conviventibus in conservatoriis, quamvis Religio non adhuc sit ap-

probata. Idem ait Renzius de seminaristis et pueris collegiorum. (S. Liguor., lib. 7, n° 271.)

6209. Dicitur 4° *Violentas manus, suadente diabolo, injecerit.* Per hoc intelligitur quævis contumeliosa actio exterior mortalis, circa clerici vel monachi personam, vel res eidem adhærentes, sive fiat manu, baculo, gladio, etc.

6210. Non sufficit ut quis signum percussionis faciat, ut incurrat excommunicationem : sed quoties percussio, etsi levis, imò levissima per tactum physicum, existimatur graviter injuriosa, sufficit ad censuram incurrendam. Communiter autem DD. advertunt quòd hic canon, prout in favorem clericorum emanatus, non strictè sed latissimè sit intelligendus. (S. Liguor., lib. 7, n^is^ 272-273.)

6211. Unde incurritur hæc excommunicatio : 1° Quando quis clericum vel monachum conspuit, conspergit aquâ, pulvere, luto, vel illi evellit crines, lacerat ejus vestes, eripit aliquid ab eo per vim et injuriam, v. g., pileum, pallium, per actionem tamen graviter injuriosam; 2° qui concludit aut violenter detinet eum in carcere, vel loco unde sinè dedecore non potest exire; 3° qui persequitur ut in flumen, fossam incidat, equo decidat, etc. : nec videtur excusari à censurâ explodens sclopum in clericum, qui ob metum exanimis caderet, licet à globo non attingeretur, quia tunc explodens est causa per se talis læsionis; 4° qui manus violentas injicit in equum cui is insedit; 5° qui aliquid supradictorum facit, etiam consentiente clerico, dummodo sit injuriosum ordini clericali (cap. *Nemo* 11, q. 5; et cap. *Contingit, desentent. excommunic.*); imò clericus consentiens, ex eodem cap., etiam excommunicationi subest, sed hæc est tantùm ferendæ sententiæ : si tamen consensus clerici auferret injuriam ab actione, puta si clericus peteret cædi ab alio ut sua lueret peccata, tunc excommunicatio non incurreretur; 6° si clericus seipsum percutiat injuriosè, ex malitiâ vel passione, plures putant illum excommunicationem incurrere; sed meritò, juxta S. Liguor., contrarium probabile habetur à pluribus aliis; 7° qui percutit clericum, etiam meritum, si fiat per quem non debet, ut si morte dignus puniatur à judice

sæculari ; vel modo illicito, nempe si à Prælato suo puniatur per laicum. S. Liguor., lib. 7, nº 274.

6212. Non autem incurritur excommunicatio : 1º si fur à clerico clam eripiat crumenam vel vestem, quia actio non est violenta : secus si violenter eripiat ; 2º si percussio sit jocosa, quamvis gravis, et etiam cum aliquâ irâ, si ad mortale non pertingat (cap. 1, *De Sent. excomm.*) : unde ut excommunicati non habentur pueri clerici qui pugnis se percutiunt, licet sanguis è naribus effundatur, quia regulariter puerorum percussio non reputatur graviter injuriosa ; 3º si percussio sit ad defendendum se vel suos, vel res suas cum moderamine tamen inculpatæ tutelæ ; 4º quoties percussio, sive ob levitatem ipsius sive ob imperfectionem advertentiæ, ad mortale non pervenit ; 5º si clericus ut talis non agnoscatur, prout si percuteretur in tenebris. Dubitatur autem an incurrerit excommunicationem qui percuteret ignorans esse clericum, sed ita animo comparatus, ut etiamsi illum cognosceret etiam percuteret : sententia negans est communior et probabilior, juxta S. Liguor., modò percutiens penitus ignoret esse clericum : secus autem si dubitaret, aut si intenderet eum percutere sive laicus sit sive clericus. Sunt qui dicunt ignorantiam crassam excusare ab hâc excommunicatione, sed meritò id reprobant Croix, Sanchez, etc., quia verba *suadente diabolo*, important tantùm percussionem cum peccato gravi. (S. Liguor., lib. 7, nº 275.)

6213. Item excommunicationem non incurrunt Prælatus, præceptor, pater, etc., percutientes clericum in minoribus constitutum correctionis causâ, moderatè tamen juxta gravitatem culpæ : hoc possunt etiam Prælatus et præceptor, erga clericum in sacris constitutum ; an autem idem possit pater, controvertitur? Sententia affirmans probabilior vidétur S. Liguorio : ex cap. 1, *De Sentent. excomm.* (S. Liguor., lib. 7, nº 275, q. 5). Nec incurrunt ministri qui verberant aut in carcerem detrudunt clericum reum ex jussu Superioris ecclesiastici (cap. *Ut formæ* 35, *de Sent. excomm.*, et cap. *Clericos* 15, *de sent. excomm.*, in 6º).

6214. Item excommunicatio non incurritur si percus-

sus sit realiter degradatus vel bigamus, vel exercens publicè officium cauponis, vel macellarii, vel scurrum, et ter monitus non cesset; vel si in seditione deprehenderetur armatus et crudelitates exercens (cap. *Cùm ab homine* 14, et cap. *Perpendimus* 23, *de sent. excomm.*); vel si inventus fuerit turpiter agens cum uxore, matre, sorore, vel filiâ, vel si mulierem sollicitaret ad turpitudinem : quia privilegium tunc amittit (cap. *Si verò* 3, *de sent. excomm.*). An autem excusaretur maritus qui se ex industriâ occultaret, expectans clericum ignorantem, non benè constat, et rectiùs putat S. Liguorius eum non excusari (*ibid.*).

6215. Quærit. An, in omni casu, S. Pontifici reservata sit excommunicatio quam incurrunt clericorum percussores ?

Resp. Tres gradus distingui in gravitate hujus criminis : alia enim est percussio quæ habetur ut *enormis;* alia ut *mediocris* seu *gravis;* alia tandem ut *levis*, quæ talis attamen non dicitur quòd sit tantùm peccatum *veniale*, cùm nunquam excommunicatio major possit incurri ob veniale peccatum, sed *levis* dicitur per comparationem ad alias *graves* aut *enormes* percussiones. De illis tribus gradibus percussionum sic habet Extrav. *Perlectum :* « Respondemus » percussionem levem esse pugni, palmæ, manûs, pedis, » digiti, aut baculi, aut lapidis, quæ nullam maculam neque » suggillationem carnium relinquit, neque abscindit mem» brum, sinè extractione dentium, sinè avulsione multo» rum capillorum, sinè effusione multi sanguinis » (talis est ergo percussio *levis*). « Nolumus tamen dicere quòd hu» jusmodi levis percussio... fiat atrox ob multi sanguinis » effusionem. Ad judicandum tamen, quæ læsio sit levis, » mediocris aut enormis, volumus diligenter perpendi, » non solùm factum, sed etiam qualitatem ejus et modum » percutiendi cum omnibus suis circumstantiis loci, per» sonæ, et aliis. *Personæ*, si est magister, judex, Prælatus, » pater, patronus, aut Dignitas, percussus injustè à subdito » aut ab alio se viliori, quia ex hoc interdum censentur gra» ves injuriæ, quæ ex se sunt leves aut mediocres. Et quia » conditio negotii non patitur integram determinationem

» hujus rei, relinquimus tuo arbitrio, ut declares quæ » sit levis, et quæ enormis injuria, admonentes ut po- » tiùs declares in dubio esse percussionem gravem, et ab » eâ non posse absolvere, quàm, declarando levem esse, » occasionem præbeas lædendi statum ecclesiasticum. » S. Liguor. (lib. 7, nº 277).

6216. Ex his DD. dicunt percussionem mediocrem illam esse ex quâ extrahitur dens, vel capillorum copia evellitur, aut fit suggillatio carnis cum effusione sanguinis, sed absque gravi læsione vel injuriâ. Percussionem verò fieri *enormem*, si magna intervenit vulneratio, aut magna sanguinis effusio aliundè quàm è naribus, vel magna injuria. (S. Liguor., lib. 7, nº 277.)

6217. Percussio *levis* sæpe potest evadere *gravis* vel *enormis* ratione circumstantiarum, videlicet : 1º ratione *personæ læsæ*, si sit Abbas, Prælatus monasterii, judex, herus, aliusque in Dignitate constitutus; 2º ratione *lædentis*, si sit officialis, laicus, vel plebeius, et nobilem percutiat; 3º ratione personæ coram quâ percussio fit, v. g. coram Prælato; 4º ratione scandali, si clericus à monacho percutiatur; 5º ratione loci, si percutio fiat in ecclesiâ, in plateâ, etc.; 6º ratione temporis, si clericus percutiatur dum vacat sacris functionibus, dum est sacris vestibus indutus, etc.; 7º ratione injuriæ ut si quis clericum denudet, atramento vel stercore vultum fædet, etc. (S. Liguor., *ib.*, nº 278.)

6218. His explicatis, ut ad propositam quæstionem deveniamus, dicimus : 1º Episcopos, eorumque Vicarios posse absolvere à percussione levi, etiam publicâ (cap. *Pervenit*, *de sent. excomm.*); 2º à percussione enormi aut mediocri, si sit publica, absolvere posse tantùm Papam, Legatum à *latere*, legatos missos in aliquam provinciam (cap. *Ad Eminentiam*, *de sent. excomm.*; cap. penult., *De Officio Legati*); si verò sit occulta, possunt ab eâ absolvere etiam Episcopi (Trid., sess. 24, c. 6) : imò iidem possunt à publicâ absolvere mulieres (cap. *Mulieres*, *de sent. excomm.*), etiamsi percussio fuerit enormis; item impuberes, ac eos qui collegialiter vivunt, si percussio fuerit gravis

tantùm, non verò enormis. (Vide 1637, V ; 1640, II.)

6219. Disputatur an incurrat excommunicationem qui clerico venenum præbet, probabilius est autem quòd incurrat, sed eo instanti solùm quo venenum incipit lædere. (S. Liguor., *ib.*, n° 280.)

6220. Non incurritur excommunicatio si malè tractetur cadaver personæ Deo consecratæ. Ita probabiliùs Fagnanus, contra quosdam (ap. Stremler, *Des Peines ecclés.*, p. 261).

6221. Ex Giberto, Lequeux (n° 1376 *in fine*) et Auctor *Prælect. S. Sulpit.* (n° 696) dicunt quòd juxta usum plerarumque diœceseon Galliæ, absolutio hujus criminis non reservetur S. Sedi, quando clericus percussus non est sacris initiatus. At juxta C. *Ap. Sed.* sufficit ut sit *clericus*.

6222. — II. *Locale* sacrilegium committitur quando ecclesia vel locus sacer polluitur, de quo satis egimus supra (4791-4815) ; vel quando in eisdem ea fiunt quæ illorum sanctitatem dedecent, aut immunitates lædunt, de quibus etiam satis egimus supra (4829-4840).

6223. *Nota* autem quòd, extra casum violationis immunitatum aut pollutionis, sacrilegium locale non adsit, nisi malè tractetur ecclesia, cùm in odiosis strictè sit facienda interpretatio (S. Liguor., lib. 3, n° 38).

6224. Disputatur an omne furtum in ecclesiâ commissum sit sacrilegium : *prima* sententia dicit non esse sacrilegium, nisi furtum sit de re ecclesiæ commodatâ aut ei commissâ causâ custodiæ ; et probabilis habetur à S. Lig., *ib.*, n° 39 ; *secunda* autem sententia, quam probabiliorem idem Sanctus vocat, universaliter affirmat, eò quòd in cap. *Quisquis* 21, causa 17, q. 4, absolutè reputatur sacrilegus qui *non sacrum de sacro* furatur [1]. Controvertitur verò an sit sacrilegium locale furari è sacristiâ. Sed certum est non esse sacrilegium furtum in claustris, nec furtum in Oratorio domûs privatæ patratum. Justè autem putat Sanchez sacrilega esse furta in Oratoriis Xenodochiorum aut Eremitoriorum, licet ab Episcopo non benedictis (S. Liguor., lib. 3, n° 39). —

[1] Ita se habet cap. *Quisquis* : « Sacrilegium committitur auferendo » sacrum de sacro, vel non sacrum de sacro, vel sacrum de non » sacro. »

Non violatur autem sanctitas loci per actus merè internos, ideoque non committit sacrilegium qui in ecclesiâ habet voluntatem occidendi extra illam; secus, si quis extra ecclesiam proponit occidere in ecclesiâ. (S. Liguor., lib. 5, n° 43.)

6225.—III. *Reale* sacrilegium locum habet per indignam tractationem sacramentorum, ut si ministrentur, vel suscipiantur cum peccato mortali. Item si vasa aut instrumenta sacra, ad usus profanos adhibeantur, v. g. si quis uteretur calice aut ornamentis altaris in convivio: intellige tamen de iis quæ saltem benedici solent: nam adhibere ad nuptias vel usum profanum, tapetes, candelabra, pelvim, imò et manutergium et cætera quæ mediatè serviunt ministerio sacro non esse peccatum docet Tamburin. nisi fieret ex aliquo contemptu, saltem implicito, ut si semper et indifferenter ad similes usus adhiberentur. Idem dicit de candelis, ramis, aquâ, incenso, et similibus benedictis, quia Ecclesia non agit cum tanto rigore in modicis istis benedictionibus, ut patet in pane, ligno, carbonibus, etc. benedictis. An autem vasa et vestes sacræ possint aliquando converti in usum profanum, vide dicta supra (3621 et 3622).

6226. Sacrilegium est autem malè tractare sacras imagines, reliquias; illas furari, etiam in parvâ quantitate, est grave sacrilegium si dominus prævideatur ex hoc fore graviter contristandus (S. Liguor., lib. 3, n° 45). — Est etiam sacrilegium torquere verba S. Scripturæ ad scurrilia, fabulosa, vana, adulatoria, detractoria. (Trident., sess. 4, *in fine*.)

6227. Non læsio quorumcumque bonorum ecclesiasticorum est sacrilegium, sed duntaxat bonorum quæ pertinent ad *ornamentum ecclesiæ*, *aut sunt deputata ad sustentationem ministrorum*, ut ait S. Thomas (2, 2, q. 99, art. 3), et quidem *quà tales sunt*, ut rectè dicit Tambur. ap. S. Liguor., lib. 3, 42. — An autem sit sacrilegium injustè detinere legata Ecclesiæ relicta pro ejus servitio, controvertitur (*ib.*).

6228. *Nota* quòd censuræ contra sacrilegos latæ, non

incurrantur ipso facto nisi : percutientibus clericum; à violantibus immunitatem Ecclesiæ, usurpando bona, tributa imponendo (Trid., sess. 22, cap. 11); ab effringentibus ecclesias et simul expoliantibus, seu aliquid ex iis eripientibus (cap. *Conquisitus* 22, *de sentent. excomm.*)

Juxta autem S. Liguor., lib. 3, 44, probabilius est incendiarios ecclesiarum non esse ipso facto excommunicatos. Vide supra (1636 1°); et infra (6298).

6229. Specialibus Constitutionibus sub pœnâ excommunicationis, prohibetur ablatio reliquiarum, statuarum, marmorum è cryptis vel ecclesiis Urbis Romæ; et interdicto subjiciuntur ecclesiæ quibus hæc furtivè sublata applicantur, donec restituta fuerint. Vide *Thesaur., de pœnis*, 11 part., c. 1, *de Reliquiis* (*Prælect. S. Sulpit.*, n° 696, in *notâ*).—Servata est excomm. quoad reliquias (C. *Ap. Sed.*).

6230. *Nota* insuper quòd possit peccari sacrilegio etiam per omissionem, v. g. si quæ ad sacrificium missæ spectant, ut corporalia et similia, sint valde immunda, et hoc sacrilegium potest esse mortale. An sit licitum omnibus, nudâ manu vasa sacra et linteamina altaris tangere, vide dicta supra (3645-3649). Citra contemptum hoc non esse mortale, si vacua sint, et, si causa subsit, nec veniale, dicit Busembaum ap. S. Liguor., lib. 3, n° 48.

ART. V.

DE INJURIA ORDINIBUS RELIGIOSIS ILLATA.

6231. Non solùm qui personis religiosis, sed etiam qui ipsismet Ordinibus religiosis injuriam faciunt, censuras incurrunt.

Sic 1° qui libellis famosis, cantilenis injuriosè insequuntur religiosos Ordinis S. Francisci, S. Dominici, Societatis Jesu, Carmelitarum, Augustinianorum, etc., in communi (non in individuo), incidunt in excommunicationem majorem S. Pontifici reservatam; citatur solùm Constit. Gregorii XIII *Cùm ascendente Domino*; sed hæc dispositio ad omnes religiosos communiter extenditur. Vide Ferraris (v° *libellus famosus*, n° 30).—De eâ excomm. silet C. *Ap. Sedis.*

6232. Sic 2° « qui impediunt regulares Ordinum Mendi » cantium ne eleemosynas expostulent aut recipiant, ex- » communicantur, si sint inferiores Episcopis; Episcopi » verò, si admoniti, retractare prohibitiones à se factas » in detrimentum horum regularium recusent, interdicun- » tur ab ingressu ecclesiæ, et suspensi sunt à regimine et » administratione suæ diœcesis. Const. Sixti IV *Sacri* » anni 1479. » — De his silet C. *Apost. Sedis.*

6233. Qui usurpant jurisdictionem in regulares exemptos Sanctæ Sedi immediatè subjectos, incurrunt excommunicationem Summo Pontifici reservatam ex Bullâ *In Cœnâ Domini*, § 17. Vide Ferraris, v° *Excommunicatio*, art. 2. De his videri potest exconm. XI specialiter res. C. *Ap. Sedis.*

De exemptionibus vide dicta supra (568-620).

ART. VI.

DE MAGIA.

6234. Mâğia in sensu latissimo definitur à Del Rio : *Ars seu facultas, vi creatâ et non supernaturali, quædam mira et insolita efficiendi quorum ratio sensum et communem hominum captum superat* (*Disquisit. magicæ*, lib. 1, cap. 2). A dono miracula operandi differt magia in eo quòd miraculum vi supernaturali, omnem potestatem creatam superante, producatur.

6235. Duplicis generis est magia, *naturalis* nempe, quæ mira et insolita peragit mediis quæ vires humanas non excedunt, qualis est ars præstidigitatorum (*escamoteurs*); et magia *non naturalis*, quæ mira operatur mediis humanam potestatem superantibus, interventu videlicet spirituum homine superiorum : de hâc secundâ magiæ specie hîc tantùm agitur, et dividitur *in albam* et *nigram*. — *Alba* seu *theurgia*, si reverà existeret, mira operaretur, per Dei et bonorum Angelorum interventum : talem autem artem Deus non instituit, sed duntaxat aliquam (non verò semper et per media quæ ex se suum exerunt effectum) quibusdam concedit potestatem miracula patrandi. At hæc potestas minimè *magia* appellari potest. « Qui ex dono

» gratiæ gratis datæ, operatur, inquit Del Rio (*Disquis.* » *magicæ*, lib. 2, q. 2), ille ad certum tempus, occasio- » nem aut cæremonias certas non restringitur, ut solent » magi, qui si vel in minimo deficiant nihil efficiunt. » Nec etiam hujusmodi Dei dona gratuita possunt aliis, » per disciplinæ ac præceptorum modum tradi : magi verò » suis discipulis hanc magicam artem tradunt; et audito- » res, magistrorum secuti præcepta, quæ magistri eadem » operantur. » (*Rev. des sciences ecclés.*, n° 5, p. 391.) — *Nigra* verò ope dæmonis stupenda et insolita peragit : ideoque vocatur *diabolica* aut simpliciter *magia*.

6236. Magia diabolica, alia est divinatrix, quæ ideo vocatur *divinatio*, quâque propalantur res occultæ, sive præteritæ, sive præsentes sive futuræ quæ humano medio dignosci nequeunt; alia verò est *operatrix* quâ producuntur alii effectus humanas vires excedentes.

6237. Variis nominibus nuncupatur *Divinatio* prout varia sunt media quæ adhibentur ad detegendas res occultas : si enim diabolus ipse, in formâ visibili, illas res occultas propalet, vocatur *præstigium ;* si fiat propalatio per mortuorum apparitionem, dicitur *necromantia ;* si per homines vivos, dicitur fieri per *pythones :* si per figuram in aquâ, vocatur *hydromantia ; geomantia* verò, si per inspectionem corporis terrestris, v. g. lapidis, speculi, etc.; *chiromantia*, si per signa manuum ; *pyromantia*, si per apparentias in igne ; *aruspicium* si per viscera animalium contingat; *oraculum*, si per idola; *astrologia*, si fiat per situs et motus astrorum; *auspicium* si per signa volucrum ; *augurium*, si per signa animalium ; *omen*, si per casum, v. g. per occursum funeris ; *sortilegium*, si per sortem. (S. Liguor., lib. 3, n° 6.)

6238. Similiter *magia operatrix*, vel exercetur ut noceat et vocatur *maleficium ;* vel ut prosit, et generatim à pluribus vocatur *vana observantia*, sed varia etiam nomina sortitur, prout in eâ diversa adhibentur media.

Maleficium est aut *amatorium*, quo quis incenditur in alicujus determinatæ personæ amorem vel odium, quod ita fit tamen quin voluntas à dæmone necessitetur, sed libera

manet ; aut *veneficium*, quo nocumentum alicujus intenditur, sive reale in ejus bonis, sive personale in ejus persona.

Circa magiam *non naturalem* hæc tenenda sunt :

6239. — I. Effectus magiæ vires humanas excedentes, tribuendi sunt non Deo, nec bonis angelis, nec defunctorum animabus.

1° *Non Deo :* quia ridiculum esset Deum mirabilia operari sese submittendo vanis et superstitiosis mediis in magiâ adhibitis ; insuper iniquè vetaret in Scripturis, quod uti gratiam hominibus largiretur ; denique illi effectus sæpe sunt mali, proinde Deo non tribuendi.

2° *Non bonis angelis*, propter easdem rationes, et præterea id constat ex variis canonibus à Gratiano relatis, causa 26. Ita se habent articuli Parisienses à Del Rio citati : « Quod Deus per artes magicas et maleficia inducatur com-» pellere dæmones suis incantationibus obedire : *error*. » Quod boni angeli includantur in lapidibus et consecrent » imagines vel vestimenta, aut alia faciant quæ in istis arti-» bus continentur : *error* et *blasphemia*. »

3° *Non defunctorum animabus* : nam animæ defunctorum sinè Dei permissu nec è purgatorio, nec à fortiori ex inferno exire possunt ; porrò ut sic exeant ex Dei licentiâ, nulla subest causa quæ legitima videatur. « Ut enim ad » magorum preces et incantationes id jubeat, impium est » opinari » (Del Rio, *Disquis. magicæ*, lib. 2, q. 2). Præcipua ergo efficiens causa istarum artium est ipse diabolus.

6240. — II. Dari magiam diabolicam absque temeritate non negaretur : ita P. Perrone (*Curs. compl.*, tom. 1, col. 661). Id constat 1° cap. 7, v. 10 Exodi, ubi dicitur : « Tulit Aaron virgam coram Pharaone et servis ejus, quæ » versa est in colubrum, vocavit autem Pharao sapientes et » maleficos, et fecerunt etiam ipsi per *incantationes Ægyp-» tiacas* et arcana quædam similiter. »

Item (Levitic., c. 20, v. 27) dicitur : « Vir sive mulier » in quibus *pythonicus* vel *divinationis fuerit spiritus*, » morte moriatur. » Ubi nota quòd Scriptura non dicat:

vir sive mulier, qui fingunt se habere spiritum Pythonem, sed expressè *in quibus fuerit.*

In Evangelio autem S. Matth., c. 24, v. 24, dicitur : « Surgent enim pseudo-Christi et pseudo-prophetæ, et » dabunt signa magna et prodigia, ita ut in errorem in- » ducantur (si fieri potest), etiam electi. » Illa *signa magna* et *prodigia* intelligi sane debent de prodigiis humanas vires superantibus.

In Actibus verò Apostolorum (c. 16, v. 16) dicitur : « Factum est autem euntibus nobis in orationem, puellam » quamdam habentem spiritum Pythonem obviare nobis, » quæ quæstum magnum præstabat dominis suis divi- » nando. — Dolens autem Paulus et conversus spiritui » dixit : Præcipio tibi in nomine Jesu Christi exire ab eâ : » et exiit eâdem horâ. »

Citari etiam posset cap. 8 Act. Apost. ubi narratur de Simone Mago, quòd *multo tempore Samaritanos magiis suis dementasset.*

6241. Omittimus innumeros alios textus sive S. Scripturæ sive traditionis; sufficiat hìc referre verba Ritualis Romani, titulo *de exorcizandis obsessis à dæmone*, ubi monetur exorcista ut « jubeat dæmonem dicere an detineatur » in corpore obsessi, *ob aliquam operam magicum aut ma-* » *lefica signa* vel instrumenta : quæ si obsessus ore sump- » serit, evomat ; vel si alibi extra corpus fuerint, combu- » rantur. » Hæc verba manifestè supponunt magiæ diabolicæ realitatem. Nec videtur benè quomodò declinari valeat tanta auctoritas ; unde cautè sunt legendi quidam auctores; ut Feller et Bergier, qui in eis nimiùm videntur favisse impiorum incredulitati : « Hoc est, inquit S. Thomas » (*Supplem.*, q. 58, art. 20), contra auctoritates Sanctorum » qui dicunt quòd dæmones habent potestatem supra cor- » pora et imaginationem hominum quando à Deo permit- » tuntur : unde per eos malefici aliqua signa facere pos- » sunt. » Vide *Revue des sciences ecclés.*, n° 5, p. 393-400.

6242. — III. Effectus magiæ de quibus supra, obtineri solent pacto saltem implicito cum dæmone inito, seu per aliquam petitionem implicitam ad dæmonem directam.

Dupliciter ergo pactum fieri potest cum dæmone : *expressè* nempe et *tacitè seu implicitè : expressum* est pactum quando quis per se vel alium, verbo aut scripto, dæmonem invocat. *Tacitum* est verò quando quis utitur iis superstitiosis mediis quibus magi utuntur, sciens iis mediis naturalem vim non inesse intentos effectus producendi. Et hoc, etiamsi protestetur se nolle pactum cum dæmone inire, quia ipsius actus huic protestationi contrarius est, et illam inanem reddit.

Si tamen dubitaret tantùm an media effectum stupendum naturaliter habeant vel diaboli ope, non censeretur inire pactum etiam implicitum cum dæmone, si illa adhiberet curiositatis vel alterius motivi causâ, modò ita dispositus esset ut nullatenus ea adhiberet, si sciret dæmonem intervenire : à fortiori, idem esset dicendum si quis adhiberet media magica, penitus ignorans talia esse.

6243. Cæterùm patet gravissimum esse peccatum pactum expressum cum dæmone : quod quidem ad speciem idololatriæ pertinet, cùm per tale pactum seu petitionem quidam cultus *latriæ* dæmoni exhibeatur. Imò per hoc fides negari posset, si nempe crederetur hunc cultum diabolo deberi, vel diabolum posse ea legitimè operari. Vide Del Rio (*ib.*, lib. 2, q. 4).

6244. Magia quæ fit per pactum implicitum est etiam gravissimum peccatum : sed excusari à mortali quidam asserunt ap. S. Liguor. (lib. 3, n° 7) : « Videlicet tunc cùm » vel intercedit simplicitas et ignorantia non crassa, neque » affectata (licet culpabilis) : vel fides certa non adhibetur, » sed tantùm timor quidam, aut suspicio concipitur eventûs futuri... eò quòd tunc superstitio verè non sit, cùm » intentio non sit talis. »

6245. » Qui de fortunâ consulunt... si fiat cum firmâ » fide vel scandalo, etc., mortaliter (peccant) : si verò » causâ curiositatis vel risûs, ut fit communiter, venialiter » tantùm...» Busembaum (ap. S. Lig., *ib.*, n° 40, 40°).

6246. Prævia protestatio contra omnem diaboli interventum non impedit necessariò hunc interventum, si scienter adhibeantur media quibus diabolus suam actionem

annectere consuevit, quia talia media scienter adhibens, agit contra suam protestationem, quæ proinde inanis fit. Vide S. Liguor. (lib. 3, n° 8). Imò non necessariò impeditur interventus diabolicus ex eo quòd quis ignoret magica esse media quæ adhibet et bonâ fide adhibeat, si enim Deus permittit ut etiam fideles in statu gratiæ existentes à diabolo obsideantur, cur necessariò deberet impedire quominus non interveniret diabolus, quando bonâ fide adhibentur media magica quibus iste solet se immiscere? Nullibi enim revelatum est, aut traditum reperies, impediendam fore necessariò actionem dæmonis eò quòd præmittatur protestatio contra ipsius interventum : et reverà etiam experientiâ constat præfatam protestationem aut bonam fidem hunc interventum non semper excludere. Vide plura facta id probantia à D. Bouix relata, ap. *Revue des sciences ecclés.* (n° 5, p. 404-407).

6247. Ex his sequitur posse peccari, non obstante præfatâ protestatione, adhibendo dicta media magica : et quidem certum est : 1° Certò peccari, etiam mortaliter, si scienter hæc media superstitiosa seriò adhibeantur, quia non obstante protestatione adest pactum implicitum cum dæmone ; 2° si dicta media adhibeantur ex joco vel curiositate ad videndum quid accidat, aliqui theologi existimârunt esse tantùm veniale, sed aliter sentiunt alii inter quos Mayol (vide *Revue des sciences*, etc., *ib.*, p. 407) ; 3° in dubio an media suspecta suos effectus producant naturaliter vel ope dæmonis, si adhibeantur hujusmodi media ex honestâ et gravi causâ cum prævià protestatione, non videtur esse culpa, etsi futurum sit contra intentionem quòd effectus fortè producantur dæmonis interventu : quia sic agens utitur jure suo adhibendi media utilia quando ei non constat illa operari dæmonis ope ; secus dicendum, si hujusmodi media adhiberentur absque causâ honestâ et gravi, vel si probabilissimum esset intervenire dæmonem ; 4° qui hujusmodi media adhibent ex ignorantiâ crassâ, non ideo immunes sunt à culpâ etiam gravi, præsertim, si jam fuerint moniti. Vide Mayol (*Curs. complet.*, tom. 14, col. 90, 91), et *Revue des sciences ecclés.* (*ib.*, p. 408 et 409).

6248. Quærit. 1° Quid sentiendum sit de virgâ bifurcatâ quâ fontes et res deperditæ vel occultatæ inveniuntur?

Resp. In duplicem classem posse dividi effectus virgæ bifurcatæ : alii enim sunt de quibus dubitari potest an sint naturales ; alii verò quos certò constat superare vires humanas : prioris generis sunt motus hujusmodi virgæ quando qui illam adhibet stat supra fontem, vel supra metalla : plures enim inveniuntur personæ quæ in dicto casu physicè commoventur, quæ proinde fortè possent hunc motum dictæ virgæ communicare. Unde quoad fontes et metalla, non benè semper constat an effectus non sit naturalis.

Secundi autem generis essent motus virgæ quoad res deperditas, furto ereptas et occultatas : manifestè enim motus qui non contingunt circa aliquod corpus nisi quia est deperditum vel occultatum, causam physicam non habent, sed ab aliquo agente occultè procedunt, qui, in casu, alius supponi nequit nisi diabolus ; naturaliter enim virga non magis potest moveri circa lapidem pro limitibus constitutum quàm super alium lapidem. In hoc ergo secundo casu usus virgæ bifurcatæ est certè diabolicus et proinde illicitus ; in priori verò examinandum est an motus, contingant uniformiter ac independenter à certis precibus aut conventionibus merè arbitrariis ; si enim moveatur semper virga, quando qui illam tenet stat super aquam aut metalla, motus haberi poterit ut naturalis aut physicus ; si verò non moveatur, nisi quia fons vel metallum inquiritur vel duntaxat eo momento quo à virgâ quæritur an aqua fluat, vel metallum infossum sit intra tria vel quatuor metra sub terrâ, secus immota permaneat, certè tunc motus non est naturalis, cùm natura uniformiter et secundùm regulas constantes agat : proinde in hoc casu, usus virgæ erit certò illicitus. Imò deterrendi sunt semper fideles ab hujusmodi experimentis ob periculum superstitionis eis inhærentis. Vide S. Liguor. (lib. 3, n° 8) ; et *Revue des sciences ecclés.* (n° 5. p. 409-414) [1].

[1] In hoc opere periodico narratD Bouix quòd : « Junior quidam clericus... postulavit... à confessario num sibi liceret, scientiæ causâ, eâ virgâ uti. Affirmativè respondit confessarius dummodo protestationem

6249. Quærit. 2° Quid sentiendum sit de tabulis gyrantibus, et spiritibus percussoribus (*Tables tournantes*, *Esprits frappeurs*) ?

Resp. Non multis abhinc annis, ubique ferè sermo non erat nisi de phænomeno hoc stupendo quo, pluribus simul tabulam et se invicem per manum tangentibus, tabula sic contacta gyrare incipiebat, et sæpe etiam, per repetitionem verberationum litteris alphabeticis correspondentium, respondebat variis quæstionibus ad ipsam directis : imò etiam illas responsiones scribebat me lio graphii ipsius pedibus illigati : patet quòd si illi effectus reverà producantur sinè fraude tangentium, diabolicum sit dictum experimentum, ac proinde illicitum : diabolica pariter esset, ut patet, consultatio spirituum qui per certum numerum verberationum quæsitis responderent. Vide *Revue des sciences ecclés.* (n° 5, p. 411-413).

6250. Quærit. 3° An existant striges seu sagæ et spiritus incubi vel succubi?

Resp. De his vide *Revue des sciences ecclés.* (n° 5, p. 414-417); S. Liguor. (lib. 3, n° 26); et *Praxim confess.* (n° 111); P. Perrone, *De Deo Creatore*, p. 1, c. 5, et cap. *Episcopi*, causa 26, q. 5.

6251. Quærit. 4° Quid sentiendum sit de magnetismc quod dicitur animale?

Resp. Hoc nomine designari prætensum aliquod fluidum, vi cujus persona præsertim sexûs feminæi inducitur in quoddam somnambulismum tam altum ut nec maximus fragor ad ejus aures productus ab eo suscitare valeat. A solo magnetizatore variis gesticulationibus, palpationibus aut etiam solo mandato interno, à distantiâ plurium leuca-

» contra diaboli interventum præmitteret. Præmisit protestationem; » virgâ usus.. ; nec tantùm aquas subterraneas... detexit; sed cùm » frater ipsius unam inter plurimas domûs paternæ claves in angulo » quodam superioris ædis abscondisset, versa est virga versus angu- » lum istum, et sic à præfato clerico clavis reperta est. Id ipse, inquit » D. Bouix, sacerdotio jam initiatus mihi enarravit » (*ib.*, p. 404, etc.): proinde nec etiam protestatio impedit interventum diaboli, saltem quando modus adhibitus est manifestè improportionatus effectui producendo.

rum dato, hoc somnambulismum producitur. Tunc si vivâ voce aut mentaliter, de suo absentiumve sibi ignotorum morbo interrogetur, etiam indocta illicò medicos scientiâ longè superat, res anatomicas accuratissimè enuntiat, morborum internorum et cognitu difficillimorum causam, sedem, naturam indicat, eorumdem progressus, variationes, complicationes evolvit, idque propriis et technicis terminis, remediaque efficacissima præcipit [1]. Si adsit persona de quâ consulitur, relationem inter ipsam et personam magnetizatam contactu instituit magnetizator; si verò sit absens, cincinnus ex ejus cæsarie eam supplet et sufficit : admoto enim hoc cincinno ad palmam magnetizatæ, confestim ipsa declarare valet cujus sint capilli, ubinam versetur persona ad quam pertinent, quid rerum agat, et circa ejus morbum omnia documenta præstare haud aliter, imò multò meliùs ac si, medicorum more, corpus ipsa introspiceret.

Oculis clausis et velatis res cernit, legit, etiam nescia legendi, librum vel litteras clausas. Ex hoc somnambulismo educta, vel jussu etiam interno magnetizatoris, vel quasi sponte suâ, ipso temporis puncto à se prænuntiato, nihil omnino de rebus in paroxismo peractis, sibi conscire videtur, quantumvis ille duraverit.

6252. Ità somnambulismum magneticum exponit Cancellarius Episcopi Lausannensis et Gebennensis, D. Fontana in suâ consultatione directa ad S. Pœnitentiariam, 19 maii 1841 : deinde quærit utrum Confessarius possit suis pœnitentibus permittere :

« 1° Ut magnetismum animalem illis caracteribus aliisque similibus præditum exerceant, tanquam artem medicinæ auxiliatricem atque suppletoriam;

» 2° Ut sese in illum statum somnambulismi magnetici demittendos consentiant;

» 3° Ut vel de se vel de aliis personas consulant illo modo magnetizatas;

» 4° Ut unum de tribus prædictis suscipiant, habitâ

[1] « Non est illicitum uti virtute, quæ per superstitionem cognita est, modò ejus observatio aut operatio non pendeat ab ope dæmonis. » Busembaum apud. S. Liguor., lib. 3, n° 20, *in fine*.

» priùs cautelâ formaliter ex animo renuntiandi cuilibet » diabolico pacto explicito vel implicito, omni etiam sata- » nicæ interventioni ; quoniam hâc non obstante cautione, » à nonnullis ex magnetismo hujusmodi, vel iidem vel » aliquot effectus obtenti jam fuerunt. »

Hæc autem fuit responsio S. Pœnitentiariæ : « Sacra » Pœnitentiaria, maturè perpensis expositis, responden- » dum censet prout respondet : *usum magnetismi*, prout » in casu exponitur, non licere. Datum Romæ in S. Pœni- » tentiariâ, die 1 jul. 1841. Card. Castracane M. P. ; Ph. » Pamelia S. P. Secretarius. » (Vide ap. P. Gury, tom. 2, n° 882.)

6253. Datæ fuêre, 4 aug. 1856, litteræ encyclicæ à S. Cong. Inquisitionis circa eamdem materiam, ad omnes Episcopos directæ, quæ ita se habent : Feriâ IV, die 30 julii 1856 : — « In Congreg. Generali S. R. et Universalis Inquisitionis, » habitâ in conventu S. M. super Minervam. Emin. ac » RR. Cardinales... Inquisitores, maturè perpensis iis quæ » circa *magnetismi* experimenta à viris fide dignis unde- » quaque relata sunt, decreverunt edi præsentes litteras » encyclicas ad omnes Episcopos ad magnetismi abusus » compescendos.

» Etenim compertum est ut novum quoddam superstitionis » genus invehi ex phænomenis magneticis, quibus » haud scientiis physicis enucleandis, ut par esset, sed » decipiendis ac seducendis hominibus student neoterici » plures, rati posse occulta, remota ac futura detegi ma- » gnetismi arte, vel præstigio, præsertim ope mulierecula- » rum quæ unicè à magnetizatoris nutu pendent.

» Nonnullæ jam hâc de re à S. Sede datæ sunt respon- » siones ad peculiares casus, quibus reprobantur tanquam » illicita illa experimenta, quæ ad finem non naturalem, » non honestum, non debitis mediis adhibitis assequen- » dum, ordinantur. Unde decretum est Feriâ IV apr. 1841 : » *Usum magnetismi prout exponitur, non licere*... similiter » quosdam libros ejusmodi errores pervicaciter dissemi- » nantes prohibendos censuit S. Congregatio : verùm quia » præter particulares casus de usu magnetismi generatim

» agendum erat, hinc per modum regulæ sic statutum fuit
» feriâ IV 28 jul. 1847 : *remoto omni errore, sortilegio,*
» *explicitâ aut implicitâ dæmonis invocatione, usus magne-*
» *tismi, nempe merus actus adhibendi media physica aliunde*
» *licita, non est mortaliter vetitus, dummodo non tendat*
» *ad finem illicitum aut quomodolibet pravum. Applicatio*
» *autem principiorum et mediorum purè physicorum, ad*
» *res et effectus verè supernaturales, ut physicè explicentur,*
» *non est nisi deceptio omnino illicita et hæreticalis.*

» Quamquam hoc generali Decreto satis explicetur licitudo in usu, abusu magnetismi, tamen adeo crevit hominum malitia, ut, neglecto licito studio scientiæ, potiùs curiosa sectantes, magnâ cum animarum jacturâ, ipsiusque civilis societatis detrimento, ariolandi divinandive principium quoddam se nactos glorientur, hinc *somnambulismi et claræ intuitionis*, uti vocant, præstigiis, mulierculæ illæ gesticulationibus non semper verecundis abreptæ, se invisibilia quæque conspicere effutiunt : ac de ipsâ religione sermones instituere, animas mortuorum evocare, responsa accipere, ignota ac longinqua detegere, aliaque id genus superstitiosa exercere, ausu temerario præsumunt, magnum quæstum sibi ac dominis suis divinando certò consecuturæ. In hisce omnibus, quâcumque demum utantur arte vel illusione, cùm ordinentur media physica ad effectus non naturales, reperitur deceptio omnino illicita et hæreticalis, et scandalum contra honestatem morum.

» Igitur ad tantum nefas et religioni et civili societati infestissimum efficaciter cohibendum, excitari quàm maximè debet pastoralis sollicitudo, vigilantia, ac zelus Episcoporum omnium. Quapropter... omnem impendant operam ad hujusmodi abusus reprimendos et evellendos, ut dominicus grex defendatur ab inimico homine, depositum fidei sartum tectumque custodiatur et fideles sibi crediti à morum corruptione præserventur.

» Datum Romæ in Cancellariâ S. Officii, ap. Vaticanum, die 4 aug. 1856. V. Card. Macchi. »

6254. Ex his colligi potest quid sit sentiendum de ma-

gnetismo animali quoad plerosque effectus per ipsum productos. Non videtur tamen ex his debere concludi diabolicum esse simplex somnambulismum magneticum per gesticulationes aut aspectum inductum, etsi in hoc statu adsit quædam extraordinaria proclivitas loquendi de variis objectis, modò intra sphæram cognitionum naturalium contineatur. Vide *Revue des Sciences ecclés.* (n° 5, p. 417-424).

Colligi etiam potest quid sit sentiendum de spiritismo, seu de hâc novâ sectâ, jam longè latèque sparsâ, quæ stupendos effectus magiæ, somnambulismi magnetici, tabularum gyrantium verberantiumque tribuit interventui, non diaboli, sed spirituum qui, juxta hujusmodi sectatores non alii essent quàm animæ humanæ vel nondum incarnatæ vel jam à vinculis corporis sui solutæ. Vide *Revue des sciences ecclésiastiques*, tom. 7, p. 233, 321, 401.

6255. Quæri posset adhuc 5° an et quomodo tolli possent maleficia ?

— De hoc vide S. Liguor., lib. 3, n^is^ 24 et 25.

An autem sit licitum sortes adhibere in electionibus faciendis, vide dicta supra (410, 2384).

6256. Quærit. 6° Quænam sint pœnæ contra magiam à sacris canonibus latæ ?

Resp. Maleficos incurrere 1° excommunicationem ex cap. *Si quis ariolos*, causa 26, q. 5, ubi dicitur : « Si quis » ariolos, haruspices, vel incantatores observaverit, aut » philacteriis [1] usus fuerit, anathema sit. » Disputatur tamen an hæc excommunicatio sit latæ vel ferendæ sententiæ ; nam quamvis in rebus fidei verba *anathema sit* intelligantur de excommunicatione latæ sententiæ, in aliis tamen materiis non est ita intelligendum, juxta Suarez et alios (Vide S. Liguor., lib. 3, n° 27). De eâ silet C. *Ap. Sedis*.

2° Incurrunt excommunicationem Bullæ *Cœnæ*, si in iis

[1] *Phylacteria* dicuntur hîc chartæ in quibus continentur incantationes. Ita Glossa.

conjungatur hæresis vel vehemens suspicio illius : quod contingit quando initur expressè pactum cum dæmone, vel quando adhibentur res sacræ, vel diabolus adoratur, aut consulitur de iis quæ ipse cognoscere nequit; sed ad hoc requiritur error fidei in intellectu. (S. Lig., *ib.*)

3° Magi et sortilegi declarantur infames à cap. *Constituimus* 9, causa 3, q. 5. Variis pœnis, etiam depositionis, plectendi sunt Episcopi et presbyteri et alii clerici magos vel haruspices consulentes : vide cap. *Si quis Episcopus*, causa 26, q. 5 et Cap. *Non oportet*, *ib.;* huc etiam spectant cap. 1 et 2 de *Sortilegiis;* Const. *Superna*, § 41 Leonis X; Constit. *Cœli et terræ* Sixti V; Constit. *Omnipotens Dei* Gregor XV; et Constit. *Inscrutabilis* Urbani VIII. Vide *Inst.* R. de M. (t. 2, p. 551).

De magiâ et divinatione, vide plura alia apud S. Lig. (lib. 3, n^is^ 5-28).

CAPUT III.

DE DELICTIS VENEREIS.

6237. Venereorum criminum species sunt fornicatio simplex, concubinatus, stuprum, adulterium, incestus, sacrilegium, raptus, sodomia, conjunctio cum bestiis quæ vulgò *bestialitas* appellatur.

Fornicatio est voluntarius concubitus viri cum muliere quorum neuter alio vinculo obstrictus est. *Concubinatus* est consuetudo conjunctionis viri soluti cum solutâ. *Stuprum* est violenta virginis compressio. *Adulterium*, alieni thori violatio. *Incestus*, conjunctio consanguineorum aut affinium. *Sacrilegium*, concubitus cum personâ quæ se Deo vovit. *Raptus*, violenta abductio honestæ personæ libidinis explendæ causâ. *Sodomia* est conjunctio duarum personarum ejusdem sexûs, quæ sodomia perfecta dicitur : eam verò proximè sequitur sodomia imperfecta, quæ locum habet quando duæ personæ sexûs dissimilis eo modo copulantur qui sit contra ordinem à naturâ institutum pro libe-

ris procreandis. Ita iisdem ferè verbis Devoti (lib. 4, tit. 15, § 1).

6258. — 1° Simplex *Fornicatio* præsertim clericorum, variis pœnis antiquitùs puniebatur : nunc verò plectitur quasi judicis arbitrio (Cap. *De causis* 4, *de offic. delegati* ; cap. *Presbyter et diaconus*, cap. *Si quis Episcopus*, dist 81 ; can. *Maximianus*, dist. 81 ; can. *Sacerdotes*, dist. 50 ; can. *Presbyter*, dist. 82). Vide Reiffenst. ap. Bouix (*De Paroco*, p. 385).

6259. — 2° De *Concubinatu* autem in Conc. Trid. (sess. 24, c. 8, *de ref. matr.*) sancitur quòd laici, qui in hujusmodi sceleris contagione versantur, si ter ab Episcopo moniti, concubinas non ejecerint, excommunicationis pœnâ feriantur; aliisque pœnis plectantur si in concubinatu per annum permanserint : concubinæ verò si ter. etiam monitæ non paruerint, ab Ordinario graviter pro mensurâ culpæ puniantur, atque extra oppidum vel diœcesim exulentur.

6260. Quoad clericos concubinarios, si beneficia ecclesiastica vel pensiones non habeant, « juxta delicti et contumaciæ perseverantiam et qualitatem, ab ipso Episcopo, carceris pœnâ, suspensione ab ordine, ac inhabilitate ad beneficia obtinenda, aliisque modis juxta sacros canones puniantur. » (Tridentinum, sess. 25, c. 14, *de ref.*)

6261. Si verò sint beneficiarii, « si à Superioribus moniti, ab iis se non abstinuerint, tertiâ parte fructuum, obventionum ac proventuum beneficiorum suorum quorumcumque et pensionum, ipso facto sint privati : quæ Fabricæ ecclesiæ aut alteri pio loco, arbitrio Episcopi applicetur. Sin verò in delicto eodem cum eâdem vel aliâ feminâ perseverantes, secundæ monitioni non paruerint, non tantùm fructus omnes ac proventus suorum beneficiorum et pensiones eo ipso admittant qui prædictis locis applicentur, sed etiam à beneficiorum ipsorum administratione, quoad Ordinarius, etiam uti Sedis Apostolicæ delegatus, arbitrabitur, suspendantur; et si ita suspensi, nihilominus eas non expellant, aut cum eis etiam versentur, tunc beneficiis, portionibus.

» ac officiis et pensionibus quibuscumque ecclesiasticis » perpetuò priventur, atque inhabiles ac indigni quibus- » cumque honoribus, Dignitatibus, beneficiis ac officiis » in posterum reddantur, donec, post manifestam vitæ » emendationem, ab eorum Superioribus cum iis ex causâ » visum fuerit dispensandum. Sed si postquam eas semel » dimiserint, intermissum consortium repetere, aut alias » hujusmodi scandalosas mulieres sibi adjungere ausi » fuerint, præter dictas pœnas, excommunicationis gladio » plectantur. Nec quævis appellatio, aut exemptio prædic- » tam executionem impediat aut suspendat. » (Trid., *ib.*)

6262. Quoad autem Episcopos concubinarios, vide Conc. Trid. (*ib.*) *in fine* capitis.

Omnes concordant prædictum modum contra concubinarios procedendi esse servandum, si agatur de consuetudine clerici cum mulieribus de quibus habetur solùm suspicio: de iis enim certè loquitur Concilium cùm dicat: « Prohibet Sancta Synodus quibuscumque clericis, ne » concubinas, aut alias mulieres, de quibus possit haberi » suspicio, in domo vel extra detinere, aut cum iis ullam » consuetudinem habere audeant; alioquin, etc. » — Si verò constet de fornicatione (præsertim publicâ) disputatur an supradicta processûs forma necessariò sit servanda: plures enim, inter quos Reiffenstuel, dicunt quòd in hoc casu, etiam non præmissis monitionibus supra relatis, statim Ordinarius possit procedere ad depositionem, juxta veteres sanctiones, quibus contraire Concilium Trident. non intendit, ut isti asserunt. Vide de hâc controversiâ Bouix, *De Parocho*, p. 379-399.

6263. Consentire autem videntur omnes quòd statim Episcopus procedere possit ad depositionem si talis esset regionis consuetudo: hoc enim concedit ipsamet Trident. Synodus loco supra relato, cùm statim dicat: « Alioquin » pœnis à sacris canonibus, vel *statutis ecclesiarum* impo- » sitis puniantur. »

6264. *Nota* quòd si agatur de iis qui curam habent animarum in parochiis, ex eodem Concil. (sess. 21, cap. 6, *de ref.*), sufficiat semel eos admonere ut castigentur: « Et si

» adhuc incorrigibiles in suâ nequitiâ perseverent, eos » beneficiis, juxta sacrorum canonum constitutiones, » exemptione et appellatione quâcumque remotâ », privare possunt Episcopi.

6265. *Nota* adhuc quòd Episcopus, contra clericos concubinarios procedens, potest judicii summarii formam adhibere : Concilium enim Trid. (sess. 25, c. 14, *de ref.*) ait : « Su- » pradictorumque omnium cognitio, non ad Archidiaconos » nec decanos aut alios inferiores, sed ad Episcopos ipsos » pertineat, *qui sinè strepitu et figurâ judicii et solâ facti* » *veritate inspectâ, procedere possint.* »

6266. — 3° « *Stuprum* à clerico illatum, inquit Devoti » (lib. 4, tit. 15, § 4, etc.), Ecclesiæ leges mulctant pœnâ » depositionis ab officio et onere dotandi puellam quæ » vim passa est (cap. 1, *De adulter. et stupro*). Hodie, » præter dotationem, suspensio, mulcta pecuniaria, carcer » etiam perpetuus (sed non apud nos) aliæque pœnæ Epis » copi arbitrio infliguntur. Laicus qui hujusmodi crimen » patravit, aut dotare aut uxorem ducere debet mulierem » cum quâ concubuit, nisi aliud status personarum aut » rerum conditio postulet, quia tunc pecunia, dotis loco, » danda est; verùm qui mulierem compressit, datâ ma- » trimonii fide, is eamdem fidem liberare omnino de- » bet... »

6267. — 4° « *Adulterium*... jure canonico, in laico, » excommunicatione, in clerico, depositione punitur » (cap. 6, *De adult. et stupro*, et cap. *Si quis* 10, dist. 81).

5° « Adulterorum quoque pœnis, aliisque gravioribus aut » levioribus, uti fert ratio criminis et prudentia judicis, » plectuntur *Incestuosi* (Clem. *Eos qui* 1, *de consang.*; » cap. *Adulterii* 11, causa 32, q. 7)... Eodem jure cen- » sentur qui liberis dedère operam cum eâ quam de sacro » fonte susceperunt, vel in chrismate tenuerunt.... »

6268. Idem dicit Papa Symmachus de iis qui peccant cum suâ pœnitente : « Omnes, inquit, quos in pœnitentiâ » suscipimus, ita nostri sunt spirituales filii, ut et ipsi quos » vel nobis suscipientibus, vel trinæ mersionis vocabulo » mergentibus, unda sacri baptismatis regeneravit. Syl-

» vester quoque docens admonet unumquemque sacerdo-
» tem, ut nullus causâ fornicationis ad suam pœnitentialem
» accedat... Quapropter hoc scelus si quis perpetraverit,
» non solùm dignitatis honorem amittat, verùm etiam
» usque ad exitum vitæ suæ jugi pœnitentiæ se subdat. »
Cap. *Omnes* 8, causa 30, q. 1. Vide etiam can. 9 et 10, ejusdem causæ.

6269. — 6° « *Fornicatio* clerici, qui in sacris ordinibus
» versatur, quanquam verum sit sacrilegium, tamen ut
» simplex fornicatio punitur. At sacrilegium cum moniali
» commissum graviori pœnæ subjicitur..... Jure canonico
» laicus, qui monialem compressit, excommunicatur;
» clericus privatur beneficio, et depositus ab ordine in
» monasterium, seu potiùs in carcerem detruditur : ipsa
» verò monialis, quæ se violari passa est, aut in arctius
» monasterium, aut in carcerem conjicitur. » (Sed rursum hæc omnia observari non patiuntur leges civiles.)

6270. — 7° « *Raptores* virginum, nisi assentiente puellâ
» crimen matrimonio purgetur, excommunicatione pu-
» niuntur, aut depositione si clericus raptor fuerit.
» Raptores mulieris quæ virum habet, subsunt pœnis
» adulterorum (Trid. sess. 24, cap. 6, *de ref.*)... Sacrarum
» autem virginum sive monialium raptores pœnas perfe-
» runt, quæ à sacris canonibus contra raptores simul et
» sacrilegos sunt constitutæ » (can. 2 et seq., causa 36, q. 2).

6271. — 8° « *Sodomia* et conjunctio cum bestiis, non delicta
» sed monstra... sunt. Olim quisquis tam fœda et immania
» patrasset crimina... non solum à limine, verùm etiam ab
» omni ecclesiæ tecto removabatur. Hodie (ob *sodomiam*
» *perfectam*)... jure canonico excommunicatio in laicum,
» in clericum verò depositio ab officio, beneficio, ordine cle-
» ricali, et in monasterium detrusio, constituta est (cap. *Cle-*
» *rici*, *de excess. Prælat.*). Eodem quoque modo puniuntur
» qui sua cum bestiis corpora commiscuerint. » Devoti (ut supra). Vide insuper Const. *Horrendum S.* Pii V, et *Code pénal* (art. 331 et seq.). De dictâ excomm. silet C. *Ap. Sed.*

De confessione complicis et de sollicitantibus, vide dicta supra (3863-3891).

De cohabitatione clericorum et mulierum vide (2090-2099).

CAPUT IV.

DE DELICTIS CONTRA JUSTITIAM.

6272. Præcipua hujusmodi delicta sunt homicidium, falsum, furtum, usura, etc.

ART. I.

DE HOMICIDIO.

6273. *Homicidium* est injusta hominis occisio : aliud est *simplex*, quando nulla adest circumstantia ad regulas morum pertinens ; aliud est *qualificatum*, quando in eo adsunt circumstantiæ quæ novam adjiciunt speciem, vel quæ intra eamdem speciem crimen notabiliter aggravant : circumstantiæ hujusmodi sunt : 1° *machinatio* quando scilicet præmeditatio crimen præcessit ; 2° *assassinium* quando conducuntur viri scelerati ad interficiendum aliquem ; 3° *proditio*, quando quis per dolum interficitur ; 4° *parricidium*, si occidantur parentes aut cognati ; 5° *sacrilegium*, quando occiditur persona Deo sacra ; 6° *duellum*, si in certamine singulari ex condicto suscepto occidatur ; 7° *abortus*, si fœtus ex utero materno præmaturè et culpabiliter ejiciatur, ita ut mors exindè sequatur ; 8° *suffocatio prolis*, aut ipsius expositio, quæ satis intelliguntur ; 9° *autochirio* quæ est suî occisio. — (Lequeux, 1383 *bis*, 3ª edit.)

6274. Homicidium *simplex* inducit : 1° irregularitatem : de eâ locuti sumus supra (1810-1833) ; inducit proindè inhabilitatem ad beneficia et officia ecclesiastica (Trident., sess. 14, cap. 7, *de ref.*) ; 2° homicidæ subjacent pœnæ excommunicationis ferendæ sententiæ (cap. *Itaque* 20, causa 24, q. 3) ; 3° privandi sunt beneficiis priùs obtentis et omni exercitio sacrorum ordinum. Ita cap. *Si Episcopus* 7, dist. 50, ex Concil. Agathensi, anni 506 : « Si

» Episcopus aut diaconus capitale crimen commiserit, aut » chartam falsaverit, aut falsum testimonium dixerit, ab » omni officii honore depositus, in monasterium detruda- » tur, et ibi, quandiù vixerit, laicam tantùm communio- » nem accipiat. » Vide etiam cap. *Inquisitionis* 21, *de accus.*

6275. Homicidium verò *qualificatum*, excommunicationem ipso facto inducit : 1° si sit *sacrilegium*, ex cap. *Si quis suadente*, etc. (6205); 2° si contingat per *assassinium* inducit eamdem pœnam ipso facto, sed non reservatam (S. Liguor., lib. 7, n° 209 : cap. *Pro humani* 1, *de homicidio*, in 6°), et insuper privationem officii ipso facto : dicitur enim in dicto canone ex Conc. Lugdun. II desumpto: « Sacri approbatione Concilii statuimus ut quicumque » princeps, quævis..., ecclesiastica sæcularisve persona.,., » quempiam christianorum per... assassinos interfici fece- » rit, vel etiam mandaverit,quanquam mors ex hoc forsitan » non sequatur, aut eos receptaverit, vel defenderit... » excommunicationis et depositionis à dignitate, honore, » ordine, officio et beneficio incurrat sententias ipso facto; et » illa liberè aliis... conferantur; sit etiam cum suis bonis » mundanis omnibus à toto populo christiano diffidatus. Et » postquam probabilibus constiterit argumentis aliquem » scelus tam execrabile commisisse, nullatenus alia excom- » municationis vel depositionis seu diffidationis adversùs » eum sententia requiratur.» De hoc 2° casu silet C. *Ap. Sed.* Requiritur tamen sententia criminis declaratoria ut privatio officii suum effectum totaliter sortiatur.

6276. — 3° Si sit per *duellum* : « Duellum est duorum » (vel subinde plurium) certamen, quod ex condicto, uno » dicente et altero acceptante, suscipitur.» Ita Busembaum (ap. S. Liguor., lib. 3, n° 399).

Non licet suscipere duellum etiam fictum ad vitandam infamiam; nec etiam ducibus licet permittere duella militibus, etiam cum hostibus ad ostensionem virium (*ibid.*).

6277. Notandæ sunt hîc propositiones à Bened. XIV damnatæ quæ sic habent :

« I. Vir militaris, qui, nisi offerat et acceptet duellum

» tanquam formidolosus, timidus, abjectus et ad officia mi-
» litaria ineptus haberetur, indeque officio, quo se suos-
» que sustentat, privaretur, vel promotionis aliàs sibi
» debitæ ac promeritæ spe perpetuò carere deberet, culpâ
» et pœnâ vacaret, sive offerat sive acceptet duellum.

» II. Excusari possunt, etiam honoris tuendi, vel hu-
» manæ vilipensionis vitandæ gratiâ, duellum acceptantes,
» vel ad illud provocantes, quando certò sciunt pugnam
» non esse secuturam, utpote ab aliis impediendam.

» III. Non incurrit ecclesiasticas pœnas contra duel-
» lantes latas, dux vel officialis militiæ acceptans duellum
» ex gravi metu amissionis famæ, vel officii.

» IV. Licitum est in statu hominis naturali acceptare et
» offerre duellum ad servandas cum honore fortunas,
» quando alio remedio eorum jactura propulsari nequit.

» V. Asserta licentia pro statu naturali, applicari etiam
» potest statui civitatis malè ordinatæ, in quâ nimirum,
» vel negligentiâ vel malitiâ magistratûs, justitia apertè
» denegatur. »

6278. Videtur tamen quòd duellum possit acceptari vel offerri ad hostes debilitandos, vel ad terminandum bellum cum minori damno. Ita Busembaum ap. S. Liguor. (lib. 3, n° 400) qui non videtur reprobare.

6279. Pœnæ autem duello impositæ tres sunt ex Concil. Trident. (sess. 25, c. 19) : 1° excommunicatio ipso facto incurrenda et S. Pontifici reservata, quam etiam incurrunt patrini consulentes modo efficaci, favorem præbentes, domini locum præstantes; ipsimet spectantes si de industriâ spectent et suâ præsentiâ quodammodo duellantes approbent et animent, non verò si tantùm obiter transeundo ibi reperiantur; 2° proscriptio omnium bonorum, cum perpetuâ infamiâ : hæc tamen pœna, inquit S. Liguor., non videtur recepta in nostris partibus (nec etiam in Galliâ); 3° privatio sepulturæ ecclesiasticæ de quâ egimus supra (4719-4720).

6280. « Istæ autem pœnæ incurruntur tantùm ob duel-
lum strictè sumptum, scilicet convento loco, tempore et

» armis [1], non verò ob conflictum improvisum, quamvis » pugnantes, ex eodem impetu rixæ perrexerint ad aliquem » locum idoneum. Ita valde probabiliter Elbel, etc... » Idemque probabiliter... si quis alteri dicat : *tecum pu-* » *gnabo primâ vice, quâ mihi obviaveris :* nam eo casu, » postea etiam habito conflictu, isti non incurrunt pœ- » nas, quia tunc deest designatio loci et temporis. » (S. Liguor., lib. 3, n° 401.)

6281.—4° Si sit *abortus*, Sixtus V in Const. *Effrenatam*, statuit excommunicationem esse incurrendam ipso facto ab omnibus qui procurant abortum; sed post Bullam Gregorii XIV *Sedes Apostolica*, hæc excommunicatio S. Pontifici non est reservata. Vide S. Liguor. (lib. 7, n° 213, et lib. 3, n° 395). Ipsi etiam fiunt irregulares, ut diximus supra (1763). Insuper juxta Bullam *Effrenatam* omnes scienter procurantes abortum aut quocumque modo consentientes, vel præbentes venena sterilitatis, privantur omni privilegio clericali, obligantur ad remedia ecclesiastica, inhabilesque fiunt ad ea in posterum obtinenda (Vide S. Liguor., lib. 3, n° 395). Controvertitur tamen an excommunicationem incurrant ipsæmet mulieres prægnantes quæ abortum sibi procurant : valde probabilis videtur S. Liguorio sententia negans, quia Bulla Sixti V loquitur tantùm de procurantibus abortum. V. C. *Apost. Sed.* 2ª Episc. res.

6282. — 5° Quoad suffocationem puerorum, vide cap. *Consuluisti* 20, causa 2, q. 5, et cap. *De Infantibus* 3, *de his qui fil. occider.*; Ferraris (v° *Pœna*, art. 2, n° 135); et supra dicta (3333).

6° Qui seipsos occidunt culpabiliter privandi sunt sepulturâ ecclesiasticâ, ut supra diximus (4718).

6283. — 7° De jure communi parricidæ olim puniebantur

[1] Sic enim habet Constit. Gregor. XIII : « Omnes qui ex condicto, » statuto tempore et in loco convento, monomachiam commiserint, » etiamsi nulli patrini, sociive ad id vocati fuerint, nullæve provoca- » toriæ litteræ, censuris et pœnis omnibus à Conc. Trid. propositis » teneri, perinde ac si publico et consueto abusu singulare certamen » inivissent. » Has dispositiones confirmârunt Clemens VIII et Bened. XIV.

variis pœnis in cap. *Latorem* 15, causa 33, q. 2, et toto titulo *de his qui filios occiderunt* recensitis; verùm tales pœnæ recesserunt ab aulâ, inquit Ferraris (v° *Pœna*, art. 2, n° 133) : unde in casu parricidii judices ecclesiastici remittere debent laicos judicibus sæcularibus; clericos verò, priùs, juxta præscriptum canonis, deponere debent ac degradare, sicque curiæ sæculari tradere.

6284. — 8° Quâ autem pœnâ et à quo judice puniendi sint clerici et religiosi læsæ majestatis rei, seu potiùs *proditionis*, dissentiunt DD., inquit idem Ferraris (*ib.*, n° 155), qui expositis variis sententiis deinde concludit : « In tantâ » DD. diversitate, concluderem pro tutiori cautelâ, posse, » consulto Pontifice, similes clericos et religiosos degra- » dari et tradi curiæ sæculari puniendos. »

ART. II.

DE MALEDICTO ET FALSO.

6285. — I. *Maledictum* in genere est *mala locutio de alio*. Episcopus non debet ipsemet punire aliquem ob maledictum sibi personaliter illatum, sed puniendus est tunc maledicus alterius judicis arbitrio (Lex *Si quis* 10, c. *de Episcopis et clericis*).

Pœnæ in clericos maledicos latæ sunt sequentes : « Cleri- » cus maledicus (maximè in sacerdotibus) cogatur ad pos- » tulandam veniam; si noluerit, degradetur; nec unquam » ad officium absque satisfactione revocetur » (Can. *Clericus* 5, dist. 46). Vide Reiffenstuel (lib. 5, tit. 26, *de Maledicis*, n^is^ 1-12); Ferraris (v° *Pœna*, art. 2, n^is^ 160-164).

6286. Contra auctores libellorum famosorum legantur can. 2 et 3, causæ 5, q. 1; sic autem habet can. 3, ex Concil. Eliberitano sumptus : « Si qui inventi fuerint famo- » sos libellos in ecclesiâ ponere, anathematizentur. » Can. verò 2 loquitur præsertim de iis qui libellos famosos sub anonymo in vulgus spargunt, qui anathematizantur si nolint se prodere.

6287. — II. *Falsum est veritatis immutatio, aut etiam suppressio dolosè in alterius præjudicium facta.*

Committitur quatuor præsertim modis, scilicet dicto, scripto, facto, usu : 1° *dicto*, si testes falsum dicant, vel verum taceant in judicio : huic crimini participant qui testes subornant, etc. : vide Ferraris (v° *Falsum*, n^is 5-9) ; 2° *scripto*, si nempe scripturæ falsæ exarentur vel in toto vel in parte, v. g., in datâ, subscriptione, etc. (Ferraris, *ib.*, n^is 10-15) ; 3° *facto*, ut si veræ scripturæ aliquo modo corrumpantur, deleantur, occultentur, vel si quis se fingat alium esse ac revera est, vel si merces falsificentur, et præsertim monetæ, quod pluribus modis contingere potest : vide Ferraris (*ib.*, n^is 16-36) ; 4° *usu* vel potiùs *abusu*, et quidem dupliciter : 1° scienter utendo falsitate ab alio confectâ, v. g., falso instrumento ab alio exarato ; 2° scienter producendo falsitatem à se fabricatam. Vide cap. *Licet* 5, *de crimine falsi*, ubi Innoc. III enumerat varios modos quibus litteræ Apostolicæ falsari queunt.

6288. Pœnæ autem falsantium litteras Apostolicas, vel iis utentium, sunt sequentes : 1° excommunicatio ipso facto incurrenda et S. Sedi reservata (cap. *Ad falsarium* 7, *de crimine falsi*, et Bulla *Cœnæ*, § 6) : vide Ferraris (*ib.*, n^is 46-56) ; 2° si falsantes sint clerici, etiam occulti, sunt ipso jure privati officiis et beneficiis ecclesiasticis (cap. *Falsarium* modò citat.). Hæc excomm. Papæ reservatur specjal. erga falsantes, et Episcopo erga utentes (C. *Ap. Sedis*).

6289. Impetrantes tamen litteras Apostolicas per subreptionem non incidunt in supradictas pœnas, sed effectu earum carent : ratio est quia licet tales litteræ sint invalidæ, attamen in ordine ad expeditionem sunt veræ, ideoque qui eas impetrant, non sunt falsarii. (Ferraris, *ib.*, n° 57.)

6290. Qui autem scienter habent litteras Apostolicas falsas, nisi intra 20 dies, illas lacerent aut restituant, excommunicationi subjacent (cap. *Dura* 4, *de crimine falsi*), etiamsi iis non utantur (*ibid.*). De eâ silet C. *Apost. Sedis.*

6291. Nomine litterarum Apostolicarum in ordine ad pœnas supra recensitas, non solùm veniunt Bullæ Datariæ

et Cancellariæ Apostolicæ, sed etiam Secretariæ Brevium : ita Innoc. X, Const. 51 ; non verò litteræ Legatorum, Sacræ Pœnitentiariæ et Sacrarum Congreg., quia non sunt litteræ Papæ : controvertitur tamen de litteris S. Pœnitentiariæ. (Ferraris, *ib.*, nis 63-65.)

6292. Clericus falsans litteras Episcopi vel Capituli, est ab officio et beneficio suspendendus (cap. *Si Episcopus* 7, dist. 50 ; et cap. *Tam litteris*, in § fin., *de test.*, etc.). Vide Ferraris (*ib.*, n° 70).

Regulares verò falsantes sigillum, vel litteras Prælatorum, puniuntur juxta Constitutiones speciales cujuscumque ordinis. (Ferraris, *ib.*, n° 71, etc.)

Clericus autem falsans Principis sigillum ab ordine est deponendus. (Ferraris, *ibid.*, n° 69.)

6293. Pœnæ quoad alias falsitates diversæ sunt pro diversitate falsi commissi (Ferraris, *ib.*, nis 74, etc.) : pro clericis vide caput *Si Episcopus* 7, dist. 50.

Falsificatio monetæ feritur excommunicatione S. Sedi reservatâ, ex Extr. Joann. XXII, *Prodicus* 1, *de crimine falsi*. — Sed hodie non ampliùs videtur enumerari inter reservatas. Vide S. Liguor. (lib. 7, nis 218-222) ; Lequeux (n° 1386, 3a edit.). — De eâ silet C. *Apost. Sedis*.

ART. III.

DE FURTO, USURA, ETC.

6294. — 1. *Furtum est occulta et injusta rei alienæ ablatio, invito rationabiliter domino.* Si apertè vi fiat, est rapina à furto specie distincta (S. Liguor., lib. 3, n° 518). — Ad furtum pertinet retentio rei inventæ quæ domino reddi posset. Ex cap. 6, causa 14, q. 5, ubi S. Augustinus dicit : « Si quid invenisti et non reddidisti, rapuisti. »

6295. Clericus fur *notorius*, aut furti condemnatus est infamis (cap. *Infames* 17, causa 6, q. 1) ; et consequenter etiam irregularis. Insuper fur notorius ab officio et ordine clericali deponi debet (cap. *Presbyter* 12, dist. 81 ; et cap. *Cùm non ab homine* 10, *de Judiciis*) ; et si non resipiscat, excommunicandus est ; et tandem si incorrigibilis evadat,

curiæ sæculari tradi debet (cap. *Cùm non ab homine* citat.). Fur *occultus*, peractâ pœnitentiâ et factâ restitutione, admitti potest ad ordines; nec est infamis (cap. ex *Litteris* 5; et cap. *Fures* 2, *de furtis*).

Regulares autem fures puniendi sunt juxta proprii ordinis statuta. Vide Ferraris (v° *Pœna*, n^is^ 119-121).

6296. — II. Usura est *quodcumque lucrum ex mutuo præcisè vi seu ratione mutui proveniens*. Vide theologos *de mutuo*.

Ultra obligationem restituendi, usurarii notorii seu manifesti sequentibus pœnis subjacent : 1° infames sunt (cap. *Infames* 2, causa 3, q. 7; cap. *Dilectus* 13, *de excess. Prælat.*); 2° si clerici sint, et moniti non desistant, ab officio et beneficio sunt suspendendi et deponendi (cap. *Episcopus* 1, cap. *Quoniam*, et cap. *Si quis* 3, dist. 47, etc.) : a fortiori repellendi sunt à sacris ordinibus suscipiendis, ab officiis et beneficiis obtinendis (cap. *De Petro* 4, dist. 47), utpote infames; 3° si laici sint, excommunicari debent, usquedum satisfecerint (cap. *Præterea* 7, *de usuris*); 4° ad communionem altaris non sunt admittendi, textu expresso, in cap. *Quia in omnibus* 3, *de usuris*; 5° si manifestè in peccato decesserint, carere debent ecclesiasticâ sepulturâ, juxta dicta supra (4722) : in quo tamen casu consuli debet Ordinarius maximè si de usurariis solâ notorietate facti ageretur.

Usurarii manifesti incurrunt insuper plures alias pœnas vel iis plecti possunt, ut videre est ap. Ferraris (v° *Usura*, n^is^ 92-100).

6297. Sunt etiam plura alia delicta contra justitiam : sufficiat hîc aliquid delibare de incendiariis.

Incendiarius propriè loquendo est qui malo studio apponit ignem, vel ad hoc mandatum, auxilium, consilium dat, ut incendantur vel ædes vel segetes vel alia proximi bona.

6298. Jure canonico incendiarii ecclesiarum aliorumque sacrorum locorum, et locorum ipsis contiguorum ad 30 passus, si malitiosè id faciant, ipso jure sunt excommunicati : hæc deducuntur ex cap. *Definivit* 35, causa 17, q. 4;

cap. *Canonica* 107, causa 11, q. 3; cap. *Omnes Ecclesiæ* 5, causa 17, q. 4. Tales incendiarii, antequam per sententiam Ecclesiæ sint publicè et nominatim denuntiati, absolvi possunt ab Episcopo, postea verò à solo Papâ ab hâc excommunicatione sunt absolvendi (cap. *Tua nos*, *de sent. excomm.*). — De hâc excomm. silet C. *Apost. Sedis.*

6299. Incendiarii autem rerum profanarum seu locorum non sacrorum, sicuti et mandantes et qui auxilium, consilium dolo malo eis dederunt, incurrunt excommunicationem ferendæ duntaxat sententiæ, textu expresso in cap. *Si quis* 31, et cap. *Pessimam* 32, causa 23, q. 8.

Quoad privationem sepulturæ, vide cap. *Pessimam* modò citat.; Ferraris (v° *Incendiarii*, n^is^ 6-12); et supra dicta (4721).

PARS TERTIA.

DE PŒNIS ECCLESIASTICIS.

6300. Ex supra dictis (5494-5505) constat Ecclesiam habere, et quidem jure divino, potestatem pœnas etiam temporales infligendi : est enim societas externa et omnium perfectissima : porrò omni societati necessarium est, ipsique jus inest subjectos rebelles societatemque perturbantes coercendi ac justis pœnis plectendi; ergo et hanc potestatem Ecclesiæ dare debuit sapientissimus ipsius Institutor; et revera tàm per Scripturam quàm per totam traditionem discimus tali potestate Ecclesiam fuisse ditatam à Christo. « In promptu habentes ulcisci omnem inobedientiam », inquit Paulus in 2 Epist. ad Corinth., c. 10, v. 6. Vide alia monumenta supra (5494, etc.).

6301. Per pœnas de quibus est agendum in hâc tertiâ parte Manualis, intelligi debent *delictorum coercitiones*, *sive vindictæ ad disciplinæ publicæ emendationem inductæ*. Ita Schmalzgrueber (*Jus univ.*, lib. 5, tit. 37).

Ex hâc definitione sequitur nec irregularitates, saltem ex *defectu*, nec impedimenta matrimonii, nec revocatio-

nem simplicem facultatum aut gratiarum, aut officiorum quæ à jurisdictione voluntariâ pendent, esse pœnas propriè dictas, cùm non sint inductæ ad disciplinæ publicæ emendationem.

6302. Nec etiam confundendæ sunt pœnæ propriè dictæ cum operibus satisfactoriis à confessariis in sacramento pœnitentiæ impositis : istæ enim ad forum internum, illæ autem ad externum pertinent; priores vindictam publicam et culpæ punitionem respiciunt, posteriores verò ideo imponuntur ut Deo exhibeatur debita satisfactio pro offensâ; satisfactoria opera sponte à pœnitentibus suscipi debent et à pœnâ judicis non eximunt, pœnæ verò ipsismet invitis infliguntur.

6303. Correlativæ autem sunt pœna et culpa, istamque semper illa præsupponit : « Sinè (enim) culpâ, nisi subsit » causa, non est aliquis puniendus », ait regula 23 juris, in 6°. Proinde pœna culpæ semper est proportionanda : « Pro mensurâ peccati, erit et plagarum modus », inquit Deuteronomium (cap. 25, v. 2).

6304. Multiplicis generis sunt pœnæ : 1° aliæ sunt *à jure* et à lege feruntur, vocanturque *ordinariæ*; aliæ sunt *ab homine* et per sententiam aut per mandatum transitorium imponuntur : prout, v. g. si Prælatus communitati, vel individuo cuidam aliquid præceperit, comminatâ in inobedientes excommunicatione aut aliâ pœnâ ; hujusmodi pœnæ *arbitrariæ* dicuntur.

6305. — 2° Aliæ sunt *latæ*, aliæ *ferendæ sententiæ;* in priores reus incidit eo ipso quòd delictum admiserit; in posteriores non incidit nisi proferatur à judice sententia condemnatoria.

3° Aliæ sunt *spirituales*, aliæ *temporales*. *Spirituales* sunt : inhabilitas ad officia vel beneficia, eorumdem privatio, depositio, degradatio, infamia, etc. *Temporales* verò sunt : mulcta pecuniaria, incarceratio, exilium, etc.

6306. — 4° Cùm ob duplicem præsertim finem Ecclesia pœnas infligat, nempe ad emendationem rei, aut ad bonum publicum, pœnæ rursum dividuntur in *medicinales* quales sunt præsertim censuræ quæ ideo imprimis ferun-

tur ut rei resipiscant; et in *vindicativas* quæ ipsius delicti punitionem ac repressionem præcipuè respiciunt, et sunt *pœnæ* simpliciter seu *meræ pœnæ* : juxta hanc divisionem, materiam pœnarum partiemur in duo capita, postquam tamen quasdam quæstiones generales expenderimus. Itaque :

6307. Quærit. 1° An reus teneatur in conscientiâ exequi pœnam latæ sententiæ, ante omnem judicis sententiam ?

Resp. Pro solutione hujus dubii revocanda est in memoriam distinctio inter sententiam condemnatoriam et sententiam declaratoriam, de quo egimus supra (5950).

6308. Generatim DD. concedunt, juxta Suarez (*De Legib.*, lib. 5, n^is^ 2, 3, 15, 16), pœnam, quæ non esset nimis ardua, posse à legislatore tali modo reo imponi ut, ante omnem sententiam, ipsemet teneatur illam exequi : an autem sic voluerit legislator pœnas eo modo ordinariè imponere, hîc inquiritur.

6309. Concordant canonistæ quòd si quæstio sit de pœnis positivis, seu de pœnis quæ consistunt in actione positivâ, v. g., aliquid præstandi aut patiendi, reus non teneatur illas exequi ante sententiam declaratoriam, etsi ipso jure sint latæ : unde si quis ob simoniam aut aliud crimen, privetur ipso facto beneficiis jam obtentis, requiritur declaratio judicis, quia nimis ardua et inobservabilis esset illa lex humana vi cujus reus ipsemet deberet pœnam in seipsum exequi ; nec proinde præsumi debet quòd legislator voluerit legem tali modo obligantem imponere (S. Liguor., lib. 1, n° 149) : effectum tamen suum habet hujusmodi pœna ipso jure lata à die perpetrati delicti, juxta dicta supra (5950).

6310. Si verò agatur de pœnis privativis quæ adimpleri possunt quin aliquid fiat : vel tales pœnæ privant jure acquisito et jam possesso, vel inhabilem tantùm reddunt ad jus aliquod acquirendum : si *priùs*, requiritur sententia declaratoria (saltem criminis) ut pœna possit reo applicari, quia cùm lex pœnalis debeat accipi in mitiori sensu hæc verba, *nullâ expectatâ declaratione*, intelliguntur, *nullâ expectatâ declaratione pœnæ :* ex quâ interpretatione

non excluditur sententia declaratoria criminis. Ita contra Schmalzgrueber S. Liguor (lib. 1, nº 148) et Stremler (*Des peines ecclés.*, p. 29).

6311. Si *posteriùs*, seu si pœnæ privativæ inhabilem aliquem reddunt ad acquirendum jus nondum possessum, tales pœnæ obligant etiam ante sententiam declaratoriam criminis, modò tamen reus possit eas subire sinè infamiâ, et modò alicubi non aliter habeat consuetudo particularis (S. Liguor., lib. 1, 148). Unde si quis commiserit crimen ob quod inhabilis ipso facto redditus est ad beneficia acquirenda, non solùm peccat beneficia acquirendo, sed ita nulliter ad illud est promotus, ut ante omnem sententiam etiam criminis declaratoriam, teneatur illud dimittere, cum omnibus suis fructibus, etiam consumptis, nisi bonâ fide consumpti fuissent, quin divitior effectus fuerit; attamen etiam in hoc casu, ut pœna suum effectum producat quoad extraneos, requiritur sententia criminis declaratoria. Vide Stremler (*Des peines ecclés.*, p. 28); S. Liguor. (lib. 1, nº 148), et supra dicta (478, 479).

6312. *Nota* quòd in casu pœnæ *ferendæ sententiæ* reus non teneatur pœnâ hujusmodi ante sententiam condemnatoriam, licet agatur de pœnis privativis, de inhabilitatibus aut censuris : ratio est quia talis pœna nondum est inflicta.

6313. Quærit. 2° An ignorantia excuset à pœnâ ?

Resp. Ignorantiam contingere posse vel circa legem, vel circa pœnas à lege impositas ; iterum ignorantiam esse vel vincibilem, vel invincibilem.

1° Solius pœnæ ignorantia, etsi invincibilis, ab hâc pœnâ non eximit, nisi ipsamet lex notitiam pœnæ requirat ut possit incurri, vel nisi hæc pœna sit gravissima excedens meritum criminis, ut ait S. Liguor. (lib. 1, nº 169), vel pœna ejus sit naturæ quòd non possit incurri sinè ejus notitiâ, prout sunt censuræ, et fortè irregularitates ex delicto (juxta eumdem S. Liguor., lib. 7, nº 351) : nam ibi potest esse pœna ubi adest delictum; porrò, etiam casu quo ignoraretur pœna, delictum occurrere potest, cùm etiam tunc lex potest scienter violari; ergo, etc.

6314.—2° Casu quo ignoratur lex : vel hæc lex est posi-

tiva duntaxat, et tunc si ignorantia sit invincibilis, cùm excuset tunc omnino à peccato, excusare etiam debet à pœnâ : si verò sit tantùm vincibilis, nec à peccato, nec proinde à pœnâ excusat.

Si lex ignorata sit non solùm positiva sed etiam juris naturalis, an ignorantia solius juris positivi excuset tunc à pœnâ non omnino liquet : negat quidem Stremler (*Des peines ecclés.*, p. 30) Suarezium citans ; sed quæstio dicitur controversa à S. Liguor. qui sententiam affirmantem probabiliorem reputat (lib. 6, n° 1072), quia, sicut ignorantia in casu supposito excusat à violatione legis positivæ, ita excusare debet à pœnâ propter illam violationem statutâ : hæc tamen ratio non videtur probare pro casu quo pœna statuta fuisset pro violatione etiam legis naturalis, prout, sæpè saltem, videtur accidere. Cæterùm in foro externo ignorantia legis non præsumitur, sed est probanda, nisi ageretur de personis omnino illiteratis (Stremler, *ib.*, p. 31).

6315. *Nota* quòd, si pœna sit indicta præsumentibus, sive temerè, consultò aut scienter peccantibus, tunc excusat ignorantia etiam crassa, non tamen affectata, quæ adest cùm quis studiosè negligit scire legem, ut liberiùs agat, quia talis ignorantia scientiæ æquiparatur. (S. Liguor., lib. 1, n° 169.)

6316. Quærit. 3° Quinam possint pœnas decernere ?

Resp. Vel agi de pœnis à lege, statuto aut mandato constitutis, vel de pœnis ab homine per sententiam inferendis : *in primo casu*, soli pœnas decernere valent qui legem, statutum aut mandatum condere vel facere possunt : quales sunt, non solùm S. Pontifex, sed etiam Episcopi et plures alii Prælati jurisdictionem quasi Episcopalem habentes ; de Vicariis Generalibus et Capitularibus, vide (1162, 1260). De potestate verò ferendi censuras dicemus infra (6374-6381). *In secundo casu*, soli qui legitimè judices constituti fuêre cum potestate ordinariâ vel delegatâ, possunt illas pœnas per sententias ferre. Vide etiam dicta supra (5347). Potestas autem ferendi pœnas ad forum externum pertinet (278-279).

6317. Quærit. 4° Quinam possint pœnis plecti?

Resp. Omnes subditos, qui delicto sunt juridicè convicti, pœnis plecti posse : excipe casus in quibus pœnas extrajudicialiter infligi à canonibus permissum fuit, prout supradiximus (6010, etc.). Vide etiam quoad superiorem denuntiatum vel alium inquisitum (5848, 5868); adde insuper quòd contumacia sit requisita quando agitur de censuris infligendis, ut dicemus infra (6361). Quibus autem modis aliquis possit esse subditus quoad judicium et proinde quoad pœnas in iis infligendas, vide dicta supra (5678-5697).

6318. Circa modò dictam responsionem potest tamen esse difficultas, quoad absentes et quoad impuberes : 1° Cùm juxta communissimam sententiam, absentes non teneantur legibus suæ patriæ, nec item astringantur legibus juris communis, si inveniantur in loco ubi lex illa est legitimè abrogata (S. Lig., lib. 1, n° 156 in ultimâ periodo), sequitur quòd nec etiam propter hujusmodi legum violationem puniri possunt pœnis contra infractores latis. Sunt tamen quidam casus excipiendi, sed de iis dicemus infra, loquendo de censuris (6387, 6390, etc.). V. S. Lig. (lib. 7, n^is 20, 22, 23), et Bened. XIV (*De Syn.*, lib. 13, cap. 4, n^is 9 et 10).

6319. — 2° Quoad impuberes patet ipsos non posse pœnis plecti quando nondum usum rationis habent, cùm nondum sint delicti capaces. Si verò sint usu rationis præditi, subjiciuntur pœnis jure communi *ipso facto* incurrendis, ut deducitur ex cap. *Pueris* 60, *de sent. excomm.*, ubi dicitur : « Pueris qui in canonem inciderunt sententiæ » promulgatæ, sive ante sive post pubertatem postu- » lent se absolvi, potest diœcesanus Episcopus absolutio- » nis beneficium impertiri : cùm propter defectum ætatis, » in quâ fuit commissus excessus, rigor sit mansuetudine » temperandus. » Censuræ tamen generaliter latæ à jure aut ab homine, non incurruntur ab impuberibus, nisi hoc expressum sit *in lege*, prout est expressum quoad percussionem clericorum et ingressum in monasteria mulierum. (S. Liguor., lib. 7, n° 14.)

6320. Circa autem pœnas *ferendæ sententiæ*, dicit auctor *Prælect. S. Sulpitii* (n° 714) quòd, ex usu communi, impuberes iis non subjiciantur, eò quòd non conveniat ætati

impuberum ut se sistant coram judice defensionis causâ, sed hæc ratio non omnino convincit, cùm impuberes possint se sistere cum assistentiâ tutoris aut curatoris, ut supra diximus (5598-5600); unde Suarez, prout idem Auctor refert (*ib.*), ait : « Non invenio jus quo reddatur nulla sen» tentia censuræ latæ contra impuberem, et ideo si alio» quin intercedat vera contumacia, et reliqua necessaria » ad valorem censuræ, ex hâc parte non censeo esse nul» lam. » Et hæc sententia est saltem probabilis, ut videre est apud S. Liguor. (lib. 7, nº 14) : non decet tamen ut impuberes tam rigorosè plectantur per sententiam judicis, ac solent plecti adulti; unde, in cap. *Referente* 2, *de delictis puerorum*, dicitur : « In pueris relinqui solet inultum » quod, in aliis provectioris ætatis, humanæ leges dicunt » severiùs esse puniendum. »

6321. Quærit. 5° Quale esse debeat delictum ut judex possit reo pœnas irrogare ?

Resp. Ad delictum pœnis plectendum quinque conditiones generatim requiruntur, videlicet ut sit 1° externum, 2° proprium, 3° grave, 4° consummatum, 5° debitè probatum.

1° Debet esse *externum* : nam Ecclesia non judicat de internis nisi in foro pœnitentiali : « Cogitationis pœnam » nemo patitur », inquit cap. *Cogitationis* 14, *de pœnitent.*, dist. 1. Omissio tamen *actûs externi* à lege præscripti habetur ut opus *externum* et pœnis subjacet : vide cap. *Quanta* 47, *de sentent. excomm.*; imò etsi delictum exterius prodeat, si non appareat sub specie mali à lege pœnis plectendi, hujusmodi pœnis puniri nequit : unde si quis, v. g., carnes die prohibito comederet, eò quòd credat Ecclesiam non habere potestatem illud prohibendi, non incurreret pœnas contra hæreticos statutas, quia hæresis non esset apparenter *externa*.

6322. Posset tamen Ecclesia actum externum, aliunde in se malum, pœnis plectere sub conditione solius malitiæ quæ ab interno procederet : v. g. posset ferri excommunicatio vel alia pœna in eos tantùm qui *scienter* aut *temerè* aut ex *præsumptione* aliquid egerint : ratio est quia, cùm actus

sit aliunde malus, ac meritò possit pœnis plecti, nulla injustitia est quòd non puniatur nisi vestitus sit certis conditionibus nempe quòd sit peractus *scienter, temerè*, etc.: potest enim delictum non semper puniri, sed nunquam est puniendum nisi adsit, et quidem etiam *exterius*.

6323.—2° *Proprium*, saltem aliquo modo : nam : « non » debet aliquis alterius odio prægravari. » *Reg. juris* 22 in 6°.

Diximus saltem *aliquo modo :* nam, propter crimen à majore parte communitatis, vel à capite ipsius commissum, tota communitas potest subjici interdicto, vel suis privilegiis spoliari; et sic etiam innocentes puniuntur, et quidem non immeritò, quippe delictum communitatis omnibus membris proprium esse censetur. Attamen Bonifacius VIII sapienter statuit (cap. *Romana* 5, *de sentent. excomm.*, in 6°) ut hoc locum non habeat in casu excommunicationis : « In Universitatem vel collegium proferri » excommunicationis sententiam penitus prohibemus, cùm » nonnunquam contingat innoxios hujusmodi sententiâ » irretiri. »

6324. Imò aliquando, etiam propter alterius delictum, certi actus pœnâ nullitatis in detrimentum innocentis plectuntur, prout evenit in casu promotionis ad beneficium per alterius simoniam : sed meritò hujusmodi promotio fit irrita, non quidem in punitionem promoti, cùm sit innocens, et ipsius respectu talis irritatio non est pœna propriè dicta, cùm non sit statuta ad eum puniendum, sed in odium horrendi criminis simoniæ, quod alioquin non satis efficaciter comprimeretur : non debent tamen hujusmodi pœnæ infligi nisi ex justis causis : unde dicitur in regulâ 23, in 6° : « sinè culpâ, nisi *subsit causa*, non est aliquis pu- » niendus. »

6325.—3° *Grave :* certum hoc videtur quoad pœnas quæ in judiciis imponuntur, cùm ridiculum esset ad judicium recurrere propter leves culpas; si verò agatur de pœnis quæ extra judicia infligi valent, non requiritur ut ferantur semper propter gravia crimina, sed duntaxat ut sint culpis proportionatæ : unde quædam leves suspensiones infligi

possunt propter culpas veniales. Item excommunicatio minor incurri potest per communicationem quæ non sit mortaliter mala. (S. Liguor., lib. 7, nis 30-32, 153.)

6326.—4º *Consummatum* : nempe requiritur ad pœnam incurrendam ut perficiatur id præcisè delictum quod lex intendit plectere tali pœnâ : unde sola attentatio delicti, vel cooperatio ad illud per consilium, mandatum, puniri nequit pœnâ latâ contra hujusmodi delictum ; unde qui vult occidere, vel verberat ad occidendum, non incurrit pœnas contra homicidium latas, si reverà non occiderit, quia odia sunt restringenda ; secus esset, si lex ipsammet attentationem pœnâ multari intendisset ; idem est dicendum de mandantibus, consulentibus, aut alio modo cooperantibus, si in lege cooperantes comprehenderentur.

6327.—5º *Debitè probatum*[1] : hæc conditio requiritur duntaxat pro pœnis quæ nonnisi post sententiam prolatam executioni possunt mandari, non verò pro pœnis ipso jure latis, quæ per ipsammet legem executionem obtinent, ut censuræ ipso facto latæ. Cæterùm circa præsentem quæstionem, vide dicta supra (5566-5571, 5698, etc.), et insuper (5712), ubi dicitur delicta religiosorum quæ probabiliter tantùm sunt probata, posse aliquando plecti quibusdam leviоribus pœnis arbitrio judicis, non tamen pœnis ordinariis.

6328. *Nota*, quoad applicationem pœnarum, quòd judex attendere debeat dispositiones sequentium juris canonici capitulorum : « Procedas secundùm canonicas et legitimas » sanctiones..... poterit etiam interdum aliquid severitati » detrahi, prout, statu imperii et excedentium multitudine » pensatis, videris expedire, exceptis nimirum casibus, » qui compositionis aut dispensationis remedium non » admittunt, utpote conjugii sacramentum, circa quod à » severitate canonicâ recedere non licebit. In his verò » super quibus jus non invenitur expressum, procedas, » æquitate servatâ, *semper in humaniorem partem decli-* » *nando*, secundùm quòd personas et causas, loca et tem-

[1] « Satius impunitum relinquere facinus nocentis, quàm innocentem damnare. » Lex Justiniana.

» pora videris postulare. » (Cap. *Ex parte tuâ* 11, *de Transactione.*)

« In excessibus singulorum, non solùm quantitas et » qualitas delicti, sed ætas, scientia, sexus atque condi- » tio delinquentis sunt attendenda; et non solùm secun- » dùm prædicta, sed secundùm locum et tempus quo » delictum committitur, unicuique debet pœnitentia » indici, cùm idem excessus magis sit in uno quàm in » alio puniendus. » (Cap. *Sicut dignum* 6, *de homicidio.*)

6329. Quærit. 6° An et qualiter pœna possit remitti?

Resp. Vel pœna est jam inflicta, vel solùm est infligenda : si *priùs*, iterum est distinguendum : aut enim agitur de pœnâ *medicinali*, prout sunt censuræ, et non solùm tunc à Superiori competenti pœna remitti potest, sed etiam est remittenda si contumacia cessaverit : cùm enim pœnæ medicinales ad hoc fuerint institutæ ut delinquentem ad pœnitentiam reducerent, hæ remitti debent postquam suum effectum produxerunt; sed in pluribus casibus absolutio hujusmodi censurarum S. Pontifici est reservata, ut jam diximus supra de confessariis; — aut agitur de pœnis *vindicativis*, in quo casu sæpe quidem licitum est Ordinario pœnitentem reintegrare, sed hoc non semper expedit; imò Episcopus nequit semper sic reum reintegrare : id enim non posset casu, v. g., quo reus ex sententiâ, pœnam irregularitatis ex defectu, aut irregularitatis notoriæ ex delicto incurrisset.

Patet quòd, in utroque casu mox exposito, pœna per sententiam Superioris imposita non posset remitti à judice inferiori nisi cum Superioris assensu. Idem patet quoad judicem extraneum, etsi non sit inferior illius qui pœnam decrevit.

6330. Si *posteriùs*, seu si pœna nondum sit inflicta, sed sit solùm erga reum juridicè convictum infligenda, diximus supra (5950) quòd sententia deberet esse vel *absolutoria*, casu nempe quo crimen non fuisset probatum; vel *condemnatoria*, siècontra probatum fuisset. Unde Superior non debet pœnam remittere ante sententiam : sunt tamen casus in quibus fieri potest compositio, prout supra

diximus (5889, etc.). Item judex non tenetur semper procedere contra delinquentem, ut colligi potest ex dictis circa varias normas procedendi criminaliter (5799-5875), et severitati canonum aliquid potest detrahi in certis casibus, ex canonibus relatis in fine quæstionis præcedentis (6328).

6331. Notanda est præsertim sententia S. Innocentii I (canon *Quoties* 14, causa 1, q. 7) : « Quoties à populis aut » à turbâ peccatur, quia in omnes propter multitudinem » non potest vindicari, multùm solet transiri. » Et hoc erga Donatistas servavit Ecclesia, inquit S. August. in *Epistolâ ad Bonifacium*, « ut etiam ipsorum infirmitas leviùs » excepta, intus sanabilis foret. »

6332. Exigi debet tamen congrua satisfactio : « Quæ est » ista justitiæ inimica benignitas, inquit S. Hormisdas (can. » *Si quis* 29, dist. 50), palpare criminosos et vulnera eorum » usque in diem judicii incurata servare? Quòd si eos » durissimam pœnitentiam per plures annos videremus » agere, tunc Nos et saluti eorum possemus consulere, et » statuta canonum deberemus temperare ; cùm verò in ali- » quibus, nec compunctio humilitatis nec instantia orandi » vel plangendi appareat.., verè dico quia illi ipsi quibus- » cum.., falsâ misericordiâ, indulgere videmur, cùm ante » tribunal Christi advenerint, contra nos... causam dicturi » sunt. »

His de pœnis in genere enucleatis veniamus ad discussionem variarum pœnarum ecclesiasticarum in particulari.

CAPUT I.

DE VARIIS PŒNIS ECCLESIASTICIS VINDICATIVIS.

6333. Illæ pœnæ sunt aut spirituales aut temporales. *Spirituales* sunt : inhabilitas ad officia vel beneficia, eorumdem privatio, depositio, degradatio, infamia, etc.— *Temporales* verò, mulcta pecuniaria, incarceratio, exilium, etc.

ART. I.

DE PŒNIS VINDICATIVIS SPIRITUALIBUS.

6334. — I. *De inhabilitate ad officia vel beneficia ecclesiastica :* hæc pœna quæ solet esse effectus aliarum pœnarum ecclesiasticarum, videlicet depositionis, irregularitatis, etc., solos clericos, si casum irregularitatis excipias, afficere potest, cùm soli clerici sint regulariter beneficiorum ac officiorum ecclesiasticorum capaces, ut diximus supra (466, 474). Item sola beneficia aut officia acquirenda, non verò jam acquisita concernit ; unde qui inhabilitatem præfatam incurrit, non ideo amittit officia vel beneficia quæ ab ipso legitimè jam possidentur, sed solùm inhabilis fit ad ea acquirenda quæ nondum habet, et eò usque inhabilis ad hoc, ut, si non obstante suâ inhabilitate ad ea promoveatur ac in possessionem eorum immittatur, teneatur in conscientiâ, ante omnem sententiam, ea dimittere cum fructibus perceptis, etiam consumptis, prout diximus supra in responsione ad Quærit. 1° (6311). V. Stremler (*Des Peines eccl.*, p. 31, etc.).

6335. — II. *De privatione beneficiorum, dignitatum et officiorum.* De hujusmodi pœnâ multa diximus in primo libro (539-559). Hæc autem non cadit nisi in officia, beneficia aut dignitates jam acquisita, nec includit inhabilitatem ad eadem in futurum acquirenda (539) ; imò non necessariò afficit omnia beneficia, officia, etc., jam acquisita : unde clericus potest privari uno ex suis officiis aut beneficiis, quin aliis omnibus spolietur.

Qui autem hanc pœnam incurrit, etiamsi id contigerit per crimen cui ipso facto est annexa, non tenetur tamen eam exequi ante sententiam saltem declaratoriam criminis, ut supra diximus (6310) ; sed, inquit Stremler (*Des peines ecclés.*, p. 32), ita amittuntur titulus et proprietas beneficiorum, officiorum, etc., per dictum crimen, ut, eo instanti quo committitur, statim ipsa vacent ; et ante omnem sententiam, valeant acquiri ab aliis ; et quamvis possint à reo detineri usque ad sententiam criminis declaratoriam, tamen non possunt ab ipso legitimè permutari aut resignari ; et si reus è vivis cedat ante dictam sententiam, ipsius benefi-

cium ut vacans ex delicto reputatur, non verò ex mortis causâ.

6336. Secus est dicendum si pœna privationis sit ferendæ sententiæ; non vacat beneficium nisi per sententiam, prout diximus supra (537).

Quænam autem sint delicta quibus pœna privationis officiorum aut beneficiorum, etc., sit annexa ipso facto, vel pro quibus sententia privationis sit solùm ferenda, diximus *ibidem* (538, etc.).

« Du reste, inquit Stremler (*ibid.*, p. 33), la privation » du bénéfice laisse toujours au clerc le droit aux aliments. » Le juge ecclésiastique doit, en conscience, pourvoir à » la subsistance du condamné; et, s'il se refuse à ce devoir » de justice, il peut y être contraint par son Supérieur. » Vide quid sancitum sit à lege civili in Galliâ, quoad hunc casum (1060).

6337. — III. *De depositione.* Hâc voce, in sensu latiori, non solùm depositio propriè dicta, sed etiam degradatio designatur, et in hoc sensu, hæc vox identidem usurpatur in canonibus præsertim veteribus. Strictè autem intellecta depositio est *pœna clericum privans in perpetuum jure exercendi functiones sui ordinis aut beneficii*; clericos ergo solummodo afficit hæc pœna; eique, si sit totalis, annectitur infamia; et cùm in perpetuum privet exercitio ordinis et officii, necessariò privat etiam beneficiis acquisitis, quæ non dantur nisi propter officium.

6338. Differt 1° à privatione quæ solùm in jam acquisita officia aut beneficia, etc., cadit, ut modò dicebamus (6335).

Differt 2° à suspensione in eo quòd suspensio soleat esse pœna medicinalis, ac proinde temporaria ex se, dum depositio ex naturâ suâ est semper vindicativa et perpetua: item suspensio non privat titulo aut possessione officii aut beneficii; secus de depositione, quæ tamen non privat ordine, cùm iste sit indelebilis, sed duntaxat ejus functionibus.

6339. Differt 3° à degradatione verbali, in eo solùm quòd post depositionem, non potest procedi ad degradationem realem seu solemnem, dum id fieri potest post degradationem verbalem.

6340. Depositio alia est *totalis* quâ reus privatur omni ordine, beneficio, officio et dignitate; alia verò *partialis*, quæ uno vel aliquibus ex iis tantùm exspoliat.

Etsi frequenter mentio fiat ejusmodi pœnæ in veteribus canonibus, hodiè rarò infligitur.

6341. Potest Episcopus, licet ad id non teneatur, reintegrare clericos depositos, modò signa non dubia sinceræ pœnitentiæ ostenderint, et insuper modò crimen non fuerit *atrox*, nempe non sit supra *adulterium*[1]. Idem potest Capitulum aut ipsius Vicarius, Sede vacante; privilegiis autem statui clericali annexis non orbat depositio. (*De Synodo*, lib. 9, c. 6, n° 3; S. Liguor., lib. 7, n° 327.)

6342. Non incurritur depositio, nisi propter crimina enormia tum ex se tum ob scandalum quod gignunt, velut homicidium voluntarium cum machinatione, adulterium, stuprum, fornicatio notoria, vita scandalosa clerici incorrigibilem se ostendentis. Prudenti verò judicis existimationi determinandum relinquitur an dicta crimina eam gravitatem habeant quæ pœnâ depositionis sit plectenda. Vide Stremler (*Des Peines ecclés.*, p. 34-36).

6343. — IV. *De degradatione. Degradatio est pœna ecclesiastica quâ clericus ordine et munere clericali, consequenter etiam omni beneficio et officio necnon privilegio fori et canonis, per sententiam solemniter et authenticè privatur et traditur curiæ sæculari.* Ita Reiffenstuel (lib. 5, tit. 37, § 2, n° 32). Sibi annexam habet pœnam infamiæ.

6344. Duplicis generis est *degradatio : verbalis* nempe, quæ in sententiâ consistit, et ideo etiam *sententialis* vocatur; et *realis* seu *solemnis* quæ etiam nuncupatur *actualis*. Hæc est quasi executio degradationis verbalis.

6345. Privilegiis statûs clericalis ipso facto non privat verbalis degradatio : secus est dicendum *de reali;* prior ferri potest à judice non Episcopo, posterior ècontra carac-

[1] « De adulteriis verò et aliis criminibus quæ sunt minora, potest » Episcopus cum clericis post peractam pœnitentiam dispensare. » Ita Alexand. III, in cap. *At si clerici*, 4, *de judiciis*. Si tamen crimen esset publicum, irregularitas adesset ex defectu famæ, super quâ solus Pontifex potest dispensare.

terem episcopalem exigit in ministro degradante : cùm enim per realem degradationem, clericus ad statum laicalem saltem quoad conditionem redigatur, Ecclesia voluit ut ad hunc statum solus ille posset reducere qui solus ab eodem educens potuit ad clericalem statum sublimare. Degradatum verbaliter Episcopus reintegrare valet, dum ad Sedem Apostolicam reservatur reintegratio clerici realiter degradati (Pontificale Roman., *De formâ degradat.*). Cæterùm degradatio ordinem duntaxat directè afficit : siquidem quando quis est privandus suis beneficiis aut Dignitatibus, pœna depositionis est adhibenda, non degradationis, juxta Pontificale in quo dicitur : « Qui à Dignitatibus » et honoribus deponitur, sed ab ordinibus degradatur. » Degradatus tenetur ad votum castitatis, si fuit in sacris ; et invalidè contraheret matrimonium : validè ècontra absolveret in casu necessitatis.

6346. Etsi à multis degradatio verbalis confundatur cum *depositione*, ab illâ tamen, in quibusdam differt : non enim depositio indiget aliquo alio complemento, sed est in se pœna completa, dum verbalis degradatio realem postulat degradationem, nec nisi per eam completur : proinde non est adhibenda nisi quando procedi potest ad hanc realem degradationem, aliàs sola pœna depositionis est imponenda.

« Entre la déposition simple et la dégradation réelle, » inquit Stremler (*Des Peines ecclés.*, p. 38), il doit inter- » venir de nouvelles sentences, constatant la récidive, la » contumace et l'incorrigibilité, et enfin une sentence de » dégradation verbale.—Dans tous les cas où le droit parle » de la dégradation, sans faire mention de son exécution » réelle et solennelle, il faut toujours l'entendre de la dé- » position. »—« Clemens III, inquit Benedict. XIV, sive... » Cœlestinus III in cap. *Cùm non ab homine* 10, *de judi-* » *ciis*.., clericum homicidii, furti, perjurii, seu alterius » gravis criminis legitimè convictum, primò jubet deponi, » deinde excommunicari ; et crescente contumaciâ, ana- » thematis, hoc est solemnioris excommunicationis cum » execratione, mucrone feriri : ac demum, si in profun- » dum malorum venerit, degradari seu curiæ sæculari

» puniendum tradi. » (*De Synodo*, lib. 9, cap. 6, nº 3.) Videatur etiam rubrica quæ præponitur formæ degradationis in Pontificali.

6347. Realis degradatio est pœna ab Ecclesiâ ultimò in clericos infligenda ; eâque illatâ, reus eò ipsò sæculari brachio traditur. Sed huic pœnæ locus esse non debet, nisi priùs exhaustis omnibus aliis mediis repressionis, vel nisi adsit perversitas modum excedens, et manifestè incorrigibilis (*De Syn.*, *ib.*, nis 10 et 11). Item à judice imponi nequit nisi in casibus à jure communi expressis : ad illam enim legitimandam non sufficiunt statuta synodalia, nisi accederet Sedis Apostolicæ consensus (*De Synodo*, *ib.*, nº 11). Vide supra (5356).

6348. Crimina propter quæ licet realiter degradare sunt sequentia : 1° *hæresis* et multò magis apostasia à fide, saltem cùm quis in illam relapsus aut in eâ pertinax est (cap. *Ad abolendum*, cap. *Excommunicamus*, *de hæreticis ;* cap. *Quoniam* et cap. *Super eo*, *de hæreticis*, in 6°) ; 2° *falsificatio* Litterarum Apostolicarum (cap. *Ad falsarium* 7, *de crimine falsi*) ; 3° contumelia gravis, vel calumnia proprio Episcopo illata, seu structæ insidiæ et in ejus necem conspiratio (canon. *Si quis* 11, q. 1) : sed plures contendunt requiri in casu incorrigibilitatem ; 4° assassinium (cap. *Si de homicidio*, in 6°) ; 5° nefandum crimen frequentatum (Const. S. Pii V *Horrendum*) ; 6° sollicitatio ad turpia in confessione sacramentali, cum circumstantiis aggravantibus (Const. Gregor. XV) ; 7° celebratio missæ aut exceptio confessionis sacramentalis temerè præsumpta ab eo qui non est presbyter (Const. Clement. VIII, Urbani VIII et Bened. XIV) ; 8° furtum Sanctissimæ Eucharistiæ (Innocent. XI, Alex. VIII, Bened. XIV) ; 9° crimen abortûs animati, effectu secuto (Const. Sixti V *Effrenatam*, et Gregor. XIV *Sedes Apost.*) ; 10° incorrigibilitas manifesta in alio crimine (cap. *Cùm non ab homine* 10, *de Judiciis*). Vide Bened. XIV (*De Synodo*, lib. 9, c. 6, nis 7-11) ubi alia quædam adduntur.

Falsò quidam volunt ad degradationem verbalem posse procedi quoties crimen ultimo supplicio juxta leges civiles

est plectendum: Ecclesia enim non per civiles, sed per canonicas leges regitur, præsertim in iis quæ ad clericos attinent.

6349. Olim sententia degradationis, etiam verbalis, ferri nequibat, nisi à 12 Episcopis contra Episcopum, à sex Episcopis contra Presbyterum, à tribus verò contra Diaconum (*De Syn.*, lib. 9, c. 6, n° 4); sed hodie verbalis degradationis sententiam Episcopus solus, per se aut per Vicarium ad id specialiter deputatum, pronuntiare valet, etiam contra presbyteros (S. Liguor., lib. 7, n° 326). Idem potest Capitulum aut ipsius Vicarius, Sede vacante (cap. *His quæ*, et cap. *Cùm olim*, *de major. et obed.*, Conc. Trid. ses. 13, cap. 4, *de ref.*).

6350. Quoad verò realem degradationem, ad illam quidem hodie absque aliis Præsulibus procedere valet Episcopus caracterem illius ordinis habens, sed tamen per seipsum; et insuper : « Adhibitis... sibi assistentibus totidem » Abbatibus usum mitræ et baculi ex privilegio apostolico » habentibus, si in civitate aut diœcesi reperiri et commodè » interesse possent (nempe quot olim requirebantur Antistites) alioquin aliis personis in ecclesiasticâ Dignitate » constitutis, quæ ætate graves ac juris scientiâ commendabiles existant. » Ita Trident. (sess. 13, cap. 4, *de ref.*).

6351. Dicti Abbates seu aliæ personæ in Dignitate constitutæ non debent adhiberi ut meri consiliarii sed ut veri judices assessores quibus competit judicium decisivum; sunt enim suffecti in locum Episcoporum, qui olim ut veri judices erant adhibendi : imò ex cap. 3, *De sentent. et re judic.*, in quo dicitur : « Non potest quemquam à sacerdotali gradu, nisi justis ex causis concors sacerdotum » sententia, submovere » : ex hoc, inquimus, capitulo, plures graves canonistæ deducunt requiri unanimitatem suffragiorum (*De Syn.*, *ib.*, n° 4), et hoc ut certum habet Stremler (*ib.*, p. 40) si de sacerdotis degradatione agatur, et ut probabilius tantùm, si sit quæstio de diaconi aut subdiaconi exauctoratione.

6352. Cæremoniæ verò in hujusmodi degradatione observandæ, habentur in Pontificali. *Nota* autem quòd in

nullis locis eæ non sint in usu quoad clericos minoribus ordinibus tantùm insignitos (*De Syn., ib.*, n° 5); sed ubique Episcopus potest solus hujusmodi clericos degradare (cap. *Degradatio* 2, *de pœnis*, in 6°).

Tradendo degradatum judici sæculari, « Pontifex de» gradator efficaciter et ex corde, omni instantiâ pro mi» serrimo illo derelicto intercedit apud... (ipsum), ut citra » mortis periculum, vel mutilationis, contra degradatum » sententia moderetur. »

6353. *Nota* hic quid dixerit Gohard (*Tr. des bénéfices*, tom. 4, p. 683) circa præfatam degradationis pœnam : « Il » y a plus d'un siècle que l'usage de la dégradation est » aboli dans tout le royaume : les fréquentes contestations » que les dégradations occasionnaient entre les Évêques et » les Parlements ont accoutumé ces derniers à faire exé» cuter leurs arrêts sans s'y arrêter. Les Évêques, no» nobstant l'arrêt de condamnation, se prétendaient en » droit de connaître *sommairement* si le crime était du » nombre de ceux que les canons punissent de la dégra» dation, sans quoi ils n'étaient plus, disaient-ils, que » les ministres de la justice séculière. Les Parlements, au » contraire, soutenaient que les Évêques, en cette occa» sion, devaient en user comme on en use avec eux, » lorsqu'ils implorent le bras séculier pour l'exécution de » leurs décrets, auxquels on accorde secours sans exa» miner la justice de leur procédure. » Habes in hoc unum monumentum consectariorum deflendorum doctrinæ libertatum gallicanarum.

6354. V. *De infamiâ.* Hæc pœna est *status læsæ dignitatis ob crimen quo quis reus publicè habetur.* Non est duntaxat simplex bonæ famæ carentia, sed est insuper status in quo quis existimatur positivè malus. De infamiâ sat disseruimus supra (1908-1923), et passim de judiciis (5856, etc.). Vide Stremler (*Des Peines ecclés.*, p. 41, etc.).

VI. *De irregularitate* specialiter et fusiùs diximus supra (1743, etc.).

ART. II.

DE PŒNIS VINDICATIVIS TEMPORALIBUS.

6355. Probavimus supra (5501, etc.) Ecclesiam habere potestatem hujusmodi pœnas imponendi. Præcipuæ ex iis quæ adhuc vigere possunt sunt mulcta pecuniaria, incarceratio et exilium.

I. *Mulcta pecuniaria* est summa pecuniaria à judice reo imposita, in vindictam alicujus delicti.

Non potest Episcopus mulctas pecuniarias vel aliquam ipsarum partem sibi aliquo modo appropriare, etiam ad stipendia sive Vicario suo sive Cancellario sive aliis ministris suis solvenda, sed debet eas in usus pios integrè adhibere, juxta præscripta Concil. Trident. (sess. 25, c. 3). Ita pluries decisum refert Barbosa à D. Stremler (*Des Peines ecclés.*, p. 60) citatus. Quinimò hujusmodi pecuniæ, nec fabricæ Cathedralis, nec sartis tectis ædium vel carcerum episcopalium, nec salario cantorum Ecclesiæ Cathedralis aut depositarii hujusmodi mulctarum, sunt applicandæ. Sic pariter decisum refert idem Barbosa (*ib.*, p. 61).

Non est autem infligenda mulcta pecuniaria, nisi in casibus quibus à malo efficaciùs removere valet quàm cæteræ pœnæ. Vult tamen Trident., loco citato, ut judices ad censuras præsertim excommunicationem non veniant nisi priùs adhibitis pœnis temporalibus si hæ sufficiant. Sacra autem Congr. Concil. improbat quòd pro delictis parùm gravibus censuræ imponantur, sed ipsarum loco suadet ut mulcta pecuniaria contra reos decernatur. Ita Stremler (*Des Peines ecclés.*, p. 61) post Fagnanum. De mulctâ pecuniariâ consule cap. *Statuimus* 35, causa 16, q. 1; cap. *Dilectus* 8, *de Offic.*; cap. *Postulasti* 14, *de Judæis*.

6356. — II. *Incarceratio.* Alia est *præventiva* quæ non debet præscribi nisi adsint indicia certa quibus criminis existentia valde probabiliter constat, et nisi insuper meritò sit timendum ne aliter reus aufugerit. Vide supra (5845).

Alia est *afflictiva* ad quam damnatur reus in judicio convictus. Apud nos hodie difficillimè hæc pœna in usum

redigi posset, nisi fortè erga clericos qui ad tempus possent aliquando damnari ad remanendum intra monasterium, seminarium, vel alias similes domos. Vide Stremler (*ib.*, p. 61 et 63).

6357. — III. *Exilium.* In eo consistit hæc pœna quòd reus expellatur è diœcesi, civitate, aut ab alio loco cum prohibitione revertendi. Rarò etiam apud nos hæc pœna potest infligi (*ibid.*).

Silemus autem de aliis pœnis temporalibus eò quòd in præsenti rerum statu, nullatenus executioni mandari valeant. De *torturâ* diximus supra (6037).

CAPUT II.

DE PŒNIS ECCLESIASTICIS MEDICINALIBUS SEU DE CENSURIS.

6358. Præsens caput in duos dividemus articulos : in primo agetur de censuris in genere, in secundo de censuris in specie.

ART. I.

DE CENSURIS IN GENERE.

§ I.

De naturâ et divisione censurarum.

6359. — I. Vox *censuræ* duplici sensu accipitur in jure ecclesiastico, videlicet : 1° designat quoddam genus pœnarum; 2° notam inustam doctrinæ vel libro. In primo sensu hæc vox adhibetur in capite præsenti, et definitur : *Pœna medicinalis per quam homo baptizatus, delinquens et contumax, privatur, per potestatem ecclesiasticam, usu quorumdam bonorum spiritualium.*

Dicitur 1° *pœna :* et sic convenit cum pœnis vindicativis ab Ecclesiâ impositis, depositione nempe, degradatione, etc.

Hâc autem voce censura differt sive ab irregularitate ex defectu, quæ certè non est pœna cùm ex culpâ non oriatur, sed solùm est inhabilitas ad sacras functiones, sive ab irregularitate ex delicto, quæ etiam non videtur pœna propriè dicta, sed iterum potiùs est inhabilitas ex delicto orta, saltem non est pœna medicinalis cùm tollatur, non per absolutionem, sed per dispensationem (vide S. Liguor., lib. 7, nº 5). Ideoque in potestate datâ absolvendi à censuris non comprehenduntur irregularitates, nisi expressè id dicatur. S. Liguor. (*ib.*).

6360. Dicitur 2º *medicinalis*, id est quæ primariò et principaliter infligitur ut reus emendetur et ad meliorem frugem se vertat (cap. *Cùm contingat* 36, *de offic. deleg.;* cap. *Ex litteris* 11, *de Constit.;* cap. *Cùm medicinalis*, *de sentent. excomm.*, in 6º). Per hoc censura differt à pœnis vindicativis quæ primariò in criminis vindictam incutiuntur. Ex hâc qualitate censura est necessariò vinculum dissolubile et per absolutionem solvendum statim ac peccator emendatus fuerit : quod non est dicendum de cæteris pœnis. Propter eamdem rationem infligi non debet censura sinè præviâ monitione, nisi inferretur per modum pœnæ vindicativæ quod aliquando contingere potest, ut infra dicturi sumus; item censuris non sunt plectendi ii de quibus correctio desperatur, nisi id fiat ad terrorem aliorum. (S. Liguor., lib. 7, nº 1.)

6361. Dicitur 3º *Per quam homo baptizatus*, *delinquens et contumax :* quibus verbis exprimuntur conditiones requisitæ ut quis possit censuris ligari... Debet esse ergo : 1º *baptizatus*, alioquin non esset subjectus potestati ecclesiasticæ à quâ solâ censuræ ferri possunt; 2º *delinquens*, cùm omnis pœna supponit delictum; 3º *contumax*, id est monitionibus Ecclesiæ non obtemperans, et id fluit à naturâ censuræ quæ, ut jam diximus, est pœna medicinalis requirens prævias monitiones, sive à judice, sive saltem à lege factas. Contumax autem est non solùm qui formaliter contemnit auctoritatem Ecclesiæ, sed etiam qui cùm noverit legem aliquid vetantem sub censurâ, eam nihilominus culpabiliter violat.

6362. Dicitur 4° *Privans per potestatem ecclesiasticam usu quorumdam bonorum spiritualium*, quia censura non ideo ab Ecclesiâ profertur ut privet *omnibus* bonis spiritualibus, cùm nec etiam id possit fieri: quippe tolli nequeunt nec caracter sacramentalis, nec gratia sanctificans, nec virtutes morales et infusæ, nec merita, aut etiam communio Sanctorum radicaliter derivans ex fide et charitate, etc. : siquidem is qui censuram incurrit potest in gratiam sanctificantem redire antequam tollatur censura; sed profertur ut privet certis bonis spiritualibus ab Ecclesiâ dependentibus ipsique communibus, sacramentis nempe, suffragiis, indulgentiis, sacris functionibus, beneficiis, etc. (S. Liguor., lib. 7, n° 2.)

6363. Etsi censuræ privent primariò bonis spiritualibus, ac proinde sint pœnæ spirituales quæ à solâ auctoritate ecclesiasticâ infligi valent, etiam tamen privant indirectè certis bonis temporalibus, nempe usu et commercio fidelium, circa plura temporalia, ut infra dicturi sumus loquendo præsertim de excommunicatione.

6364. Specialis censurarum proprietas est quòd ex seipsis, statim ac incurruntur, executionem habeant, sinè aliquâ aliâ humanâ actione aut judicis declaratione, ita ut teneatur censuratus ab iis abstinere quæ ipsi per censuram prohibentur, non tantùm in publico, sed etiam in occulto, non tantùm in territorio illius qui censuram tulit, sed quocumque ierit, donec ab eâ fuerit absolutus: « Cùm exe» cutionem excommunicatio secum trahat, inquit Inno» cent. III (cap. *Pastoralis*, *de appell.*, § *Verum*) et excom» municatus per denuntiationem ampliùs non ligetur. » — Hæc autem vis censurarum non oritur ex præcepto censuram ferentis, sed ex auctoritate Ecclesiæ seu S. Pontificis. Id constat ex canonibus quibus vetatur ne excommunicati ab uno Episcopo admittantur ab aliis ad communionem, aut suspensi absolvantur in aliâ diœcesi, etc.

6365. Circa hæc notanda est propositio 46 à Pio VI per Bullam *Auctorem fidei* damnata : « Propositio asserens » *effectum excommunicationis exteriorem duntaxat esse,* » *quia antummodo naturâ suâ excludit ab exteriori com-*

» *municatione Ecclesiæ :* quasi excommunicatio non sit » pœna spiritualis, ligans in cœlo, animas obligans. Ex » S. Aug., *ep.* 250 *Auxilio Episcopo*, tract. 50 *in Joan.*, » n° 12 : *falsa, perniciosa, in articul.* 23 *Lutheri damnata;* » *ad minus erronea.* »

Hic est autem artic. 23 Lutheri à Leone X damnatus cujus meminit Pius VI, « excommunicationes sunt tan- » tùm pœnæ externæ, nec privant hominem communibus » spiritualibus Ecclesiæ orationibus. »

6366. — II. Multiplici modo dividuntur censuræ : 1° *in suas species*, nempe in *excommunicationem*, *suspensionem* et *interdictum;* et hæc divisio ab ipsomet jure traditur : sic enim habet cap. *Quærenti* 20, *de verbor. signif.:* « Quæ- » renti quid per censuram ecclesiasticam debeat intelligi.., » respondemus quòd per eam non solùm interdicti, sed » excommunicationis et suspensionis sententia valet intel- » ligi. » Sed etiam hæc divisio fundatur naturâ rerum : nam vel 1° christianus delinquens arcetur à bonis communibus quatenus inducunt communicationem cùm cæteris fidelibus, et tunc est *excommunicatio;* vel 2° excluditur ab iisdem bonis quatenus unusquisque jus habet ad iis participandum, utpote juris publici, et tunc est *interdictum ;* vel 3° clericus ab eis arcetur quatenus sunt functiones ordinum, officiorum, aut beneficiorum ecclesiasticorum, et tunc est *suspensio* (Lequeux, n° 1412). Explicatiùs infra dicitur quid per unamquamque earum censurarum sit intelligendum. Observandum est autem quòd in Decretalibus omnes censuræ comprehendantur sub titulo *de sententiâ excommunicationis*, quia excommunicatio in se continet omnes effectus aliarum censurarum, licet non eodem titulo illos pariat, ut infra explicabitur.

6367. — 2° *Ratione modi* quo ferri solent, dividuntur censuræ, *in censuras à jure*, et *censuras ab homine :* censuræ *à jure* sunt illæ quæ *à jure,* seu per canones, Constitutiones, vel statuta feruntur modo stabili et permanenti. Censuræ verò *ab homine* , sunt eæ quæ à judice per sententiam judiciariam, vel à Prælato per temporale mandatum, sive particulare sive generale, infliguntur aut statuun-

tur. Observat autem S. Liguor. (lib. 7°, n° 6) « quòd cen-
» suræ quas fert Episcopus in synodo diœcesanâ dicuntur
» latæ per modum statuti, et hæ tanquam latæ à jure
» durant post mortem Episcopi; aliæ verò extra synodum
» dicuntur latæ ab homine per modum præcepti seu man-
» dati aut sententiæ, et hæ per mortem ferentis (aut ejus
» amotionem) cessant (non tamen si semel fuerint incursæ,
» nam tunc non cessant quoad eum qui illas incurrit nisi
» per absolutionem), sive præceptum sit particulare sive
» generale. » Circa quod vide dicta supra (947, etc.).

6368. — 3° Iterum ratione modi quo feruntur censuræ, tàm à jure quàm ab homine, dividuntur in censuras *latæ sententiæ* et censuras *ferendæ sententiæ:* censuræ *latæ sententiæ*, sunt illæ quæ, ipso facto seu crimine semel admisso, statim incurruntur absque ullâ judicis sententiâ, etiam declaratoriâ: circa quod notandum est quòd propositio 47 Synodi Pistoiensis, « quæ tradit necessarium esse » juxta leges naturales et divinas, ut, sive ad excommu-
» nicationem sive ad suspensionem, præcedere debeat
» examen personale, atque adeo sententias dictas *ipso facto*
» non aliam vim habere, nisi seriæ comminationis sinè
» actuali effectu », damnata fuit per Bullam *Auctorem fidei* tanquam *falsa*, *temeraria*, *Ecclesiæ potestati injuriosa*, *erronea*.

6369. Censuræ verò *ferendæ sententiæ*, quæ etiam dicuntur *comminatoriæ*, sunt illæ quas jus aut judex non vult ipso facto incurri, sed solùm per sententiam infligi: unde censuræ hujusmodi possunt esse *à jure* simul et *ab homine: à jure* quidem, quatenus sanciri possunt per legem aut statutum permanens, et ab *homine*, quatenus non incurruntur nisi per sententiam judicis. Vide Stremler (*Des peines ecclés.*, p. 176).

6370. Ut autem dignoscatur quandonam censuræ sint latæ et quandonam sint ferendæ sententiæ, « consideranda
» sunt verba quibus censura fertur; quæ si includant alte-
» rius actionem seu ministerium, significant censuram
» esse *sententiæ ferendæ*, *latæ* verò si non includant. Si
» verò verba ambigua sint, teneri potest regula 49 juris

» in 6°, quòd in dubio circa pœnas, benignior interpre-» tatio sit facienda. » Cæterùm tutè teneri potest communis interpretatio quia est optima legum interpres. Unde resolves :

« Censura est *latæ sententiæ* : 1° Si verba sint præte-» riti aut præsentis temporis : v. g. *excommunicavimus*, » *excommunicatus est*, *fuit*, *excommunico*, *suspendun-» tur*, *interdicuntur*, *volumus aut jubemus esse excom-» municatum*, *suspensum*, etc.; 2° si addatur particula » *ipsò jure*, *ipso facto*, vel *sinè aliâ sententiâ ;* 3° si verba » sint imperativi modi, v. g. *incidat in excommunicatio-» nem*, *maneat interdictus*, etc.: ratio quia hæc omnia nul-» lius actionem interponunt. » (Busembaum, apud S. Liguor., lib. 7, n^is^ 6 et 7.)—Si tamen dicatur *excommunicatus sit*, controvertitur qualis tunc sit censura : plures dicunt eam esse latæ sententiæ, sed plures alii èncontra volunt esse tantùm ferendæ : utraque sententia est probabilis, inquit S. Liguor. (lib. 7, n° 8); sed hoc pendere videtur a quæstione an mandatum excommunicandi alteri imponatur, vel non, ut mox dicturi sumus. Si verò dicatur *anathema sit*, iterum disputatur an excommunicatio sit latæ vel ferendæ sententiæ, sed omnes eam dicunt esse latæ sententiæ si fiat contra hæresim.

6371. Censura est ferendæ sententiæ, saltem ut plurimùm : « 1° Si verba sint futuri temporis, v. g. *excommu-» nicabitur*, *suspendetur*...; 2° si dicatur *excommunicetur* » *suspendatur*, *volumus excommunicari* » (sed ad hoc requiritur ut præceptum excommunicandi, suspendendi, alteri imponatur: nam si absolutè modo imperativo proferatur censura, communiter habetur tanquam latæ sententiæ (S. Liguor., *ib.*, n° 8); « 3° si verba sint minatoria, v. g. » *sub pœnâ excommunicationis*, *sub interminatione ana-» thematis*, etc., nisi tamen ex adjunctis aliud colligatur. »

6372.—4° Censuræ dividuntur adhuc in *justas* et *injustas* seu *illicitas;* in *validas* et *invalidas*, quæ denominationes satis intelliguntur; *in reservatas et non reservatas*, seu quarum absolutio reservata est Superiori vel non est reservata.

6373. 5° Dividuntur in censuras ad *tempus determinatum*, et in censuras ad *tempus indeterminatum*. *Nota* tamen quòd censuræ ad tempus determinatum non sint censuræ propriè dictæ : omnes enim censuræ propriè dictæ, utpote medicinales, durare debent usque ad rei emendationem, proinde sunt necessariò ad tempus indeterminatum ; censuræ verò quæ feruntur ad tempus determinatum, vel quæ sunt in perpetuum, sunt pœnæ vindicativæ seu meræ pœnæ, non verò pœnæ medicinales. Cæterùm nunquam excommunicatio fertur ad tempus determinatum, vel in perpetuum : sed solæ suspensiones vel interdicta sic aliquando feruntur. (Vide Stremler, *Des peines ecclés.*, p. 178.)

§ II.

A quo censuræ ferri possint.

6374. Est certè in Ecclesiâ potestas censuras et alias pœnas ferendi, et hoc est de fide, prout probavimus supra (5494-5505). Ita S. Liguor. (lib. 7, n° 9) ex Concil. Const., sess. 8, err. 3; et Bullis Martini V et Leonis X.

In quibusnam autem resideat hæc facultas, dicendum est : quòd non resideat nisi in iis qui jurisdictionem in *foro externo* sive ordinariam sive delegatam possident (cap. *Cùm ab Ecclesiarum* 3, *de officio judicis ordin.* ; et cap. *Præterea, de officio judicis delegati*).

6375. Ordinariam verò potestatem habent 1° Papa et Concilium generale respectu totius Ecclesiæ ; 2° Congregationes Romanæ, ut Concilii, S. Officii, Episcop. et Regular., etc., quæ etiam pro universâ Ecclesiâ censuras ferre possunt in iis quæ sibi respectivè attribuuntur (Stremler, *Des Peines ecclés.*, p. 181) ; 3° Legati Apostolici in territorio ipsis assignato (cap. *Novit* 7, *de offic. Legati*) ; 4° Patriarchæ et Archiepiscopi respectu tantùm subditorum propriæ diœcesis, non verò aliorum suffraganeorum, nisi tempore visitationis, aut nisi per appellationem causa ad ipsos devolvatur (cap. *Venerabilibus*, *de sent. excomm.*, in 6°) ; 5° Episcopi respectu pariter subditorum, dummodo sint confirmati, esto non consecrati (cap. *Transmissum, de*

elect.); 6° Vicarii generales respectu etiam diœcesanorum : ita veriùs contra quosdam tenet communis sententia ex cap. *Romana*, *de appell.*, in 6°, et cap. 2, *de consuet.* in 6°; 7° Generales, Provinciales et Superiores locales Religionum, ut Priores, Guardiani, Rectores respectu suorum subditorum (cap. *Cùm in Ecclesiis*, *de major. et obed.*); 8° Congregationes Religionum, Concilia provincialia Episcoporum, Capitula provincialia quarumdam Religionum, Capitulum Cathedralis, sede vacante, et ipsius Vicarius (cap. *Cùm olim*, *de major.*, etc.) : singuli respectivè pro suis subditis; 9° quidam ex privilegio, prout sunt multi Archidiaconi, Archipresbyteri, et Decani. — Adde etiam eos qui per errorem communem cum titulo præsumpto, tanquam Superiores habentur. Vide supra (294-306).

6376. Ordinariam potestatem censuras ferendi non habent parochi, cùm ex consuetudine abrogata fuerit concessio eis facta à jure communi, et ad forum internum reducta fuerit illorum jurisdictio.

6377. Delegatam autem habent potestatem censuras inferendi ii quibus ea committitur ab ordinariam habente; sed ejusmodi potestas cessat per mortem aut amotionem delegantis, nisi causa à delegato jam fuerit incepta, etiam per solam citationem (ex cap. *Gratum* 20, *de offic. delegati*), nec delegatus potest eam alteri delegare, nisi habeat specialem ejus commissionem; ut si sit delegatus Papæ (cap. 3, *de officio delegati*). S. Liguor. (lib. 7, n° 9); Stremler (*Des Peines ecclés.*, p. 181, 182); et supra (307-326).

6378. Ut quis possit ferre censuras sex conditiones requiruntur : 1° *Ut sit vir*, saltem de potestate ordinariâ : disputatur enim an Papa, ex plenitudine potestatis, possit committere mulieri facultatem censuras ferendi; et probabiliùs negatur, inquit S. Liguor. (*ib.*, n° 12), quia hæc potestas per traditionem clavium Ecclesiæ data fuit Apostolis et eorum Successoribus, in quibus nullo modo comprehendi possunt mulieres. Ergo, etc. — Si ergo in jure (cap. *Dilecta* 12, *de majorit. et obedient.*) *Abbatissæ* quædam dicuntur posse subjectos sibi clericos suspendere ab officio vel beneficio, suspensio hæc non habetur propriè ut

censura cujus violatio irregularitatem inducit, sed latè et impropriè, et potiùs tanquam per præceptum Abbatissa clerico, quodammodo sibi subjecto, prohibet missæ celebrationem donec satisfecerit, redditus beneficii interea ei detrahens. (S. Liguor., *ib.*, n° 11.)

2° *Ut sit baptizatus*, quia qui non est in Ecclesiâ, capax non est jurisdictionis ecclesiasticæ. Ita veriùs contra Ugolin.

3° *Ut sit primâ tonsurâ insignitus* (cap. *Decernimus* 2, *de judiciis*) : unde religiosi etiam professi qui primam non habent tonsuram, exercere nequeunt potestatem ecclesiasticam; sed hoc est de jure ecclesiastico non divino; unde communiter docent DD. laicum posse ferre censuras ex commissione S. Pontificis.

4° *Ut sit rationis compos* : imò debet habere intentionem ligandi eum contra quem fert censuram (cap. *Cum voluntate, de sent. excomm.*).

5° *Ut habeat jurisdictionem expeditam quoad usum* : unde Episcopus excommunicatus, suspensus, hæreticus aut schismaticus non potest ferre censuras, etiam validè, si non sit toleratus [1], nec licitè, etiamsi toleratus sit (cap. *Exceptionem*, *de except.*); et ideo Vicarius Episcopi excommunicati aut suspensi, non potest quoque ferre censuras, ex cap. 1, *de officio vicarii*, in 6°.

6379. Regulariter Episcopus extra propriam diœcesim existens non potest ferre censuras in subditos per sententiæ modum (cap. *Episcopi* 9, q. 2 : Clement. *Quamvis*, *de foro compet.*); sed potest per modum præcepti aut statuti ad futura crimina præcavenda. — Diximus *regulariter*, quia casus sequentes sunt excipiendi : 1° si contumacia sit tam manifesta ut non indigeat cognitione causæ (cap. *Manifesta* 2, q. 1); 2° si causa sit jam cognita in proprio territorio; 3° si Episcopus sit injustè expulsus è suâ diœcesi, sed tunc peti debet licentia ab Ordinario, licet non obtineatur : Clement. *Quamvis* modò citatâ; 4° si Ordinarius

[1] Imò quidam DD. dicunt quòd Episcopus nequeat validè ferre censuras si sit notoriè excommunicatus, suspensus, etc., etiamsi non sit denuntiatus (S. Liguor., lib. 7, n° 12, *requirit.* 5°); Stremler, *Des Peines ecclés.*, p. 182.

loci et partes in id consentiant. Benè tamen potest Episcopus extra suam diœcesim existens, sinè strepitu judicii, absolvere subditos à censuris, non verò judicialiter. (S. Liguor., lib. 7, nº 21.)

6380. — 6° *Ut censuram ferens liberè agat, non coactè* (cap. *Cum voluntate, de sent. excommunic.*); veriùs tamen censura ex gravi metu lata valida est, etsi illicita, quia metus non tollit voluntarium. Sed absolutio censuræ, injustè per metum extorta, est invalida ex cap. *Absolutionis, de his quæ vi*, etc., in 6°.

6381. Similiter, ferens censùram agere non debet ex odio aut vindictâ, aut solo amicitiæ titulo, aut in propriâ causâ, nisi necessarium fuerit ad legitimam defensionem contra injustum agressorem : alioquin, saltem illicita erit censura, et facilè contingere poterit ut sit etiam nulla, si nempe justa causa deesset. S. Liguor., lib. 7, nº 66

§ III.

In quos ferri possint censuræ.

6382. Ut quis censurâ ligari possit, quinque conditiones requiruntur :

1° Ut sit *homo :* bruta enim impropriè dicuntur anathematizari : interdici quidem possunt loca, sed solummodo ob personas.

2° Ut sit *baptizatus,* quia, alioquin, non est Ecclesiæ subditus.

6383. — 3° Ut sit *rationis compos* : unde pueri et perpetuò amentes sunt incapaces censuræ : an autem ipsi nullo modo ligentur interdicto locali, ita ut non sint excludendi à divinis officiis, communiter affirmatur contra quosdam. Illi verò qui ad tempus tantùm ratione carent, ut amentes ad tempus, ebrii, dormientes, hi ligantur censuris, si tempore quo erant rationis compotes, causam dederunt. Vide S. Liguor., lib. 7, nº 13; quoad impuberes doli capaces, vide dicta supra (6319, 6320).

6384. — 4° Ut sit *subditus* (ex cap. *Ut animarum, de*

constit. in 6°) : « Quâ de re, inquit S. Liguor. (lib. 7,
» nis 15 et 16), S. Pontifex nequit censurâ ligari; non qui-
» dem ab alio, quia Superiorem non habet; neque à se,
» quia non tenetur præceptis suis vi coactivâ, sed solùm
» directivâ. Excipe si Papa sit hæreticus, quia Concilium
» Generale tunc potest eum cogere per censuras, ex cap.
» *Si Papa*, dist. 40. Et ideo nec Episcopi ligantur censuris
» ab ipsis emanatis... : si verò censuræ sint à jure, eas
» nec etiam incurrunt Episcopi aut Cardinales... nisi de
» ipsis expressa mentio fiat, ex cap. *Quia periculosum, de*
» *sentent. excomm.*, in 6°. Hoc tamen aiunt Salmantic...
» duntaxat intelligi de suspensione et interdicto de quibus
» fit mentio in dicto capite, non autem de excommunica-
» tione, cui subjacent Episcopi, etiamsi in lege de iis nulla
» mentio fiat. »

6385. « Reges autem et Reginæ, quamvis subditi sint
» Episcopis in spiritualibus jure tamen novo non possunt
» ligari censuris nisi à Papâ; et hoc ex privilegio, quod
» eis communiter ab AA. attribuitur, ut dicunt Salmant...
» cum S. Anton., Pal., etc. »

6386. Item Episcopus censuras ferre nequit in religiosos exemptos, ut sunt Mendicantes, Jesuitæ, etc., etiamsi procedat tanquam Delegatus Apostolicus (S. Liguor., lib. 7, n° 26); nec etiam potest contra eosdem ferre sententiam declaratoriam, quia ad hoc requiritur citatio rei : excipe nisi ageretur de censurâ omninò notoriâ, quia citatio tunc non est necessaria. Vide Stremler citantem decisionem S. Cong. Concil. (*Des peines ecclés.*, p. 205 et 206).

6387. Licet probabiliùs Episcopus nequeat ferre censuram in peregrinum ante monitionem, id tamen potest postquam peregrinus deliquerit in loco et Episcopus eum citaverit. Vide dicta supra (5696, 5697); S. Lig. (lib. 7, n° 17). Excipe si delinquens esset illius Episcopi Superior, ut ejus Archiepiscopus vel Patriarcha; secus, si Episcopus non esset illi suffraganeus, quia ratione delicti ille Archiepiscopus fit Episcopi subditus. (S. Liguor., lib. 7, n° 26.)

6388.—5° Utsit *persona determinata;* sed hæc conditio non est necessaria nisi quoad excommunicationem : nam

suspendi aut interdici possunt civitates, collegia, etc.; sed non possunt excommunicari. Ita communiter cum S. Thomâ (3ª pars, q. 22, art. 5). Attamen, juxta Stremler citantem Barbosam et Fagnanum (*ib.*, p. 188), hujusmodi excommunicatio esset valida, licet illicita. Imò ferri nequit sententia excommunicationis in aliquem incertum : v. g. in eum qui tale crimen patraverit, et talis sententia esset nulla; sed si per modum statuti aut præcepti ferretur excommunicatio contra auctorem vel auctores alicujus criminis, nulli dubium est quin omnes transgressores illam incurrerent. (S. Liguor., lib. 7, nº 18.)

6389. Quærit. 1° An advenæ censuras incurrant ?

Resp. 1° Advenas incurrere censuras jure communi statutas, modò vigeant in loco ubi reperiuntur; imò si peccent contra jus commune, possunt puniri per censuras tum ab Episcopo proprio, tum ab Episcopo loci delicti. Vide dicta supra (5682, 5697).

6390. — 2° Quoad censuras jure particulari illatas : vel agitur de censuris in territorio ubi actu manent advenæ vigentibus, vel de censuris suæ propriæ diœcesis è quâ actu illi egressi sunt; in primo casu, advenæ, ex omnium consensu, ligari possunt censuris annexis legibus quarum violatione pax publica turbaretur in loco ubi actu manent, seu quæ respiciunt commune bonum hujusce territorii (Vide S. Lig., lib. 6, nº 591, *in fine;* et Stremler, *Des peines ecclés.*, p. 185); quoad cæteras, certò advenæ non ligantur censuris latis per modum præcepti particularis : si verò censuræ ferantur per modum statuti generalis, controvertitur an advenæ illas incurrant : sed probabiliùs reputat S. Liguor. quòd non incurrant. (lib. 7, nis 17 et 27).

6391. In secundo casu, iterum distinguitur : vel agitur de censuris latis per modum statuti, vel de censuris latis per modum præcepti : si de primis, subditi absentes illas non incurrunt, ex cap. 2 *De Const.*, in 6°. Excipe nisi agatur de re quæ in propriâ diœcesi fieri censeatur, licet auctor sit absens : v. g., si excommunicentur omnes qui ad synodum non venerint : sed probabiliùs requiritur tunc

ut crimen in propriâ diœcesi consummetur. Unde qui virginem extraheret è propriâ diœcesi, et stuprum extra diœcesim consummaret, non incurreret censuras in propriâ diœcesi contra stuprum specialiter latas; secus, si quis extra diœcesim manens mortaliter vulneret aliquem in propriâ diœcesi, etiamsi vulneratus extra diœcesim moriatur. (S. Liguor., lib. 7, n° 22.)

6392. Si de censuris per modum *præcepti* agatur, disputatur an illas subditus incurrat, actu manens extra diœcesim : vide rationes pro et contra apud S. Liguor. (*ib.*, n° 23) qui sententiam affirmantem habet ut probabiliorem eò quòd præceptum personas immediatè afficiat illasque sequatur quocumque ierint; dum statutum directè afficit loca et mediatè personas; sed requiritur, juxta eumdem S. Liguor., ut præceptum impositum fuerit ab Ordinario ante egressum subditi è diœcesi, alioquin prævalet dispositio cap. 2 *de Const.*, supra citati, juxta quam : *Jus dicenti extra territorium non paretur impunè.* Vide etiam Stremler (*Des peines eccles.*, p. 186, etc.). Probabiliùs supradicta intelligi debent de iis etiam qui delinquunt in loco exempto (cap. *Cùm Episcopus* 7, *de offic. ordin.* in 6°; cap. 1, *de Privileg.* in 6°; Clem. *Archiepiscopo*, *de Privil.*); S. Lig., lib. 6, n° 592.

Controvertitur autem an Ecclesia et conventus regularium, inter loca exempta sint computanda : vide S. Lig., lib. 1, n° 156, *in fine*; et lib. 7, n° 24.

6393. Quærit. 2° An ligati unâ censurâ possint adhuc aliâ censurâ ligari?

Resp. Affirmativè : imò eâdem censurâ ligari possunt sub novo titulo, vel ejusdem vel alterius generis (cap. *Cùm pro causâ*, *de sent. excomm.*; et Clement. *Gravis*, ejusd. tituli). Vide ap. S. Liguor., lib. 7, n° 28.

§ IV.

Ob quam causam ferri possint censuræ.

6394. Ferri possunt ob solum *peccatum externum, con-*

summatum, *censuræ proportionatum*, *conjunctum cum contumaciâ et proprium.*

Dicitur 1° *ob solum peccatum*, quia censuræ sunt pœnæ : unde quidquid excusat à peccato excusat à censurâ : v. g. inadvertentia, ignorantia invincibilis, defectus libertatis, etc. ; « non incurritur censura ob peccatum soli naturali » vel divino juri repugnans, sed requiritur præceptum » Ecclesiæ quod contumaciter violetur » : ap. S. Liguor. (lib. 7, n° 49) ; imò ut quis possit censuram incurrere, scire debet illud esse sub censurâ prohibitum, quia aliàs iterum deesset contumacia : ideo excusat ignorantia invincibilis, non solùm antecedens sed etiam concomitans, qui, v. g. occidit clericum ignorans esse clericum, non incurrit excommunicationem, quamvis, re cognitâ, occidisset : secus si diceret : *volo hunc occidere*, *etiamsi sit clericus.*

6395. Non videtur quòd ignorantia vincibilis, quæ à gravi peccato non excusat, possit practicè excusare à censurâ (cap. *Ut animarum*, *de constit.*, in 6°), nisi hæc fuerit lata solùm *in præsumentes*, *vel scienter*, *aut temerè crimen patrantes* (S. Lig., lib. 7, n^is^ 45, 47) : sed in hoc ultimo casu, juxta communiorèm et multò probabiliorem sententiam, à censurâ non excusat ignorantia affectata (cap. *Eos qui*, *de tempor. ordin.*, in 6°). S. Liguor., *ib.*, n° 48.

6396. Metus autem gravis, vèl gravis necessitas certè excusat à censurâ, si res sit vetita aut præcepta solo jure ecclesiastico, nisi res præcepta fuisset ob bonum magni momenti, v. g. si parocho præscriberetur residentia tempore pestis ; imò DD. communiter, contra Collet, idem dicunt si res sit vetita etiam jure naturali aut divino, non obstante cap. *Sacris*, *de his quæ vi*, etc., ubi dicitur *metum qui non excusat à mortali*, *nec etiam excusare à censurâ* : quia hic textus intelligi debet, vel de metu levi, vel de casu ubi agitur in contemptum, siquidem censuram incurrit qui ob metum cogitur agere in contemptum ecclesiastici præcepti, vel qui ob metum perpetrat gravissimum malum, v. g. si Episcopum occideret, vel sinè jurisdictione absolutionem sacramentalem impertiret, quia in iis casibus metus non excusat à culpâ etiam contra præceptum

ecclesiasticum. Qui tamen ob metum gravem ministraret in sacris, nec censuram nec irregularitatem incurreret. S. Liguor. (lib. 7, n° 46), et Auct. *Prælect. S. Sulpitii*, n° 721.

6397. Dicitur 2° *censuræ proportionatum*. Circa quod quæri potest an censuræ ferri possint propter peccatum veniale, et respondetur affirmativè si censura sit levis : si nempe suspensio vel interdictum sit ad breve tempus, et aliquo usu tantùm rerum spiritualium privet : non prudenter tamen ordinariè censuræ hujusmodi ferrentur pro culpis levibus; secus si sit ad omnem usum, vel ad longum tempus : unde suspensio ad longum tempus lata propter culpam levem est invalida ; minor etiam excommunicatio incurri potest ob levem culpam; secus de majori excommunicatione : vide cap. *Nullus* 42, causa 11, q. 3; Concil. Trid., sess. 25, c. 3, *de ref.*; et S. Liguor., lib. 7, n^is^ 30 et 153.

6398. Ex hinc collige 1° eum excusari à gravi censurâ qui excusatur à gravi culpâ; 2° si aliquid præcipiatur quod, *inspectis omnibus*, leve sit, præceptum non obligabit ad mortale, nec gravis censura incurri poterit. Dictum est *inspectis omnibus;* nam materia in se levis, potest reddi gravis, ex adjunctâ circumstantiâ scandali, aut periculi, aut finis intenti, ac similium : sic incurritur excommunicatio ob percussionem clerici, quæ licet sit in se levis, erit gravis ob reverentiam statui clericali debitam ; sic pariter Prælatus potest imponere censuram gravem iis qui non interveniunt processioni pro aliquâ re gravi ordinatæ ; item clericis qui contra præceptum comam nutriunt, et sic de aliis. (S. Liguor., lib. 7, n° 31.)

6399. In dubio autem de gravitate materiæ possidet Superioris potestas ; sed Prælati sedulò cavere debent ne subditos censuris gravent ob materias non tam graves, quandò sibi non constat illas valde conducere ad bonum finem. S. Lig. (*ib.*, n° 31); Bened. XIV (*De Syn.*, lib. 10, cap. 1, n° 3), qui dicit censuras non ferri prudenter, etsi ob culpam lethalem, si non sit ex gravioribus.

6400. Quæri potest an eò ipso quòd præceptum fiat sub

censurâ, obliget sub gravi? Quæstio instituitur tantùm pro casu quo res præcepta non est de se, nec certè gravis nec certè levis, sed talis est ut multùm conducere valeat ad finem intentum, qui gravis est. — Respondetur affirmativè, si censura gravis sit latæ sententiæ; si verò censura sit ferendæ sententiæ, et materia præcepti de se non sit gravis, tunc, si ad incurrendam censuram requiratur monitio, ut dicetur infra, præceptum non obligat sub gravi, nisi post monitionem; sed obligaret etiam sub gravi, si ad incurrendam censuram monitio non esset requisita, prout accidit quando adest clausula : *quòd sinè ullâ monitione talis censura possit à Prælato applicari.*

6401. Dicitur 3° *peccatum externum :* quia Ecclesia non judicat de internis (cap. 20 *Consuluisti*, causa 2, q. 5; cap. *Tua nos* 34, *de simoniâ*) ; imò peccatum debet esse mortale quoad substantiam operis externi : hinc percutiens leviter clericum excommunicationem non incurrit, etsi intentionem mortalem habuisset; item si quis percuteret mensam, aut diceret : *Ita est*, intendens hæresim internam confirmare, non incurreret censuram, quia talis actus aut verbum non est de se aptum ad hæresim significandam, etc. Excipe tamen casus in quibus actus interior præceptus aut vetitus, necessariò cum exteriore conjungitur : prout si censura fulminetur contra scienter transgredientes, vel si agatur de simoniâ quæ impellit ad largitionem pecuniæ ad comparanda spiritualia (S. Liguor., lib. 7, n° 34). — Sic probabiliùs dicitur censuras contra omittentes sacrum, vel recitationem horarum canonicarum latas, incurri ab iis qui omninò distractè recitant vel audiunt. Vide S. Liguor., *ib.*, n° 35; et dicta supra (6321, 6322).

6402. Dicitur 4° *consummatum :* vide supra (6326); unde censuram non incurrunt mandans, consulens, ferens suffragium, si mandatum, consilium aut suffragium efficaciter non influat in crimen, nisi censura principaliter contra mandantes, consulentes, etc., lata fuisset, et tunc censura incurritur etiam effectu non secuto. (S. Liguor., lib. 7, n^is^ 36-38). Disputatur autem an incurrant censuram mandans, consulens, etc., in dubio an mandatum vel consi-

lium influxerit.—Probabiles sunt sententiæ tàm affirmans quàm negans (*ib.*, n° 39).

6403. Dicitur 5° *conjunctum cum contumaciâ*, quia, ut supra diximus (6360), censura est pœna *medicinalis* : ut autem incurratur censura pro foro interno, requiritur contumacia vera; pro externo verò sufficit præsumpta. (S. Liguor., lib. 7, n° 48.)

6404. Sed hìc quæritur an incurratur censura si mandans aut consulens suum mandatum aut consilium revocet ante executionem?

Resp. Si pro viribus revocet, communior et probabilior sententia tenet ipsum non ligari censuris, quia in casu deficit contumacia quæ ad incurrendam censuram requiritur. Et idem probabiliter est dicendum, licet revocatio non potuerit innotescere executori, prout idem asserunt Salmantic. de eo qui dedit venenum clerico, et antequam incipiat operari intentum retractavit, et modo quo potuit curavit effectum impedire : vide dicta supra (6219); sed advertendum est quòd dictus mandans aut consulens, etsi à censurâ excusetur, non tamen ab obligatione restituendi; et non à censurâ etiam excusatur si dum executionem impedire nequit, non moneat lædendum ut sibi caveat. (S. Liguor., lib. 7, 40.)

6405. Dicitur 6° *proprium*. Intellige nisi agatur de interdicto aut suspensione, ut supra diximus (6323, 6324).

Quærit. An Episcopus possit ferre censuram pro crimine futuro?

Resp. Difficultatem non adesse quoad censuras per statutum aut mandatum constitutas; quoad autem censuras per sententiam latas negat Collet (tom. 2, p. 380, v° *Censura*) ob cap. *Romana*, *de sentent. excomm.*, in 6°, ubi dicitur : « Caveant... Prælati ne tales sententias excommuni-» cationis, sive specialiter, sive generaliter in aliquos pro » futuris culpis, videlicet si tale quid fecerint..., proferre » præsumant, nisi... culpa seu offensa præcesserit. » Affirmant tamen plures alii quorum sententiam S. Liguor. valde probabilem vocat, si adsit justa causa; et talis est, inquit, usus communiter receptus in Ecclesiâ; prohibitio

verò in contrarium allata, intelligi debet de censurâ sinè causâ per sententiam latâ (*ib.*, n° 49).

6406. *Nota* quòd censura non possit infligi ab homine ob peccatum merè præteritum, seu qui non aliquo saltem modo pendeat in futurum, ratione scandali, restitutionis faciendæ, perseverantiæ in peccatum post monitionem : et ratio est quia abest tunc contumacia.

6407. Ob peccatum quidem merè præteritum vel etiam sinè peccato, sed cum justâ causâ, posset quis ad tempus arceri ab altari, à communione, ab aliorum consortio, ut subinde fit in Religionibus; sed hujusmodi remotiones, quæ etiam in jure vocantur excommunicationes, suspensiones non sunt censuræ quarum violatio inducat irregularitatem, sed meræ pœnæ, aut necessariæ cautiones pro vitando scandalo. (S. Liguor., lib. 7, n° 49.)

§ V.

De formalitatibus servandis in ferendis censuris.

6408. Variæ sunt illæ formalitates, prout varias respiciunt censuras tam *à jure* quàm *ab homine*, *latæ* vel *ferendæ sententiæ;* insuper aliæ sunt essentiales sinè quarum observatione invalidæ sunt censuræ, aliæ merè accidentales sinè quarum observatione censuræ sunt illicitæ.

Formalitates ad ferendas censuras requisitæ per legem, statutum aut præceptum, non aliæ sunt quàm eæ quæ requiruntur ad ferendam legem aut statutum, aut præceptum; et quidem si censuræ hujusmodi *sint latæ sententiæ*, incurruntur in foro conscientiæ, absque ullâ aliâ formalitate : sed in foro externo requiritur sententia declaratoria : unde requiritur judicium in hoc casu, prout requiritur quando censura fertur per modum sententiæ, et proinde formalitates in judicio observandæ, etiam tunc requiruntur, licet non requiratur monitio à lege distincta, ut infra dicturi sumus.

Ferè omnes formalitates requisitæ in ferendis censuris spectant vel monitionem rei, vel sententiam judicis.

6409. — I. In censuris requiritur monitio rei, quia ut diximus supra (6360) censuræ sunt pœnæ medicinales quæ nonnisi in contumaces ferri debent : unde quando non imponuntur in modum medicinæ, sed solùm in modum meræ pœnæ ad punitionem peccati præteriti, quod contingere potest in suspensione aut in interdicto particulari (non verò generali), tunc non requiritur monitio rei.

Monitio autem est declaratio facta à judice delinquenti quòd sit censuram incursurus, si non resipiscat aut non pareat. Differt à citatione, de quâ locuti sumus supra (5891, etc.), in eo quòd monitio fiat ut subditus caveat à re vetitâ, aut, si mandatum transgressus sit, ab inobedientiâ recedat : dum citatio fit ut reus coram judice se sistat, ut respondeat, se defendat, aut sententiam audiat.

6410. Quærit. An monitio sit requisita sub pœnâ nullitatis censuræ?

Resp. 1° Certè monitionem in censuris esse requisitam de necessitate præcepti etiam gravis. Ita enim se habet Alexand. III, in cap. *Reprehensibilis* 26, *de appell.* : « Statuimus ut nec Prælati, *nisi canonicâ monitione præmissâ*, » suspensionis vel excommunicationis sententiam ferant » in subditos, nisi fortè talis sit culpa quæ ipso suo ge- » nere suspensionis aut excommunicationis pœnam indu- » cat. » An autem sit requisita sub pœnâ nullitatis, duplex est sententia probabilis : sed affirmans habetur ut communior et probabilior : et probatur ex cap. *Statuimus* 3, *de sent. excomm.*, in 6°, ubi dicitur quòd sinè *præmissâ monitione*, *excommunicatio lata non teneat;* idem dicitur in cap. *Const.* 9, ejusd. tituli, in 6° : contra tamen allegatur, cap. *Duo sunt* 10, dist. 96, ubi dicitur quòd Innocent. I excommunicavit Arcadium ob delictum præteritum; sed respondetur quòd Arcadius excommunicatus fuit quia sanctum Chrysostomum injustè priùs ejectum noluit revocare. Proinde non fuit excommunicatus propter delictum præteritum. Responderi etiam potest quòd obligatio monendi ante excommunicationem, non est juris divini; proinde super hoc potuit à S. Pontifice dispensari vel aliter provideri (Stremler, *Des Peines ecclés.*, p. 211). — Allegatur

pariter cap. *Tanta*, dist. 86, ubi S. Gregorius excommunicat quosdam sinè monitione ob crimen jam patratum; sed respondetur quòd iste canon intelligi possit de solâ privatione Eucharistiæ, quæ non est excommunicatio propriè dicta (S. Liguor., lib. 7, n° 53); dici etiam potest super hoc dispensatum fuisse à S. Pontifice.

6411. Monitio tamen distincta à lege vel mandato non requiritur quando censura est *latæ sententiæ*, ut constat ex eod. cap. *Reprehensibilis* ubi dicitur : « Nisi talis sit culpa » quæ ipso suo genere suspensionis, etc., pœnam inducat. »

Sed si censura sit tantùm comminata à lege requiriturne tunc monitio distincta?

Resp. Si censura feratur per modum *meræ pœnæ vindicativæ*, post commissum delictum, prout ferri possunt suspensiones et interdicta, ut infra dicemus (non verò excommunicatio saltem major), necessaria non est tunc monitio, quia hujusmodi pœnæ non sunt medicinales; si verò censura ferenda sit tanquam *pœna medicinalis*, tunc si sit comminata ab homine, certum est non requiri aliam monitionem, quia per illud præceptum jam habetur monitio. Si verò sit comminata à jure, quæstio controvertitur, ut videre est ap. S. Liguor. (lib. 7, n° 55), qui ut probabiliorem habet sententiam negantem, quia etiam in hoc casu habetur monitio per legem, et proinde adest contumacia. Tunc tamen requiritur rei citatio ad censuram infligendam, cùm benè fieri possit quòd reus probabilem sui facti excusationem afferat : excipe nisi crimen sit adeo notorium ut evidenter constet nullam reo competere defensionem : sed hujusmodi censuræ nunquam incurruntur sinè sententiâ condemnatoriâ, quæ si esset nulla defectu alicujus formalitatis essentialiter requisitæ, nulla pariter esset censura, quantumvis delictum foret certum. (Vide Stremler, *Des Peines ecclés.*, p. 203.)

6412. Monitio autem canonica propriè est trina, ut colligi potest ex cap. *Constitutionem* 9, *de sent. excomm.*, in 6°; sed ex eodem cap., una fieri potest pro tribus (adhuc sinè causâ) [1] dummodo æquivalens tempus assignetur

[1] « Statuimus quoque, ut inter monitiones, quas ut canonicè pro-

nempe sex dies : nam verba canonis *aliquorum dierum competentia intervalla*, supponunt saltem duos dies pro unoquoque intervallo; et insuper dummodo terminus sex dierum assignetur ut peremptorius et ultimus, aliàs reus contumax non constitueretur; sufficit tamen si dicatur : *mandamus ut infra sex dies restituat, aliàs excommunicatur ipso facto.* Ex justâ autem causâ tria spatia ad unum diem vel brevius tempus redigi possunt; et si sit periculum in morâ, ut si clericus ad mortem ducatur, vel si agatur de reprimendâ violentiâ, etc. : sufficit tunc una monitio, modò terminus designetur.

6413. Monitio canonica fieri debet ab ipso judice aut ipsius nomine, et si censura imponitur in commodum partis, ad illius instantiam monitio fieri debet; hæc autem monitio differt à paternâ aut fraternâ : « La monition paternelle... est secrète, et ne peut jamais être invoquée » juridiquement ou officiellement contre quelqu'un. Elle » est faite par l'Evêque, non pas en tant que juge, mais » en tant que père, comme l'indique son nom de paternelle. Elle se fait sans témoin, de vive voix, ou par » lettre privée, et ne doit jamais être enregistrée à la » chancellerie; on ne peut la mettre en avant pour refuser » à quelqu'un un bénéfice ou l'exclure d'un concours. La » monition paternelle ne saurait jamais tenir lieu de la » monition canonique, et les censures portées à la suite » même de plusieurs monitions paternelles seraient in- » justes. » Stremler (*Des Peines ecclés.*, p. 209).

6414. Monitio fieri debet in scriptis nisi judex procedat ex officio, quia tunc oretenus fieri potest : ita tamen ut possit probari in foro; excipi debet adhuc casus necessitatis urgentis (Stremler, *ib.*, p. 208) : cap. *Sacro*, *de sent. excomm.* Vide supra (5899, etc.). — Monitio notificare debet 1° personam Superioris; 2° censuram ab eo infli-

» mulgetur excommunicationis sententia, statuunt jura præmitti, judi- » ces, sivè monitionibus tribus utantur, *sivè unâ pro omnibus*, observent aliquorum dierum competentia intervalla : nisi facti necessitas » aliter ea suaserit moderanda. » Ita dictum cap. *Constitutionem*.

gendam; 3° personam cui est infligenda. Si unum ex his desit, non adest contumacia.

6415. Si censura contra plures generatim sit ferenda, sufficit ut monitio fiat in ecclesiâ coram populo : si interdicatur communitas, sufficit ut moneantur ii ob quorum culpam interdictum comminatur ; sed si censura in individuum feratur, iste specialiter est monendus, tribus tamen exceptis casibus : 1° si reus se abscondit, aut fraude impedit monitionem, tunc sufficit ut monitio fiat in ejus domo, vel si domum non habeat, in ecclesiâ, vel loco publico ; 2° idem est dicendum si reus est simul personaliter citatus, tunc reliquæ monitiones fieri possunt etiam coram tribunali ; 3° item quando probari potest monitionem domi factam ad notitiam rei pervenisse.

6416. Certum est autem quòd trina monitio non sit necessaria ad validitatem censuræ, sed solùm ad ejus liceitatem : cap. *Romana*, *de sent. excomm.*, in 6°, et cap. *Sacro*, *de sent. excomm.* [1], ubi etiam *justæ* dicuntur excommunicationes sinè trinâ monitione. Intellige illas esse *justas* in quantùm non sunt contra justitiam commutativam aut distributivam, quamvis sint contra legalem. Excipiuntur tamen duo casus in quibus censura sinè tribus monitionibus esset invalida : 1° quando judex censuram fert contra communicantem cum excommunicato à seipso : cap. *Statuimus*, et cap. *Statutum*, *de sent. excomm.*, in 6° ; 2° quando delegatus non accipit potestatem censuras ferendi, nisi præviis tribus monitionibus. (S. Liguor., lib. 7, n^is^ 57 et 58.)

6417. — II. *Quoad censuræ sententiam.* Ad ipsius validitatem requiritur ut scripto, verbis, aut alio signo externo proferatur, quibus sufficienter determinetur persona, crimen et censura ; et idem dicendum de censuræ absolutione.

Ut verò dicta sententia sit licita, observandæ sunt solemnitates assignatæ ab Innocent. IV in cap. *Cùm medicinalis* 1,

[1] Sic habet cap. *Sacro* : « Ne quis in aliquem excommunicationis sententiam, nisi competenti admonitione præmissâ, et personis præsentibus idoneis.., promulgare præsumat ; quod si contra præsumpserit, etiamsi justa fuerit excommunicationis sententia, ingressum ecclesiæ per mensem unum sibi noverit interdictum. »

de sentent. excomm., in 6°, ubi dicitur : « Quisquis igitur » excommunicat (intellige per sententiam) excommunica- » tionem in scriptis proferat, et causam excommunica- » tionis expressè conscribat... Exemplum verò hujusmodi » scripturæ teneatur excommunicato tradere intra men- » sem si fuerit requisitus : super quâ requisitione fieri » volumus publicum instrumentum, vel litteras testimo- » niales confici, sigillo authentico consignatas [1]. »

Postea additur : « Si quis autem judicum hujusmodi » Constitutionis temerarius extiterit violator, per mensem » unum ab ingressu ecclesiæ et divinis officiis noverit se » suspensum... Et hæc eadem in suspensionis et interdicti » sententiis volumus observari. » Insuper reus est protinus à censurâ absolvendus : et si in mense, in quo ipso facto ab officio et ingressu ecclesiæ suspensus est, judex iis per functiones sacras se ingesserit, irregularitatem incurrit. Denique idem judex tenetur solvere expensas omnes, et alias arbitrio judicis pœnas subire : ex quibus inferri manifestè debet judicem mortaliter peccare, aliquam ex dictis solemnitatibus omittendo. S. Liguor., lib. 7, n° 60.

6418. Omittens dictas solemnitates ex causâ urgenti, pœnas non incurrit, cùm dicatur : *Si quis temerarius;* nec si quis omittat ex ignorantiâ, licet fuerit crassa : nec Episcopus, quia ex cap. *Quia periculosum*, *de sent. excomm.*, in 6°, quando agitur de pœnis suspensionis et interdicti specialis mentio fieri debet de Episcopis ut illas incurrant. Incurruntur verò pœnæ suprà recensitæ, etiamsi censura non habeat effectum, eò quòd, v. g., reus appellet aut judex impeditam habeat jurisdictionem. (Vidē S. Liguor., lib. 7, n° 61.) Suppressa est dicta suspensio (C. *Ap. Sed.*).

Causa censuræ exprimi debet non in genere, sed in specie; insuper scriptura debet esse authentica, sigillo obsignata, et subscripta à judice aut ab alio, ipsius nomine, aut saltem debet per idoneos testes probari. Si judex

[1] « Quoique l'une ou l'autre de ces conditions puisse être omise » sans que la sentence soit invalide, néanmoins leur omission simul- » tanée l'invaliderait, ainsi qu'il a été résolu par la S. Congrég. inter- » prète du S. Conc. de Trente. » (Stremler, *Des Peines ecclés.*, p. 509.)

sit Episcopus, sententiam per alium potest proferre : si Episcopo sit inferior potest per seipsum aut saltem per notarium aut alium ministrum.

6419. Sententia censuram infligens ferri debet diebus non feriatis (cap. finale, *de Feriis*) : alioquin non invalida quidem, sed illicita erit. Excipitur casus quo contumacia tàm esset evidens ut cognitione causæ non egeret ; secus est de monitione quæ fieri solet etiam diebus feriatis, si causæ cognitio præcedat, non verò si hæc cognitio non præcedat.

6420. Qui censuram incurrit denuntiari debet si sit spes quòd sic citiùs resipiscat (cap. *Pastoralis*, § fin., *de Appell.* ; et Clement. fin., *de Censur.*) : ab hoc tamen judex se debet abstinere si resciat censuratum esse absolutum in foro interno.

6421. Denuntiationem præcedere debet sententia declaratoria, quantumvis notorium censeatur delictum ; effectus autem denuntiationis est quòd censuratus sit vitandus in iis quæ ipsi per censuram prohibentur, prout dicturi sumus infra de excommunicatione.

6422. Hæc autem denuntiatio fieri debet ab ipsomet judice, sive censura fuerit lata per modum statuti, sive per modum sententiæ ; si verò censura fuerit lata à jure communi, denuntiatio fieri debet ab Ordinario loci, ubi censura incursa fuerit (Clement. 1, *de Privil.*), vel ab Ordinario domicilii, ut supra diximus (5682) : sed tunc præcedere debet citatio rei (Clem. *Sæpe*, *de verbor. signific.*). Hæc denuntiatio fieri debet per proclamationem publicam in ecclesiâ, vel per scriptum ad valvas ejusdem affixum, juxta morem receptum cujusque diœcesis. (Vide Thecl. Tolos., *de Censuris*). Si reus satisfactionem offerat, statim est absolvendus (S. Liguor., lib. 7, n° 56).

6423. Parochus cui censuræ denuntiatio mandatur tenetur regulariter obtemperare, juxta cap. *Pastoralis* 28, *de offic. jud. deleg.*, ubi dicitur : « Attendentes... quòd non cognitio sed executio tantùm demandatur..., respondemus quòd... teneatur exequi, nisi apud judicem efficere possit ut ab hoc onere ipsum absolvat. » — Si tamen parochus certus esset sententiam esse injustam, etiam juxta probata,

non deberet illam executioni mandare. Si verò sententia esset justa secundùm allegata et probata, et aliunde parochus sciret ex scientiâ privatâ illam esse injustam, si non posset obtinere ut à Superiore reformaretur, teneretur illam exequi. (S. Liguor., lib. 7, nº 68, *in fine*.)

6424. Quærit. An censura ferri possit sub conditione?

Resp. Affirmativè ex cap. *Præterea* 2, *de appell.* Sed censura non incurritur tunc nisi conditione impletâ; unde non incurritur, si ante impletionem conditionis, appelletur; vel si creditor, pendente conditione, proroget terminum à judice assignatum.

6425. Advertendum autem quòd appellatio ante sententiam censuræ eam suspendat; secus si fiat post sententiam. S. Liguor., lib. 7, nº 63.

§ VI.

De causis excusantibus à censurarum observatione.

6426. — I. Causa est *ignorantia* vel inadvertentia excusans à gravi peccato, vel etiam ignoratio solius censuræ (cap. *Apostolicæ* 9, *de clerico excomm.*). Vide dicta supra (6394, 6395).

6427. In dubio autem circa existentiam censuræ, certè non incurritur, si reverà non existat; si verò censura existat, quamvis sit dubia, incurritur si moraliter non adhibeantur media sufficientia ad veritatem detegendam. Excipe nisi censura ferretur tantùm contra *temerarios*, ve *præsumentes*, etc. Si autem hæc media adhibeantur et dubium supersit, juxta communem ac veriorem sententiam, tunc censura non incurritur, licet expediat tunc ad *majorem cautelam*, se abstinere et petere absolutionem. Vide Stremler (*Des Peines ecclés.*, p. 220).

6428. — II. Causa est *metus gravis* mali, aut urgens et gravis necessitas : v. g. necessitas vitandi grave scandalum casu quo occulta est censura; vel celebrandi ad administrandum infirmo proximè periclitanti. Leges enim Ecclesiæ non obligant cum magno incommodo. Vide dicta supra (6396).

6429. — III. Causa est *nullitas censuræ :* censura enim non existens non obligat, saltem ex se : Clem. 2, *de sentent. et re judic.* Vide duas decisiones S. Cong. Conc., 15 sept. 1800 et 24 mart. 1753, à D. Stremler citatas (*ib.*, p. 221).

Nullæ autem esse possunt censuræ : 1° defectu jurisdictionis ex parte ferentis : quod contingere potest, aut ex eo quòd jurisdictio Superioris sit à jure limitata, aut quia per censuras est impedita, aut appellatio fuit interposita antequam censura fuerit lata, aut denique quia censura in non subditum prolata fuit; 2° nullæ pariter sunt censuræ, etiam in foro conscientiæ, ob omissionem formalitatum essentialiter in processu requisitarum, velut si omitteretur citatio in casu non omnino notorio, vel si reo denegaretur facultas se sufficienter in judicio tuendi : hoc non est intelligendum de censuris *latæ sententiæ*, ut de se liquet; 3° nullæ essent censuræ ob absentiam causæ sufficientis, si nempe nulla esset culpa vel si juridicè de illà non constaret, quando per sententiam censura infligitur. Casu verò quo censura est *latæ sententiæ*, incurritur quidem in foro conscientiæ si commissum fuit crimen, licet de eo juridicè non constet, sed denuntiari nequit, nisi hoc crimen juridicè sit probatum. Stremler (*Des peines ecclés.*, p. 213, 215 et 216).

6430. In 1° et 2° ex his casibus nullitatis censura nullum producit effectum, nec est observanda tàm in foro externo quàm interno, modò causa nullitatis sit publica; in tertio verò, censura non ligat quidem in foro interno, sed est observanda in externo, quando prolata fuit à judice competente, et juris ordo servatus fuit. Vide cap. *Sententia* 1, causa 11, q. 3, ubi S. Gregorius dicit : « Sententia Pastoris, sive justa fuerit, sive injusta, timenda est. » Vide etiam cap. *Venerabilibus*, *de sent. excomm.*, in 6°, et cap. *Cui est* 46, causa 11, q. 3.

6431. In dubio an censura sit incursa necne, non est obligatio illam servandi in foro conscientiæ, sive dubium sit facti, sive sit juris, quia possidet libertas, et in dubio odia sunt restringenda. Si verò dubitaretur tantùm de obtentâ absolutione, aut appellatione interpositâ, reus deberet

se habere ut censuratum quia possessio stat pro superiore; et idem dicendum si dubium sit de potestate superioris, quando hic pacificè eam possidet (S. Lig., lib. 7, n° 67). In dubio an censura sit justa necne, quidquid dicant nonnulli ap. S. Liguor. verius est dicendum quòd justa sit habenda, quia in dubio possidet potestas superioris (*ib.*, n° 68). Vide cap. *Illud, de clerico excomm.* Item, licet reus habeat opinionem probabilem pro se, tenetur parere judici aliquid præcipienti sub censurâ, v. g. solutionem pecuniæ : ita communiter, quia aliàs nunquam finirentur lites. Qui tamen esset certus de suâ innocentiâ, nec solvere teneretur, nec se gerere ut censuratum in privato; si autem talis in publico censuram violaret, v. g. sacris ministrando, etsi irregularitatem non incurreret, cùm reverà coram Deo non sit censurâ ligatus, peccaret tamen ob scandalum et à judice etiam puniri posset nisi publicè constaret censuram esse nullam. S. Liguor. (*ib.*, 68); Stremler, *ibid.*

6432. — IV. Causa est appellatio legitimè interjecta antequam incursa fuerit censura, quia post talem appellationem jurisdictio judicis est suspensa, nec proinde potest ferre sententiam quâ quis censuris ligetur; sed si censura est incursa, quia nempe fuit *latæ sententiæ*, tunc appellatio non excusat ab obligatione hanc censuram servandi, licet fuerit injusta si non sit invalida, quod contingit quando, v. g. non fuerunt observatæ formalitates à lege præscriptæ, modò tamen eæ formalitates non sint præscriptæ sub pœnâ nullitatis (cap. *Is cui* 20, *de sent. excomm.* in 6°; cap. *Ad reprimendum* 8, *de offic. jud. ordin.*).

6433. Hæc dicta intelligenda sunt etiam de appellatione à suspensione latâ in modum meræ pœnæ, quæ si fuerit incursa, non suspenditur per appellationem.

His tamen non obstantibus, appellatio suspensionis à beneficio, vel ab usu pallii, vel à Pontificalibus, habet effectum suspensivum, juxta Barbosam à D. Stremler citatum (*Des peines ecclés.*, p. 308) : unde appellans potest percipere fructus beneficii, vel uti pallio, vel Pontificalibus usque ad sententiam judicis appellationis.

§ VII.

De pœnis quæ per violationem censurarum incurruntur.

6434. *Prima pœna* cui subduntur violatores censurarum si per exercitium ordinum illas violare præsumpserint, est irregularitas : de ejusmodi pœnâ satis diximus supra (1743, etc.).

Secunda pœna quam iidem incurrunt est quòd si moniti non desistant sic censuras violare, plecti possint pœnâ depositionis officii et beneficii (cap. *Clerici* 3, et cap. *Latores* 4, *de clerico excomm.*).

Si autem censura violata sit major excommunicatio, et per missæ celebrationem violetur, talis delicti reus suis beneficiis ipso jure privatur, quamvis non teneatur illa dimittere ante sententiam declaratoriam. (Cap. *Fraternitatis* 6, *de clerico excomm.*).

Sunt etiam aliæ pœnæ latæ contra violatores censurarum aliter quàm per exercitium ordinum. Variæ autem sunt pro censurarum diversitate : de iis loquemur in decursu, prout se dabit opportunitas. Vide Stremler (*Des peines*, etc., p. 219).

§ VIII.

De cessatione censurarum et illarum absolutione.

6435. — 1. Cessare hîc dicuntur censuræ, in quantùm desinunt obligare aliter quàm per eorum absolutionem ; et hoc intelligitur duntaxat de censuris nondum incursis.

Etenim censuræ nondum incursæ vel feruntur per legem generalem, vel per præceptum particulare : *si per legem*, conditionem legum sequuntur : cessare ergo possunt, vel per expressam legislatoris revocationem, vel per contrariam consuetudinem legitimè introductam seu desuetudinem ; *si per præceptum*, non solùm cessare possunt per præcepti revocationem à legitimo Superiore factam, sed etiam per ipsius mortem, aut ipsius amotionem quâ jurisdictione privatur : quod tamen intelligi non debet de casu quo judex

aliquid præcipit sub censurâ, prævià monitione canonicâ : hujusmodi præceptum obligat etiam post ipsius judicis mortem aut remotionem, et censura incurri potest. Qui autem semel est censuris innodatus ab iis, si sint veræ censuræ, solvi nequit nisi per absolutionem de quâ est nunc agendum.

6436. — II. Absolutio censurarum *est ipsarum relaxatio vi clavium facta, per superiorem competentem.* Diximus ergo quòd censuræ strictè dictæ, semel incursæ, per solam superioris competentis absolutionem tolli possint, quod sic probatur :

Si alio modo censuris innodatus ab iis eximi posset, certè vel per sui mortem aut emendationem, vel per mortem ferentis, vel denique per cessationem legis aut præcepti. Atqui 1° censuræ non tolluntur per mortem rei, ut constat ex cap. *A nobis* 28, et cap. *Sacris* 38, *de sentent. excomm.*, ubi mortuus sinè absolutione censurarum privatur sepulturâ ecclesiasticâ ; — 2° non cessant per emendationem et cessationem contumaciæ aut satisfactionem, ut expressè ait Clemens III, cap. *Cùm desideres* 15, *de sent. excomm.*, et Greg. IX, cap. *Quamvis* 58, ejusdem tituli : unde damnata fuit ab Alexandro VII, propositio sequens : « *Quoad* » *forum conscientiæ, reo correcto ejusque contumaciâ ces-* » *sente, cessant censuræ* » : censuratus tamen potest in gratiam reintegrari per contritionem perfectam, ante absolutionem censurarum ; — 3° non cessant per mortem ferentis, ut patet ex cap. *Pastoralis, de officio judicis ordin.* 11, § *Præterea ;* 4° nec tandem per cessationem legis aut præcepti : quia hujusmodi cessatio impedit quidem quominus postea subditus teneatur sub censuris legem aut præceptum observare ; sed non solvit eum qui ante dictam cessationem censuris jam fuerat ligatus. Ergo solà absolutione tolli possunt censuræ jam incursæ.

6437. Dictum fuit *censuræ strictè dictæ*, quia censuræ vindicativæ, ad certum tempus latæ, desinunt sinè absolutione, elapso termino ipsis assignato.

Si verò excommunicatio ad certum tempus incuteretur non cessaret sinè absolutione, juxta Stremler (*Des Peines*

eccles., p. 227) qui citat Suarez, *De cens.*, disp. 7, sect. 1, n° 11, et Barbosam. Contra tamen videtur sentire S. Liguor. (lib. 7, n° 123).

6438. Quærit. 1° A quo censuræ debeant absolvi ?

Resp. Generatim ad tollendas censuras, eædem ex parte absolventis requiruntur conditiones ac eæ quæ exiguntur ad illas ferendas : unde absolvi debent vel ab eo qui eas tulit, vel ab ipsius Superiore, aut Successore, aut delegato. Attamen in specie : 1° Si censuræ non sint reservatæ et sint à jure latæ, certè absolvi possunt sive ab Episcopo, sive à proprio sacerdote ; illud constat ex cap. *Nuper*, *de sent. excomm.*, ubi quidem est tantùm sermo de excommunicatione minore, sed ejus canonis dispositio communiter ad cæteras censuras extenditur. Idem possunt Capitulum, sede vacante, Prælati Religionum et Prælati omnes jurisdictionem quasi-episcopalem possidentes ; imò licet contradicant S. Anton. et alii pauci, idem communiter affirmatur cum S. Thomâ (*Suppl.*, q. 24, art. 2) de omnibus confessariis, et id etiam constat ex eod. cap. *Nuper*, ubi Innocent. III dicit : « A suo Episcopo, vel à proprio sacerdote poterit » absolutionis beneficium obtinere : quamvis enim et tunc » non judicis, sed juris sententiâ... sit ligatus, quia tamen » Conditor canonis ejus absolutionem sibi specialiter non » retinuit, eo ipso concessisse videtur facultatem aliis » relaxandi » : ex quo liquet pertinere ad proprium sacerdotem absolvere à censuris canonis seu à jure, etiam declaratis à judice, quoties censura non reservatur ; sed per proprium sacerdotem ubi agitur de absolutione intelligitur quilibet confessarius, modò confessio incepta fuerit, ut supra diximus (1573) ; ergo, etc.

6439. Excipit Lequeux à præfatâ regulâ censuras illatas in modum *pœnæ vindicativæ* quæ censentur implicitè reservatæ, saltem quoad eos qui habent jurisdictionem in solo foro interno, eò quòd illarum relaxatio non præcisè absolutionem sed dispensationem exigat : dicit insuper idem Lequeux quæstionem esse controversam quoad eos qui habent jurisdictionem in foro externo, si hujusmodi

censuræ sint juris communis (nº 1454, vº *Exponitur*, et *Probat. secunda pars*).

6440. Sed S. Liguor. (lib. 7, nº 70) tenet quòd præfata absolutio censurarum, quamvis à simplici confessario data, valeat etiam pro foro externo, modò acceptetur à judice, quia decreta SS. Pontificum forum externum præcipuè spectare solent, et aliunde favores sunt ampliandi : hoc tamen non admittit D. Stremler (*ib.*, p. 242), quia, inquit, absolutio censurarum probari debet in foro externo; porrò absolutio sacramentalis nequit probari; ergo, etc. Sed dici posset quòd sufficienter probari valeat, si judex cum consensu pœnitentis velit adhærere testimonio confessarii. Necessarium tamen est ut à judice absolutio admittatur quando censura non est tolerata. Ratio patet. In casu verò quo censura non est denuntiata, sufficit absolutio data in foro interno, modò de illâ constet ut supra, ut censuratus notorius possit admitti ad participationem sacramentorum. Secus sentit D. Stremler, etiam in hoc casu (*ib.*, p. 244).

6441. Quod absolutio possit dari à simplici confessario quando non est reservata, S. Liguorius extendit ad suspensionem et interdictum personale non reservatum, etsi absolutio ipsarum non sit necessaria ad receptionem sacramentorum, eò quòd concessio favorabilis meritò amplietur.

An autem simplex sacerdos non approbatus pro confessione possit absolvere à censuris non reservatis, quæ sunt à jure, quidquid dicant Salmantic. et alii nonnulli, omninò negandum est, cùm ex dicto capitulo *Nuper*, absolutio est danda duntaxat *à proprio* sacerdote, qualis nequit intelligi simplex sacerdos. (S. Lig., lib. 7, nº 71.)

6442. — 2º Si censuræ sint ab homine et ferantur per modum *sententiæ particularis* contra determinatas personas, absolvi nequeunt nisi ab ipsomet ferente, vel ab ejus Superiore, aut Successore aut delegato : proinde non à Metropolitano nisi in casu appellationis, et hoc quidem modò censura certè fuerit injusta, vel injustè absolutio sit denegata ab Ordinario. Vide cap. *Ad reprimen-*

dam 8, *de offic. jud. ordin.* Est certum et commune. Si tamen judex testaretur censuratum jam satisfecisse, vel esse emendatum, tunc censeretur vel ipsum jam absolvere, vel à quolibet absolvendum remittere. Prædicta regula intelligitur etiam de casu quo quis deliquit in alieno territorio et ab Episcopo loci specialiter excommunicatur; talis excommunicatio absolvi nequit etiam à proprio Episcopo, nisi de Episcopi loci delicti licentiâ.

6443. Si verò censuræ ab homine ferantur per sententiam generalem et non sint reservatæ, absolvi possunt à quocumque, quia hujusmodi censuræ æquiparantur censuris latis à jure, et aliunde favores sunt ampliandi : hoc tamen controvertitur, sed ut probabilius habetur à S. Liguor., lib. 7, nº 73.

3° Quando censuræ latæ à jure sunt reservatæ, regulariter absolvi nequeunt nisi à S. Pontifice aut ejus delegato; de iis dicitur in Conc. Trident. (sess. 24, c. 6) : « Liceat » Episcopis in irregularitatibus omnibus et suspensionibus, » ex delicto occulto provenientibus, exceptâ eâ quæ oritur » ex homicidio voluntario, et exceptis aliis deductis ad forum » contentiosum, dispensare; et in quibuscumque casibus » occultis, etiam Sedi Apostolicæ reservatis, delinquentes... » sibi subditos in diœcesi suâ per seipsos, aut Vicarium ad » id specialiter deputandum, in foro conscientiæ gratis ab- » solvere, impositâ pœnitentiâ salutari. Idem et in hæresis » crimine, in eodem foro conscientiæ eis tantùm, non » eorum Vicariis, sit permissum. »

6444. Lis autem fuit an prædicta facultas à Trident. concessa, fuerit revocata per Bullam *Cœnæ* quoad casus in eâ reservatos, inter quos maximè est hæresis (de quâ v. 1635) ; sententia affirmans habenda erat ut verior et ut tenenda, juxta Bened. XIV (*De Syn.*, lib. 9, cap. 4 et 5). Constat ex verbis Bullæ *Cœnæ*, ubi dicitur : « Nullus per » alium quàm per Romanum Pontificem, nisi in mortis » articulo absolvi possit, prætextu quarumvis facultatum » et indultorum, quibuscumque personis, etiam Episco- » pali vel majori Dignitate præditis... per Nos et dictam » Sedem, ac cujusvis *Concilii* (quod nota) decreta conces-

» sorum, vel concedendorum. » Ergo per dictam Bullam derogatum fuit Concilio Tridentino; nec obstat quòd ex cap. *Ex parte*, *de capell. monach.*, per clausulam generalem. non revocentur facultates per Concilium Generale concessæ : nam respondetur hoc esse verum de clausulis generalibus revocatoriis quæ in rescriptis inseruntur, quia strictè intelligi debent clausulæ rescriptorum, non verò de clausulis quæ inseruntur Constitutionibus Pontificiis, quæ non ita strictè sunt intelligendæ. Præterea clausula Bullæ *Cœnæ* inserta sufficienter est derogatoria Concilii Trident., cùm non fuerit aliud Concilium quod facultatem absolvendi ab hæresi et aliis casibus occultis Episcopis concesserit. Ita censuerunt quoad hæresim, S. Pius V et Clem. VIII, ut est videre ap. S. Liguor. (lib. 7, nº 83) : accedit ad hæc damnatio proposit. 3, ab Alexandro VII, 24 sept. 1665, quæ sic habet : « Sententia asserens Bullam » *Cœnæ* solùm prohibere absolutionem hæresis et aliorum » criminum, quando publica sunt, et id non derogare » facultati Tridentini in quâ de occultis criminibus sermo » est, anno 629 18 julii, in Consistorio Sacræ Congreg. » Eminent. Cardinalium visa et tolerata est. » Vide ap. Bened. XIV (*De Syn.*, lib. 9, c. 4, nis 9 et 10); et dicta supra (1166-1169, 6119, 6120).

6445. *Nota* 1° quòd licet Episcopi nequeant absolvere ab hæresi occultâ, possunt tamen dispensare in irregularitate ex hæresi occultâ contractâ. S. Liguor., lib. 7, nº 76.

6446. Quoad censuras Sedi Apostolicæ reservatas, communiter olim velut certum habebatur Episcopos posse uti facultate ipsis à Tridentina Synodo, si fuerant reservatæ ante dictam Synodum; si vero fuerunt reservatæ post hoc Concilium, disputabatur utrum ad tales censuras extendi poterat privilegium a cap. *Liceat* concessum; valde tamen probabiliter affirmabatur, si in Constitutionibus Pontificiis, quibus fiebat reservatio nil esset derogatorium Concilii Trid. Ut autem derogatorium haberi debebat, si in Bulla dicebatur : « A quâ, præterquam à Romano Pontifice nisi *in* » *articulo mortis*, absolvi nequeat prout dicitur in Bulla

» S. Pii V, qua Sedi Apostolicæ reservatur peccatum » monialis frangentis clausuram. »—V. S. Liguor., lib. 6, nº 594, et Stremler, *Des peines ecclés.*, p. 239.

6447. Sed hodie, post Const. *Apostolicæ Sedis* Pii IX, solæ censuræ, speciali modo Papæ reservatæ, excipiuntur a dicto privilegio Episcopis concesso sess. 24, c. 6, Conc. Trid. — V. supra (1639).

6448. *Nota* quòd, juxta veriorem sententiam, casus papales haberi debeant ut adhuc S. Sedi reservati, etiamsi delinquens de iis fuerit punitus in foro alterius diœcesis. (S. Liguor., lib. 7, nº 77.)

6449. Dubitatur utrum crimen in uno loco publicum possit absolvi ab Episcopo alterius loci ubi est occultum : probabiliter affirmatur, dummodo locus ubi crimen est notum ita distet, ut non sit timor quòd publicetur ubi est occultum. (S. Liguor., lib. 7, nº 78.)

6450. Nomine autem Episcoporum quibus privilegium concessum est à Tridentino veniunt etiam Abbates et alii jurisdictionem Episcopalem habentes : item Capitulum, sede vacante. S. Liguor., lib. 7, nº 79.

6451. Juxta communiorem ac probabiliorem sententiam Episcopus potest in irregularitatibus et suspensionibus occultis dispensare cum suo subdito qui versatur in alienâ diœcesi, quia absenti dispensatio potest concedi. Dicitur quidem in præfato capite *Liceat*, in *diœcesi suâ :* sed particula satis verificatur quando vel Episcopus vel subditus existit in proprià diœcesi; et insuper hæc verba possunt intelligi de solis *casibus reservatis*, ut contextus satis evincit : ex quo auctores inferunt quòd etiamsi uterque tàm Episcopus quàm subditus, sint extra diœcesim, benè poterit Episcopus dispensare super irregularitate et absolvere à suspensionibus.

6452. « Benè autem advertit Palaus... Episcopum non » posse dispensare in irregularitatibus, vel absolvere à » suspensionibus (*Papæ*) reservatis, cum alienigenis » etiamsi ipsi habeant quasi-domicilium in suâ diœcesi ex

» Declar. Gregor. XIII, relatâ lib. 6, 593. » Ita S. Liguor., lib. 7, n° 93, *in fine*. Vide dicta supra (1612).

6453. Nequit Episcopus delegare facultatem absolvendi à casibus papalibus occultis, extra sacramentum Pœnitentiæ, ut declaravit Gregorius XIII. Vide S. Liguor., lib. 6, n° 593, § *Hic autem*. Vide tamen infra dicenda (6478).

6454. Quærit. 2° An Episcopi possint absolvere à censuris Bullæ *Cœnæ* impeditos Romam adire?

Resp. Tres esse sententias, juxta S. Liguor. (lib. 7, n° 84). *Prima* absolutè negat, quia in Bullâ *Cœnæ* excipitur tantùm articulus mortis; *secunda* negat tantùm quoad hæresim, non verò quoad cæteros casus : quia ex Gregorio XIII facultas absolvendi à reservatis, non intelligitur de hæresi si sit solùm generaliter concessa, et de eâ expressa mentio non fiat; *tertia* quæ communis est, cuique ipse S. Liguorius subscribit, docet Episcopos posse per se vel per alios ab ipsis specialiter delegatos absolvere in utroque foro legitimè impeditos [1], ab omnibus casibus, et etiam ab hæresi, præstito tamen juramento quòd se sistent postea coram Superiori [2] : ratio est quia, existente impedimento adeundi Papam, restituitur Episcopis potestas ordinaria absolvendi, non vi Concilii Trident., sed vi juris communis, ut constat ex cap. *Ea noscitur* 13, *de sentent. excomm.*, ubi : « Mulieres, senes et valetudinarii, seu mem- » brorum destitutionibus impediti, *licet ad Apostolorum* » *Sedem non veniant*, ab Episcopis valeant fidelium com- » munioni restitui. » Idem sancitur in cap. *Quamvis* 58; in cap. *De cætero* 11, et in cap. *Nuper* 29 ejusdem tituli.

[1] In dubio de sufficientiâ impedimenti, Episcopus debet consulere S. Sedem, ex cap. *Mulieres, de sentent. excommun.* (Vide Stremler, p. 231).

[2] Pro foro interno sufficit promissio, juxta plures à S. Liguor. citatos (lib. 7, 92) : Imò in Galliâ, juxta Theologiam Tolosanam (*De censuris*); Collet (*De censuris*, pars 1, cap. 5, art. 1 et art. 2, quær. 1°), et Lequeux (n° 1457, *in fine*), contraria prævaluit consuetudo : an autem hæc sit legitima, nescimus : in istâ verò diœcesi Valentinensi exigitur ut pœnitens à censuris absolutus in articulo mortis se sistat, postea, si convalescat, coram Episcopo, aut coram ipsius delegato. Vide *Ordonn.*, p. 316.

Loquuntur quidem præfata capitula de censurâ ob percussionem clericorum illatâ; sed communiter DD. decisionem ad cæteras extendunt ob paritatem rationis. Cap. autem *Eos qui* 22, *de sentent. excomm.*, in 6°, de omnibus casibus papalibus loquitur. (Idem nunc dicendum de cas. special. res.)

6455. Præfatum autem impedimentum intelligi non debet de brevi tempore, nisi urgeat necessitas celebrandi aut communicandi ad vitandum scandalum vel infamiam. Porrò quando impedimentum est ad longum tempus, ad annum au ad sex menses (quidam dicunt etiam ad unam noctem; sed neque ad biduum admittit Viva quia tali spatio non adest morale periculum), reus, nisi sit impubes, absolvi non debet, nisi præstito juramento quòd, cessante impedimento, ad Sedem Apostolicam quantociùs se præsentabit; aliàs recidet in eamdem excommunicationem (cap. *De cætero*, *de sent. excomm.*; et cap. *Eos qui*, *de sent. excomm.*, in 6°); S. Liguor. (lib. 7, n° 86) : et sic se præsentare debet reus etiamsi constet ipsum esse omninò emendatum et partibus satisfecisse. Ita sententia communior et probabilior, juxta eumdem S. Liguor. (*ibidem*, n° 87).

6456. Si autem impedimentum esset perpetuum (et ad hoc sufficit, juxta Tamb. et Viva, quòd duret per decennium, et etiam per quinquennium), absoluti omnino manent liberi ab obligatione comparendi : ita communiter (*ib.*, n° 88). Quinam verò censendi sint perpetuò impediti, diximus supra (1622).

6457. Nec etiam immunes sunt ab obligatione comparendi qui absolvuntur à censuris etiam papalibus in articulo mortis (Vide cap. *Eos qui*, *de sent. excomm.*, in 6°); S. Liguor. (lib. 7, n° 92); sed vide supra (1614).

6458. Si verò ageretur de casibus reservatis absque censurâ, nulla esset obligatio adeundi Superiorem casu quo absolutio datur in articulo mortis, quia cessat tunc omnis reservatio et peccata directè absolvuntur etiam à simplici sacerdote; si verò hujusmodi peccata absolverentur ab inferiore propter necessitatem et difficultatem superiorem

adeundi, remaneret obligatio se sistendi coram superiore, vel ipsius delegato, quia peccata reservata non remittuntur directè ab inferiore, cùm in casu non cesset reservatio. (S. Liguor., lib. 7, n° 91.)

6459. Ex cap. *Nuper* 29, *de sentent. excomm.*, impeditus Episcopum adire absolvi potest à proprio sacerdote seu à confessario, nonnisi tamen ex defectu Episcopi, qui priùs adiri debet si potest, ut colligitur ex cap. *Noscitur*, et cap. *De cætero*, *de sent. excomm.* : satis tamen probabile est quòd in periculo mortis quilibet confessarius possit, etiam præsente Episcopo absolvere à casibus papalibus, quia tunc omnis reservatio cessat. Nec obstat cap. 11 et 13, *de sentent. excomm.*, quia probabiliter intelligi non debent nisi de casu percussionis clericorum. S. Liguor. (lib. 7, n° 92); Stremler (*Des Peines ecclésiast.*, p. 231); et supra dicta (1614, etc.).

6460. Cùm autem Episcopi habeant ex jure communi potestatem absolvendi impeditos à casibus papalibus, illam potestatem utpote ordinariam delegare possunt, etiam generaliter et quoad hæresim, non obstantibus verbis cap. *Liceat* Trident. supra relati (6443), ubi dicitur *eis tantùm non eorum vicariis*, quia hæc verba intelligenda sunt tantùm de potestate à Concilio concessà absolvendi occultos hæreticos, quæ, ut supra diximus (6444), sublata fuit per Bullam *Cœnæ*, non verò de potestate absolvendi impeditos, quam Episcopi habent aliunde quàm per dictum Concilium : vide S. Liguor. (lib. 7, n° 90) et supra (1166, 1169). Pro irregularitatibus et suspensionibus vide S. Liguor. (*ibidem*, n° 93).

6461. Quærit. 3° Quomodo sit danda absolutio à censuris?

Resp. Modum observandum pendere à naturâ tùm censuræ, tùm absolutionis.

In genere verba determinata non requiruntur, sed sufficiunt ea signa quibus apertè significetur absolutionem impendi : sic Papa conferens beneficium excommunicato censetur illum eò ipsò absolvere. S. Congr. Conc., 26 apr.

1749 : non autem sufficit sola voluntas judicis. (Stremler, *Des peines ecclés.*, p. 249.)

6462. In foro externo servanda est forma cujusque Episcopatûs. In foro verò interno, hæc communiter adhibetur : *Ego te absolvo*, v. g. *à vinculo excommunicationis, suspensionis, etc., quam incurristi propter* (causa exprimitur), *et* (si sit excommunicatus) *restituo te sacramentis Ecclesiæ et communioni fidelium* (aut si sit suspensus) *executioni tuorum ordinum, vel officiorum : In nomine Patris*, etc.

6463. In publicâ ac solemni absolutione, à Rituali Romano indicatur forma observanda quando à Superiori non determinatur propria et specialis. Formula autem Pontificalis vel dicti Ritualis, omitti potest absque culpâ, saltem gravi, ex consensu omnium, juxta Stremler (*ib.*, p. 246). — Absolutio tamen externa seu in foro externo est necessaria quoties censuratus fuit denuntiatus, aut est publicus clerici percussor, saltem extra Galliam, quia in his casibus, censura producit effectus qui non possunt cessare nisi per absolutionem externè datam. Vide supra (6119).

6464. In dicto Rituali dicitur quòd si crimen, ob quod incursa fuit excommunicatio, sit *grave*, juramentum exigi debet à censurato quòd parebit mandatis Ecclesiæ ; et deinceps non delinquet contra canonem vel decretum ob cujus violationem censuram incurrit : id verò fuerat præscriptum à cap. *De cætero* et cap. *Ex tenore, de sentent. excommunic.* ; porrò illud grave peccatum communiter DD. intelligunt *de scandalosè violantibus ecclesias, graviter percutientibus clericum, de incendiariis, usurariis publicis, notoriis percussoribus Episcoporum, Cardinalium*, etc. ; non verò de peccatis non ita gravibus, et hoc currit tàm in foro interno, quàm externo. S. Liguor., lib. 7, n° 129.

6465. *Nota* 1° quòd non sit danda absolutio à censuris, nisi priùs parti læsæ satisfactum fuerit : alioquin absolvens graviter peccat, et ad restituendum tenetur, quia ex officio satisfactionem debitam tenetur procurare. Tres casus tamen excipiuntur : 1° si pars læsa injuriam remittat, quod applicari potest etiam percussori clerici qui injuriam expressè

vel tacitè, familiariter tractando, remittit quin ecclesiæ satisfaciat, 2° quando pars læsa rejicit justam satisfactionem oblatam; 3° quando reus est impotens ad satisfaciendum : sufficit tunc ut cautionem præstet si possit vel saltem juret se esse soluturum cùm poterit. Ex cap. *Odoardus, de solut.*, et cap. *Ex parte* 23, *de verb. signif.*

6466. *Nota* 2° quòd ex cap. *Per tuas, de sent. excomm.*, absolutio non sit danda nisi censuratus absolutionem petat. Si tamen sit emendatus à peccato, validè potest absolvi, etsi renitat. Si verò non sit emendatus non potest absolvi nisi à ferente censuram, casu quo peccatum habet tractum successivum, ut hæresis, furtum; secus si tractum successivum non haberet, ut perjurium, blasphemia. Aliquando autem, ex justâ causâ, dari potest absolutio, etiam contumaci, ob bonum publicum, vel ut reus faciliùs resipiscat, sed hoc non potest fieri ad effectum lucrandi jubilæum, quia usus talis privilegii pendet à dispositionibus privilegiati. Vide Bullam Bened. XIV *Inter præteritos.* (S. Liguor., lib. 4, n° 537, q. 2.)

6467. *Nota* 3° quòd si quis esset innodatus pluribus censuris absolvi posset ab unâ et non ab aliis, unde si censuratus absolutionem ab unâ censurâ tantùm petat, malitiosè alias celans, ab unâ tantùm est absolutus, nisi superior aliud exprimat (cap. *Cùm pro causâ* et cap. *Officii, de sent. excomm.*). Si autem sinè dolo alias tacuisset, judicatur ab omnibus absolutus nisi constet absolventem aliud intendisse. (S. Liguor., lib. 7, n° 131.)

6468. *Nota* 4° quòd confessarii qui habent privilegium speciale pro absolvendis censuris Sedi Apostolicæ reservatis, non ideo valeant absolvere à censuris Ordinario reservatis. (Stremler, *Des Peines ecclés.*, p. 236.)

6469. *Nota* 5° quòd ex Concil. Trident. (sess. 25, c. 3, *de ref.*, in fine) : « Si excommunicatus obdurato animo, » censuris innexus, in illis per annum insorduerit, etiam » contra eum, tanquam de hæresi suspectum, procedi » possit. » Vide insuper regulam 66 Cancellariæ Apostolicæ. (Stremler, *ib.*, p. 245.)

6470. *Nota* 6° quòd suspensiones et interdicta lata in

modum meræ pœnæ cessent, non per absolutionem sed per dispensationem, prout aliæ pœnæ vindicativæ. (Stremler, *ib.*, p. 251.)

6471. *Nota* 7° verba Concil. Lugduni. II (cap. *Absolutionis, de his quæ vi*, etc., in 6°): « Absolutionis beneficium » ab excommunicationis sententiâ, vel quamcumque revo- » cationem ipsius, aut suspensionis seu etiam interdicti per » vim vel metum extorta... viribus omnibus vacuamus. » Ne autem sinè vindictâ, violentiæ crescat audacia, eos » qui extorserint, excommunicationis sententiæ decerni- » mus subjacere. » Hæc excomm. ablata est C. *Ap. Sedis.*

6472. *Nota* tandem 8° quòd præter absolutionem datam in casibus quibus censuræ certò fuerint incursæ, sit etiam absolutio *ad cautelam* quæ ad majorem securitatem datur, quominus omnis quæ fortè subesse posset dubitationis causa removeatur, ut solet fieri in rescriptis à S. Sede concessis. (Vide Devoti, lib. 4, tit. 21, § 5.)

6473. Quærit. 4° An valeat absolutio quando datur ob falsam causam, v. g. si judex absolvat quia reus se dicit emendatum, vel parti satisfecisse quod verum tamen non sit?

Resp. Negativè si deficiat causa principalis; secus si minus principalis, vel si judex certò conscius sit falsitatis. Ita communiter. (S. Lig., lib. 7, n° 132.)

6474. Quærit. 5° An invalida sit absolutio censuræ data à delegato, nondum satisfactâ parte, si facultas absolvendi data fuisset cum clausulâ *satisfactâ parte*.

Resp. Duplicem esse sententiam : probabiliorem tamen esse eam quæ affirmat nullam esse absolutionem in tali casu, quia clausula præfata veram importare videtur conditionem.

Omnes autem conveniunt quòd graviter sit peccaturus confessarius sic absolvendo, nondum satisfactâ parte.

6475. Quærit. 6° An possit dari absolutio censurarum sub conditione de futuro contingenti?

Resp. Affirmativè, quoad validitatem actûs, cùm actus jurisdictionis conditionatus esse possit; ordinariè tamen non expedit sic absolvere : ideo illicita de se talis est abso-

lutio, quamvis ex aliquâ causâ possit cohonestari. Si quis dicat : *Absolvo te, si intra mensem solvas*, factâ solutione intra dictum tempus, tollitur censura. (S. Liguor., lib. 7, n° 123.)

6476. Quærit. 7° An absens possit à censurâ solvi?

Resp. Affirmativè (cap. *De manifestâ* 17, c. 2, q. 1, cap. *Quanto* 8, c. 2, q. 5). Sed sinè causâ urgenti, absens absolvi non debet. Et si obtineatur absolutio per procuratorem debet iste habere mandatum speciale et constare debet de emendatione. S. Liguor. (lib. 7, n° 117).

6477. Quærit. 8° An dari possit absolutio ad reincidentiam, et an tunc requiratur nova culpa ad reincidendum?

Resp. Ad 1^m affirmativè, casu nempe quo absolutio datur sub certo onere, quo non impleto intra certum tempus, censura reviviscit.

Resp. Ad 2^m juxta Suarezium, non requiri tunc novam culpam, quia manet eadem censura, quæ non fuit sublata nisi sub conditione. Est tamen alia sententia quæ probabilior dicitur à S. Liguor. et quæ docet requiri novam culpam, quia prima censura non potest dici suspensa, nisi auctoritate Pontificis, et ideo sinè novâ culpâ renasci non potest. (S. Liguor., lib. 7, n° 125.)

6478. Quærit. 9° An habens potestatem absolvendi à censurâ in foro conscientiæ possit id facere etiam extra confessionem?

Resp. Id controverti. — Dicimus tamen id fieri posse quando non agitur de casibus papalibus; dicit verò Stremler (*Des peines ecclés.*, p. 232) quòd si Episcopus absolvat impeditos Romam adire, possit per se aut per alios, tàm in foro interno quàm externo, eos absolvere ; et hoc non contradicit absolutè declarationi Gregorii XIII citatæ à S. Liguor. (lib. 7, n° 126).

6479. Quærit. 10° An valida sit absolutio censurarum reservatarum accepta bonâ fide à confessario qui talem non habet potestatem?

Resp. Si error circa potestatem confessarii non sit communis, sed solùm privatus, invalida est talis absolutio, etsi non peccet accipiens ob suam bonam fidem : ratio est quia

nulla est in confessario potestas ex hypothesi, et nullibi videtur quòd Ecclesia suppleat talem defectum ob solum errorem privatum (secus est tamen dicendum in hâc diœcesi Valentinensi, quia Episcopus in casu providet indigentiæ pœnitentis ob suam bonam fidem. Vide *Ordonn.*, p. 346).

Si verò error sit communis et confessarius vulgò habeatur ut legitimè approbatus, valida est absolutio censurarum bonâ fide accepta, quia in hoc casu Ecclesia supplet jurisdictionem. D. Stremler exigere videtur bonam fidem ex parte sacerdotis absolventis (*ib.*, p. 241, 242): sed si revera id exigat, sinè fundamendo exigit quoad casum erroris communis, aut si error communis non adsit, bona fides absolventis sufficere nequit ad validitatem absolutionis quia hæc bona fides jurisdictionem non præstat.

6480. Quærit. 1° An qui obtinuit potestatem absolvendi à casibus Episcopo reservatis habeat eo ipso, potestatem à censuris iis casibus annexis absolvendi?

Resp. Si agatur de excommunicatione, qui potestatem accipit absolvendi à casibus reservatis eò ipso obtinuit potestatem absolvendi ab excommunicatione iis casibus ipso facto annexâ : ratio est quia alioquin non posset a casibus ipsis reservatis absolvere, cùm unus ex effectibus excommunicationis sit impedire receptionem sacramentorum, ut infra dicemus : ac proinde impedire peccatorum absolutionem. (Vide cap. *Præterea* 5, *de offic. deleg.*)

6481. Si verò agatur de suspensione aut interdicto, qui accepit ab Episcopo potestatem absolvendi à casibus reservatis in diœcesi, non ideò accepit potestatem absolvendi à suspensionibus aut interdictis iis casibus fortè annexis, et quæ essent reservata, nisi contrarium ab Ordinario diceretur, prout in hâc diœcesi Valentin., juxta *Ordonn.* p. 346. Ratio est quia hæ duæ censuræ non impediunt receptionem sacramenti pœnitentiæ, ut etiam dicturi sumus infra. — Secus est dicendum quando obtinetur à S. Sede potestas absolvendi à casibus ipsi reservatis, eò quòd casus non reserventur à S. Sede nisi ob censuras eis annexas; unde potestas data à talibus casibus absolvendi est præcipuè facul-

tas absolvendi à censuris ipsis annexis, quæcumque sint censuræ, excommunicationes, suspensiones aut interdicta.

ART. II.

DE CENSURIS IN SPECIE.

6482. Diximus tres esse species censurarum : excommunicationem videlicet, suspensionem et interdictum; tres ergo paragraphi erunt in hoc secundo articulo.

§ I.

De Excommunicatione.

6483. *Excommunicatio est censura per quam christianus privatur communione Ecclesiæ, seu bonis ipsius communibus, quatenus sunt vinculum unionis fidelium inter se.* Sicut enim bonis et commodis societatis sæcularis civis spoliari potest propter sua scelera, ita bonis spiritualibus quæ Ecclesia membris suis communicare valet, christianus potest orbari si iis indignum se demonstret propter sua crimina.

Cæteræ censuræ privant quidem bonis quibusdam Ecclesiæ, sed iis non privant quatenus sunt vinculum unionis fidelium inter se, et in hoc essentialiter differunt ab excommunicatione.

6484. Duplicis generis est excommunicatio : 1ª nempe *minor*, quæ tantùm privat usu passivo seu receptione sacramentorum et electione passivâ ad beneficia ecclesiastica; 2ª *major* quæ privat omni communione ecclesiasticâ, seu omnibus bonis spiritualibus quorum distributio ad Ecclesiam pertinet; dicitur *anathema*, quando contra hæresim decernitur, vel quando cum omnibus solemnitatibus fulminatur [1] : si nempe Episcopus illam pronuntiet, circumdantibus eum duodecim sacerdotibus sacris vestibus indutis et manu cereum accensum tenentibus, quem deinde projiciunt, extinguunt, pedibus calcant quædam maledic-

[1] Vide tamen cap. *Cùm non ab homine 10, de Judiciis*, et cap. *Engeltrudam* 12, causa 3, q. 4.

tionis verba proferendo. Can. *Debent* 106, Causa 11, q. 3. Vide Stremler (*Des peines eccles.*, p. 254).

6485. Nomine excommunicationis, nihil addito, intelligitur excommunicatio major non minor, ut constat cap. *Si quem* 59, *de sent. excom.* — Etsi excommunicatus majori excommunicatione sit omnibus Ecclesiæ bonis communibus privatus, non ideo tamen substractus est ab ipsius auctoritate et jurisdictione, sicut civis non desinit subjici potestati sæculari, casu quo privatur juribus suis civilibus.

PUNCTUM I.

DE MINORI EXCOMMUNICATIONE.

6486. Primis Ecclesiæ sæculis multiplicis speciei distinguebantur excommunicationes minores : erant autem sex præcipuæ, ex quibus quatuor totidem gradibus Pœnitentiæ publicæ respondebant, et ex aliis duabus una Episcopis propria erat, eosque privabat communione fratrum suorum Coepiscopórum et cæterarum Ecclesiarum, altera verò cæteros clericos afficiebat, ipsàque clerici amittebant locum honorificum ipsis in Ecclesiâ assignatum, reducebanturque ad laicalem communionem; hodie verò unica viget excommunicatio minor, privans usu passivo sacramentorum et electione passivâ ad beneficia, prout modò diximus. (Vide cap. *Si celebrat*, *de clerico excomm.*)

6487. Quamvis semper potuerit et adhuc possit Episcopus non per statutum, sed per mandatum speciale alicui interdicere usum sacramentorum passivum præsertim communionis, in pœnam alicujus criminis, solebat tamen, ante Constitutionem *Apostolicæ* sedis solum incurri minor excommunicatio ob communicationem cum excommunicato vitando, sed post dictam constit[m] non amplius sic incurritur, cum de ipsa sileat.

Quando autem jura dicunt communicantem cum excommunicato incurrere similem excommunicationem, sensus est quòd similiter, id est verè excommunicetur, licet minore excommunicatione. Propter communicationem cum excommunicato minori excommunicatione, etiam nomina-

tim denuntiato, nulla incurritur censura. Busembaum ap. S. Liguor. (lib. 7, n° 151).

6488. Incurri poterat excommunicatio minor, etiam ex peccato veniali, ut v. g., confabulando cum nominatim excommunicato denuntiato, casibus quibus non licebat ; modo tamen peccatum non fuisset veniale ex imperfectione advertentiæ. (*Ibid.*, no 153.)

Peccatum veniale, cui censura est annexa, declarari debet in confessione, cùm talis censuratus non debeat sacramenta recipere nisi priùs à censurâ absolvatur (*ib.*, n° 154) : non est tamen reservata excommunicatio minor (*ib.*, n° 155).

6489. Communiter DD. tenent excommunicatum minori excommunicatione graviter peccare aliquod sacramentum recipiendo.

Disputatur verò an etiam peccet ministrando sacramenta : commune quidem est illum saltem graviter non peccare, sed plures probabiliter tenent ipsum peccare saltem venialiter, quia in dicto capite *Si celebrat*, dicitur : *Peccat autem conferendo sacramenta*. Sed multi alii, probabiliter etiam, dicunt ipsum tunc nec venialiter peccare, quia in nullo textu juris reperitur ipsi vetitam esse sacramentorum administrationem sed solum receptionem, et expressè dicitur in præfato canone : « Cùm non videatur à » collatione, sed participatione sacramentorum remotus » ; si ergo in eodem canone dicatur quòd peccet ministrando, hoc debet intelligi de casu ubi excommunicatus esset vel Episcopus vel sacerdos et conferret ordines, vel communionem dispensaret in missâ, quia tunc debet communicare. (S. Liguor., lib. 7, n° 149.)

6490. Diximus (6484) excommunicationem minorem privare electione passivâ ad beneficia, ut habetur in eod. cap. *Si celebrat ;* porrò licet textus loquatur duntaxat de receptione per electionem, id tamen DD. extendunt ad receptionem per collationem et præsentationem, quia hæc tria æquiparantur in jure ; unde tàm excommunicatus beneficium accipiens, quàm eligentes, præsentantes et conferentes graviter peccarent, ob violationem in materiâ gravi præcepti ecclesiastici. Non tamen electio esset irrita,

sed solùm irritanda, quippe in canone dicitur: « si scienter » excommunicatus electus fuerit, ejus electio est irritanda.» Controvertitur ex cujus parte requiratur hæc *scientia* : alii volentes illam requiri tantùm ex parte electi, alii ex parte solùm electorum : unde practicè videtur requiri ex parte tam electi quàm electorum. Absolutio excommunicationis minoris nunquam reservatur (cap. *Nuper* 29, *de sent. excomm.*). Vide S. Liguor. (lib. 7, n° 150).

PUNCTUM II.

DE EXCOMMUNICATIONE MAJORE.

6491. Ex canone *Corripiuntur* 17, causa 24, q. 3, in Ecclesiâ *nulla pœna major est hâc pœnâ excommunicationis.* Ferri nequit licitè contra communitatem, collegium, etc., nisi à Papâ; sed ab aliis lata, non esset invalida, juxta Faganum apud D. Stremler (*Des peines ecclés.*, p. 291).

Diversi sunt effectus ejus prout afficit *toleratos* vel *non toleratos.*

6492. *Tolerati* sunt excommunicati, quando fideles non tenentur eos vitare; *non tolerati* verò sunt si sint vitandi à fidelibus; et hujusmodi sunt: 1° notorii clericorum percussores; 2° quivis nominatim excommunicati, et specialiter ac publicè denuntiati.

6493. Ante Concilium Constantiense vitandi erant omnes excommunicati : sed à tempore dicti Concilii vitandi sunt duntaxat excommunicati modò enuntiati : sic enim habet Martinus V in Extravag. *Ad vitanda scandala*, cujus non habetur quidem exemplar authenticum, sed quæ legitur ap. S. Antoninum et velut *authentica* communiter habetur, insertaque fuit postea Concordato Leonem X inter et Franciscum I inito, cum aliquâ tamen immutatione quoad excommunicatos notorios, qui omnes sunt vitandi juxta dictum Concordatum, sed in hoc ad praxim non fuit reductum.

« Ad vitanda scandala... indulgemus quòd nemo deinceps à communione alicujus in sacramentorum administratione, vel receptione, vel aliis quibuscumque divinis,

» vel extra, prætextu cujuscumque sententiæ, aut cen-
» suræ à jure vel ab homine generaliter promulgatæ,
» teneatur aliquem vitare, aut interdictum ecclesiasticum
» observare, nisi sententia vel censura hujusmodi fuerit
» *in* vel *contra* personam, collegium, etc., aut locum
» certum aut incertum, à judice publicata vel denuntiata
» specialiter vel expressè. Salvo si quem pro sacrilegâ ma-
» nuum injectione in clericum, sententiam latam à canone
» adeo notoriè constiterit incurrisse, quòd factum non
» possit aliquâ tergiversatione celari, neque aliquo suffra-
» gio excusari : nam à communione illius, licet denun-
» tiatus non fuerit, volumus abstineri, juxta canonicas
» sanctiones... Per hoc tamen, hujusmodi excommuni-
» catos seu prohibitos non intendimus in aliquo relevare,
» nec eis quomodolibet suffragari. »

6494. Ex hâc Constitutione, ut vitandus sit excommunicatus requiritur : 1° ut sit nominatim excommunicatus, per expressionem nempe sui proprii nominis, vel saltem per verba aut signa indubitata : v. g. *excommunicatum declaramus, actualem Præfectum talis urbis, vel Ducem actualem talis exercitûs*, ita ut nequat esse cum alio Præfecto vel Duce æquivocatio. Ex quo infertur vitandos non esse hæreticos, etsi notorium sit eos esse à jure excommunicatos, nisi sint insuper nominatim excommunicati et denuntiati : reverà quidem vitandi sunt hæretici publici, ut constat ex *Epist. ad Titum* (cap. 3, v. 10) et ex *Epist.* 2 S. Joann., v. 11; sed ad hoc tunc tenemur ob periculum seductionis, vel ob scandalum, vel correptionis causâ; non verò qua tenus sunt excommunicati.

6495. — 2° Requiritur ut excommunicatus publicè ut talis denuntietur, id est non solùm coram litigantibus, sed in loco publico, prout in ecclesiâ, tempore missæ, vel concionis, vivâ voce, vel per chartam in loco publico affixam, juxta morem regionis. Non est autem quis vitandus in dubio an sufficienter publica fuerit denuntiatio : sufficit tamen quòd constet illum esse denuntiatum per famam publicam, vel per testimonium etiam unius personæ gravis auctoritatis. (S. Lig., lib. 7, n° 134, *in fine*.)

6496. Casu quo à jure quis excommunicatus esset, non esset quidem necessaria sententia ad pœnam condemnatoria, sed, nisi crimen esset notorium, reus deberet priùs à suo Superiori citari, ut posset se defendere, et ipso convicto, pronuntiatâ de illius criminalitate sententiâ, deberet loco publico denuntiari seu declarari excommunicatus; et hoc sufficit ut talis excommunicatus sit vitandus; sed ad hoc non sufficeret ut proferretur tantùm sententia declarans excommunicatum commisisse crimen cui annexa est excommunicatio, ut colligitur ex supra dictâ Extravagante, nec etiam sufficeret, juxta eamdem, si reus declararetur incurrisse omnes censuras crimini annexas, nisi in specie denuntietur excommunicatus.

6497. *Nota* autem 1° quòd licet non sit obligatio vitandi excommunicatum non denuntiatum, licitum est tamen eum vitare etiam publicè, quando publicè notus est ut excommunicatus.

6498. *Nota* insuper 2° quòd licet aliis sit permissum communicare cum excommunicato tolerato, attamen ex dictâ Extrav. (Vide ultima verba supra relata) nulli excommunicato, quantumvis occulto, licet cum aliis communicare in iis, tam divinis quàm humanis, quæ excommunicatis prohibentur.

6499. Dubium est an, sinè necessitate, liceat fidelibus communicare in divinis cum excommunicato tolerato (de humanis non est difficultas); porrò duplex est sententia: plures negant, quia hoc esset contra charitatem, dum excommunicatus sic induceretur ad actum illicitum ipsique prohibitum : et ita sentit Stremler (*Des peines ecclés.*, p. 268). Alii verò probabiliùs affirmant, casu saltem quo excommunicatus non ministraret divina in statu peccati mortalis, quia causa justa necessaria est ad divina petenda ab eo qui in tali statu existit : casu verò quo excommunicatus toleratus non impediretur ministrare divina ob sua peccata, sed solùm ob excommunicationem, nullum esset peccatum ab illo talia petere, quia excommunicatus toleratus minimè peccat quando ab aliis rogatur, ut tàm in divinis quàm in humanis communicet : si enim peccaret, inutilis

esset concessio facta fidelibus à Concilio Constant. dum eis saltem indirectè, ratione charitatis, prohiberetur communicatio.

6500. Huc usque dicta de excommunicato intelligenda sunt pariter de suspenso aut interdicto vitando, in iis in quibus vetitum est communicare vi suspensionis aut interdicti : et idem dic de irregulari, qui pariter non est vitandus, nisi sit denuntiatus : in supra enim allatâ Extravaganti dicitur : *prætextu cujuscumque sententiæ vel censuræ.*

6501. Ex eâdem Extrav. vitandi sunt etiam *notorii clericorum percussores :* circa notorietatem vide dicta supra (794 *in notâ*, 1648, 1780, 5997). Quæritur autem an requiratur notorietas juris vel facti?

Resp. 1° Communiter doceri non sufficere solam notorietatem juris : sufficiebat quidem hujusmodi notorietas ante Concil. Constantiense, quia tunc omnis excommunicatus erat vitandus (publicè nempe, si publicus erat; occultè, si occultus, modò constaret censuram fuisse incursam) : nunc autem requiritur etiam notorietas facti, ex verbis illis : *quod factum non possit aliquâ tergiversatione celari.* Adverte tamen quòd sicut est vitandus is quem constat per publicam famam fuisse clerici percussorem, ut mox dicemus, ita etiam vitandus est qui per sententiam judicis denuntiatus est vitandus, quia tunc adest notorietas facti pariter.

6502. Resp. 2° Requiritur certè notorietas facti, sed sufficiens communiter habetur fama communis orta à viris fide dignis et integrè probata, ita ut præbeat moralem certitudinem. Putant tamen Viva et alii ap. Croix quòd non sufficiat fama quòd quis percusserit, sed requiratur etiam fama quòd publicè percusserit. Imò docent Suarez et alii non sufficere publicam hujusmodi famam, quando hoc non procedit ex notorietate facti per testes occulatos : aliàs dicitur crimen famosum, non verò notorium.

6503. An autem præter notorietatem facti requiratur etiam notorietas juris, nempe quòd in judicio clerici percussor suum crimen fuerit confessus, aut de eo per sententiam damnatus, omninò non constat : alii enim negant

casu quo factum nullâ tergiversatione potest celari ; alii affirmant ; et hoc probabile putat S. Liguor., lib. 7, nº 144: quia ad vitandum clerici percussorem requiritur ut constet non solùm percussisse, sed etiam censuram incurrisse, ita ut factum non possit celari, *nec aliquo suffragio excusari;* sed, nisi clerici percussor suum crimen fuerit confessus, aut condemnatus, semper valebit *aliquo suffragio* se excusare, dicendo se ad defensionem percussisse, ebrium fuisse, ignorasse censuram, etc. : ergo, etc.

6504. Hæc autem sententia non multùm differt, si tamen differat, à sententiâ communiter apud nos jamdudum admissâ, nempe : « Notorios clericorum percussores non » reputari ut vitandos... nisi sint... specialiter denuntiati, » aut saltem *juridicè* convicti, quia aliàs, inquit Theologia » Tolosana (*De excommunicat.*), possunt aliquâ tergiversa- » tione se defendere, dicendo, v. g., se non attendisse ; » vel vim vi repulisse. »

6505. Quærit. 1º An sufficiat ut factum sit alicui notum, quamvis aliis sit occultum, ut ille percussorem vitare teneatur ?

Resp. Affirmare quidem Suarezium et alios quosdam, ut Stremler (*Des Peines ecclés.*, p. 280); sed probabiliùs cæteros negare, quia crimen debet esse simpliciter notorium, seu pluribus manifestum. (S. Liguor., lib. 7, nº 143.)

6506. Quærit. 2º An percussor notorius in uno loco, sit vitandus in alio ubi non est notorius ?

Resp. Hoc esse controversum et probabiliter negari ; quod intelligendum etiam de excommunicato denuntiato in aliquo loco, modò notitia denuntiationis non sit brevi in alium locum perventura. (S. Liguor., lib. 7, nº 145.)

6507. *Nota* hîc quòd, postquam innotuit aliquem esse vitandum propter censuram denuntiatam, tenemur illum vitare donec constet de ipsius absolutione, vel per publicam famam, vel saltem per testimonium unius fide digni, ut habetur in cap. *Sicut* 39, *de sentent. excomm.;* potest etiam fides adhiberi ipsimet excommunicato, si aliàs sit fide dignus et conscientiæ timoratæ. S. Liguor., lib. 7, nº 146.

6508. Quærit. 3° Quinam sint effectus excommunicationis majoris ?

Resp. Duplicis generis esse ipsius effectus, mediatos nempe et immediatos.

Effectus mediati excommunicationis sunt duo : 1° irregularitas, quando videlicet excommunicatus exerceat actum ordinis sacri, ut supra diximus (1789. etc.); 2° si toto anno in excommunicatione insordescat, de hæresi fit suspectus, contra eum ut talem procedi potest (Trident., sess. 25, c. 4) et privari potest suo beneficio. (S. Lig., lib. 7, n° 157.)

6509. Effectus verò immediati sunt sequentes :

1. Privat susceptione et usu passivo sacramentorum, non solùm denuntiatum, sed etiam toleratum, unde nullus excommunicatus potest *licitè* sacramenta recipere, nisi excuset ignorantia invincibilis, metus mortis, infamiæ, iacturæ bonorum, etc., et non sit contemptus censuræ.

6510. Dicitur *licitè*, quia potest ea recipere validè, excepto Pœnitentiæ sacramento : imò hoc etiam validè et licitè recipere potest, si adsit ignorantia invincibilis, dummodo cætera ad essentiam hujus sacramenti requisita non desint : quo in casu tamen, si excommunicatio esset reservata, vel si confessarius, sciens peccata habere annexam excommunicationnem, malitiosè, ab eâ non absolveret, tunc disputatur an excommunicatus, etiam bonâ fide existens possit validè à suis peccatis absolvi : qui negant nituntur hâc ratione quòd excommunicati, utpote membra Ecclesiæ abscissa, nequeant ipsius bonis communicare; sed verius est affirmandum, juxta S. Liguor. (lib. 7, n° 159), quia Ecclesia, reservando casus aut censuras, non aufert à confessariis approbatis potestatem absolvendi excommunicatos quoad eorum peccata non reservata, et insuper directè inhabiles ad sacramentum reddi nequeunt ii qui jure divino habiles sunt.

6511. *Nota* 1° quòd minister conferens sacramenta excommunicato tolerato peccaret contra jus divinum, dando sacramenta indigno, sed non peccaret contra præceptum Ecclesiæ, quia ex Extrav. *Ad evitanda*, licitum est communicare cum excommunicatis toleratis; unde nec etiam

peccaret contra jus divinum si excommunicatus cæterùm dispositus, ex ignorantiâ invincibili sacramenta petiisset.

6512. *Nota* 2° quòd excommunicatus recipiendo sacramentum ordinis fit suspensus, imò et deponendus est si scienter hoc fecerit (cap. *Cum illorum* 32, *desent. excomm.*). An autem incurrat irregularitatem, vide dicta supra (1806). Recipiens verò cætera sacramenta peccat quidem graviter sed nullam pœnam incurrit. De dictâ susp. silet C. *Ap. Sed.*

6513. *Nota* 3° quòd in articulo mortis probabiliùs possit ministrari Eucharistia excommunicato vitando, etsi sacramentum Pœnitentiæ non potuisset recipere, quia præceptum divinum de viatico sumendo fortiùs obligat quàm prohibitio ab Ecclesiâ facta non communicandi cum excommunicato. Probabiliùs tamen hoc non est extendendum ad sacramentum Extremæ-Unctionis, nisi infirmus nequiret aliud sacramentum recipere.

6514. Communiter tenetur quòd excommunicatus negligens absolvi non peccet ob omissionem præcepti missam audiendi, nisi hoc faciat animo se eximendi ab hujusmodi obligatione; secus tamen est dicendum quoad annuam confessionem et communionem, cùm hæc obligent ex præcepto divino pro quo tenemur tollere impedimenta. Ita Salmantic. et alii, ap. S. Liguor., lib. 7, n° 161.

6515. In dubio an quis sit absolutus necne, deneganda non sunt ei sacramenta si ipse petat; maximè si asserat esse absolutum, quia nemo præsumitur delinquere. S. Liguor. (lib. 7, n° 160).

6516. — II. Excommunicatio privat usu activo sacramentorum seu illorum administratione; et quoad hoc distinguendum est inter excommunicatum toleratum et non toleratum: non tolerato illicita omninò est sacramentorum administratio, præterquam in casu necessitatis, in quâ non solùm sacramentum Pœnitentiæ potest administrari ab eo, sed probabiliter etiam Viaticum et Extrema-Unctio, si alius desit idoneus minister, et infirmus nequeat aliud sacramentum recipere (S. Liguor., lib. 7, n° 170). Quoad Matrimonium et Ordines vide dicta supra (3243). Licitè etiam vitandus potest sacramenta ministrare ad vitandum

grave incommodum, puta jacturam famæ vel bonorum, quia præcepta Ecclesiæ non obligant cum gravi incommodo (*ibid.*).

Excommunicato verò tolerato prohibetur certè sub gravi sacramentorum administratio, ut constat ex cap. *Clerici, de clerico excomm.*, si non sit requisitus; si autem sit requisitus, semper licitè potest quæcumque sacramenta administrare, ut supra diximus (6499), et si occurrat dies festus, nec alius adsit sacerdos qui missam populo dicat, potest celebrare, etsi expressè non rogetur, quia meritò præsumitur populus missam petere ad implendum præceptum : excipe tamen si hoc scandalum afferret. (S. Liguor., lib. 7, nº 169).

6517. Cæterùm excommunicatus etiam vitandus validè ministrat sacramenta, excepto Pœnitentiæ sacramento, et juxta quosdam, excepto etiam matrimonio : ratio est quia ubi adsunt essentialia sacramenti, Ecclesia non præsumitur velle nec etiam posset illud invalidare; excipitur autem sacramentum Pœnitentiæ : nam certè invalidè administratur ab excommunicato vitando, extra casum necessitatis, eò quòd jurisdictio sit necessaria ad validitatem hujus sacramenti, et excommunicatus vitandus omni jurisdictionis exercitio privetur; secus si administretur à tolerato, cùm iste non privetur jurisdictione erga eos qui ad ipsius ministerium recurrunt. (S. Liguor., lib. 7, nis 167, 168.)

Quoad irregularitatem quam excommunicatus tàm vitandus quàm toleratus incurrit administrando illicitè sacramenta, de eâ diximus supra (1789).

6518. Qui autem scienter ordinem recipit ab Episcopo vitando non incurrit hodie excommunicationem minorem, sed adhuc suspensionem ab exercitio ordinis suscepti (cap. *Cum illorum*, § fin., *de sent. excomm.*, et Const. *Ap. Sed.*).

6519. Qui excommunicatos vel interdictos vitandos *ad divina officia, seu sacramenta vel ecclesiasticam sepulturam admittere præsumunt, præter alias pœnas à jure statutas, ingressum ecclesiæ sibi noverint interdictum.* Ita cap. *Episcoporum* 8, *de Privilegiis*, in 6°, et C. *Apost. Sedis.*

III. Major excommunicatio privat, saltem non toleratos,

communibus ecclesiæ suffragiis, orationibus, indulgentiis, non verò privatis.

Diximus saltem *non toleratos*, quia quoad *toleratos* duplex est sententia et utraque probabilis; *una affirmans* etiam ipsos privari dictis suffragiis, quia Extravag. *Ad evitanda* non intendit ipsis favere, ut ex textu constat; *altera negans*, quia sicut olim non erat vetitum pro excommunicatis occultis publica suffragia offerre, prout colligitur ex cap. *Cùm ab homine*, *de sentent. excomm.*, ita post Extrav. *Ad evitanda* id licet quoad toleratos, cùm id etiam cedat in commodum fidelium, sive ob meritum charitatis, sive ob temporale stipendium exinde ipsis obveniens. S. Liguor. (lib. 7, nº 164).

6520. Quoad verò *vitandos*, certum est eos non privari per excommunicationem privatis fidelium suffragiis : unde non tantùm simplex fidelis, sed etiam sacerdos potest tanquam persona privata, pro excommunicatis orare, etiam in publicis precibus et missæ sacrificio. An autem possit sacerdos tanquam minister Ecclesiæ, validè saltem, applicare excommunicatis vitandis missæ sacrificium, vide dicta supra (3474); non videtur autem quòd possit licitè accipi à vitandis ipsis stipendium pro missâ (cap. *Excommunicatis* 17, causa 11, q. 3).

6521. — IV. Privat usu divinorum officiorum, ita ut excommunicatus, non tantùm careat eorum fructu, sed etiam sub mortali nèqueat iis interesse parte notabili, nisi excuset ignorantia, vel necessitas vitandi scandalum aut alia justa causa; et si sit sacerdos, tenetur missam inchoatam etiam relinquere, si nondum consecraverit et id possit facere absque scandalo; peccant etiam et illi qui cum excommunicato vitando divinis intersunt; sed non censerentur cum illo communicare, qui transirent per ecclesiam, dum ibi excommunicatus adest, aut si, dum plures missæ celebrantur, non eidem ac ipse sacrificio assisterent.

6522. Hoc autem peccatum, quod est quidem grave, veniale fieri potest ex parvitate materiæ, ut si missa usque ad *Evangelium* tantùm audiatur, vel si horæ privatim cum vitando recitarentur : secus si in choro, vel publicè et

solemniter : famulus verò qui jussu domini excommunicati officium cum illo recitat, ne leviter quidem peccat ratione famulatûs.

6523. Per divina officia intelligenda sunt missæ sacrificium, publica oratio, processio, cantus horarum, benedictio olei, aquæ, candelarum, et cætera annexa ordini clericali quæ solemniter fiunt ; non verò intelligitur concionis auditio, vel lectionis theologiæ aut sacrorum canonum, cùm nulla sit tunc communicatio (arg. ex cap. *Responsio, de sentent. excomm.*); sed excommunicatus, nisi sit toleratus et ab aliis rogetur aut ad hoc teneatur ex officio, quia tunc præsumitur ab aliis requiri, non potest concionare, aut lectionem facere ; imò fideles tenentur, etiam in hujusmodi, vitare non toleratos.

6524. Item excommunicatis non prohibetur usus sacrarum imaginum, reliquiarum veneratio, imò nec usus aquæ benedictæ et aliorum sacramentalium, quorum quidem fructibus, quos habent ex Ecclesiæ benedictione, non participant, sed iis uti possunt ad venerationem.

Item possunt excommunicati, tempore quo non celebrantur divina, ecclesiam ingredi ad orandum privatim, et seorsim ab aliis in sacello distincto, imò et in eodem, modò privatim orent.

6525. Excommunicatus autem qui vellet missam audire vel aliis divinis officiis interesse, si monitus à sacerdote nollet exire, incurrit novam excommunicationem Papæ reservatam (can. *Si quis* 7, causa 11, q. 3, cap. *Illud, de cleric. excomm.*, et cap. fin. *de sentent. excomm.*, in 6°); et idem dicendum est de interdicto denuntiato, et de omnibus qui impediunt ne excommunicatus aut interdictus exeat (Clement. *Gravis, de sent. excomm.*). De his silet C. *Ap. Sed.*

6526. Sacerdos verò excommunicatus faciens celebrare missam coram se, irregularis efficitur (Glossa in Clem 2, *De Privilegiis*, v° *Celebrari*) ; celebrans verò coram excommunicato etiam vitando non fit irregularis, nec hodie incurrit excommunicationem minorem, ex cap. *Is qui* 18, *de sentent. excomm.* in 6°. V. Stremler (*Des peines ecclés.*, p. 268).

6527. Quando excommunicatus monitus fuit ab ecclesiâ

exire, tempore quo divina officia celebrantur, tenentur clerici, si sit vitandus, eum licet sacerdotem expellere, si absque gravi incommodo possunt, aut si non possent, debent ab officiis cessare, etiam die festo, et celebrans, nondum inchoato canone, debet missam abrumpere, aut si canonem inchoavit, potest quidem missam prosequi, ut probabiliter tenent Suarez et alii contra Bonacin. et alios, sed exire debent cæteri fideles, solo ministro missæ remanente; celebrans tunc missam pergit tantùm usque ad communionem inclusivè, cætera autem perficit in sacristiâ vel alio decenti loco.

6528. Si secus fiat in præfatis casibus, peccatur mortaliter, at non non incurr[illegible] minor excommunicatio. Idem dicendum probabiliùs de iis qui assistunt cum excommunicatis vitandis eidem missæ sacrificio, nisi excuset necessitas, vel parvitas materiæ. Nec autem adstantes nec celebrans tenentur recedere si aliam missam audiunt vel celebrant ac eam quam audit excommunicatus, quia non adest communicatio in eodem divino. S. Liguor., lib. 7 nº 176.

6529. Obligatus ad horas non eximitur ab illarum recitatione propter excommunicationem, licet ad eas teneatur ex solo titulo beneficii; et si fructus non recipit, hoc provenit ex suâ culpâ. Si tamen omnino privaretur à beneficio, ad officium non teneretur ratione beneficii.

6530. Recitans horas excommunicatus dicere non debet: *Dominus vobiscum*, sed *Domine, exaudi*, etc.: hoc tamen non esset mortale, et juxta plures nec etiam veniale in recitatione privatâ; esset tamen veniale privatim horas recitare cum socio (cap. *Excommun.* 17, causa 11, q. 3). Non autem peccaret toleratus si requisitus oraret cum socio (S. Liguor., lib. 7, nº 178).

6531. — V. Nulla est beneficii cujuscumque collatio electio, confirmatio, etc., in favorem excommunicati (ex cap. *Postulastis*, *de clerico excomm.*) etiam tolerati juxta veriorem sententiam (S. Liguor., lib. 7, nº 181). Idque licet excommunicatio ignoretur, quia ignorantia excusare quidem potest à culpâ, sed non supplet defectum conditionis requisitæ ad valorem actûs. Ita communiter; quidam

tamen apud S. Liguor. (*ib.*, n° 182) dicunt quòd casu quo collatio fit ignoranti se esse excommunicatum, illa sit tunc valida, eò quòd collator soleat absolvere à censuris eum cui beneficium confert : hoc satis probabile reputat S. Liguor. (*ibid.*).

6532. Non solùm excommunicati recipientes, sed etiam conferentes excommunicatis beneficium, peccant graviter et incurrunt, præter excommunicationem minorem, etiam suspensionem à collatione beneficiorum, ex citato cap. *Postulastis*. Valida tamen est collatio si Papa scienter conferat beneficium excommunicato, vel si in concessione adsit clausula absolutionis, ad effectum validè consequendum, nisi quis excommunicatus sit ob hæresim, quæ non censetur comprehendi sub generali absolutione. (S. Liguor., lib. 7, n° 180.) — De his silet C. *Ap. Sed.*

6533. Quod dictum est de beneficiis, dicendum etiam de collatione et receptione Dignitatum ecclesiasticarum, prout Episcopatus, Prioratus, etc. Quoad autem dignitates sæculares controvertitur. (S. Liguor., *ib.*)

Item, quod dicitur de beneficio dicendum est etiam de pensione clerico in titulum datâ ob ministerium ecclesiasticum, et de pensione ecclesiasticâ temporali datâ ob officium vicarii, coadjutoris. Secus si pensio esset merè laicalis, aut etiam mixta, quæ datur clerico, non ob officium, sed quia est pauper ad sustentationem, aut causâ resignationis aut litis componendæ, etc. (S. Liguor., lib. 4, n° 137, et lib. 7, n° 180.)

6534. Qui esset electus et institutus ante excommunicationem, validè beneficium acceptare posset, licet excommunicatus esset tempore acceptationis; secus si fuisset excommunicatus collationis tempore, etiamsi absolutus fuisset tempore acceptationis. (S. Liguor., *ib.*)

6535. Excommunicatus non facit suos fructus beneficii, tempore excommunicationis perceptos, etiamsi postea absolvatur; proinde tenetur illos restituere ante omnem sententiam (vide cap. *Postulastis, de clerico excommunic.*). Si tamen per se vel per alios satisfaceret officio, potest eos fructus retinere, ubi saltem non est usus spolii; ubi verò

talis usus viget, potest solùm retinere fructus correspondentes servitio præstito, etsi fuerit in bonâ fide, probabiliter potest retinere etiam fructus correspondentes suæ congruæ sustentationi pro tempore servitii. (S. Liguor., lib. 7, n° 180.)

6536. Quoad autem beneficia obtenta ante excommunicationem, disputatur an excommunicatus privetur fructibus hujusmodi beneficiorum ante sententiam, etiamsi per se aut per alios officium impleverit : probabiliùs negatur; tenetur autem post dictam sententiam, etiamsi per illum non stet quominus absolvatur, nisi tamen esset pauper. (S. Liguor., lib. 7, n° 183).

6537. — VI. Privat communicatione forensi : unde excommunicatus nequit esse judex, advocatus, procurator; potest tamen respondere pro semetipso, et alium actorem reconvenire, quamvis per alium posset commodè se tueri.

Non potest esse actor, tabellio, testis, etc.; si tamen esset actor, validè ageret donec repelleretur (cap. *Pia, de except.*, in 6°) : vide supra (5605). Dicunt autem Diana et Lez., non peccare graviter actorem qui justè petit suum si non repellatur; toleratus verò licitè tuetur se et alios in judicio; reus potest semper excipere contra excommunicatum etiam toleratum, hocque etiam post sententiam ante executionem, quod tamen si non faciat, nec judex repellat, valida erunt excommunicati acta si sit toleratus; secus est probabiliùs dicendum de judice non tolerato, cùm iste sit privatus jurisdictione. Valida autem est depositio testis vitandi, si non repellatur; quoad verò testem toleratum, etiam est licita si ab unâ partium requiratur.

Item excommunicatus non potest esse tutor, nec curator, nec testamenti executor : si tamen non fiat oppositio validè exequitur; validè pariter potest testari, etiam in favorem excommunicati, sed non licitè; idem est dicendum de cæteris contractibus : excipe si fiant ab excommunicato ut persona publica, vel ratione muneris et beneficii quia tunc sunt nulli defectu jurisdictionis. (S. Liguor., 7, n° 184.)

6538. — VII. Excommunicatus non toleratus privatur usu jurisdictionis; unde non potest validè eligere, conferre, præsentare, ferre leges, vel sententiam : si ergo unus electorum sit excommunicatus vitandus, nulla est electio, casu quo ipsius suffragium in electionem efficaciter influxerit; secus est dicendum si absque excommunicati suffragio, electio valida esset; electores tamen qui scienter admittunt talem electorem excommunicatum, electionem eo ipso irritant etiamsi suffragium excommunicati nihil conferret ad electionem, sed hoc non est applicandum electioni Papæ. (Stremler, *Des Peines ecclés.*, p. 273.)

Qui beneficium à non tolerato accipit tenetur ante omnem sententiam etiam declaratoriam, illud unà cum fructibus dimittere. Ita communiter : vide cap. *Audivimus* 4, causa 24, q. 1; et cap. *Ad probandum* 24, *de sentent. et re judicatâ.*

6539. Diximus *non toleratus*, quia probabile est actus tolerati esse validos ob bonum commune; sed graviter peccat, si absque necessitate talia exerceat. Et hoc est certum quoad judicem ecclesiasticum. Cap. *Tanta, de excess. Prœl.* (S. Lig., lib. 7, nº 185).

6540. Item excommunicatio irritat pleno jure quodvis rescriptum gratiæ vel justitiæ à S. Sede post excommunicationem concessum; excipe rescriptum justitiæ pro causâ ipsiusmet excommunicationis quæ tali rescripto locum dedit (cap. *Ipso jure* 1, *de rescriptis*, in 6°; cap. *Dilectus* 26, *de rescript.*). Notandum est quòd Papa, concedendo alicui gratiam, soleat eum absolvere à censuris ob quas irritum foret concessum beneficium. Vide supra (53).

6541. — VIII. Non *toleratus* privatur ecclesiasticâ sepulturâ : vide supra (4717); et si sepultus fuerit in loco sacro vel benedicto, exhumari debet si ipsius ossa possint discerni : nec in eo loco divina possunt peragi ante ipsius reconciliationem : vide supra (4746). Si verò excommunicatus decessit cum signis pœnitentiæ, non est exhumandus, sed absolvendus, absolutione petitâ per hæredem. Cœmeterium tamen pollutum fuit et debet reconciliari (4805, 4812).

6542. Graviter peccant comitantes vitandum ad sepulturam, et clerici canentes : illum autem sepelientes incurrunt excommunicationem majorem (Clementin. 1, *de sepultur.*). Controvertitur an per *sepelientes* intelligi debeant ii qui procurant sepeliri. De eâ excomm. silet C. *Ap. Sed.*

6543. — IX. « Excommunicatus privatur omni aliâ » civili communicatione fidelium ita ut ipse non possit » cum aliis, et, si non sit toleratus, etiam alii cum ipso » non possint communicare ; idque in casibus hoc versu » comprehensis :

» Os, orare, vale, communio, mensa negatur. »

(Busembaum., ap. S. Lig., lib. 7, 188.) — Hæc eruuntur ex cap. *Excommunicatus* 17, causa 11, q. 3.

6544. Dicit. 1° *Os* : per quod intelligitur osculum et omne colloquium, etiam privatum, tàm per vèrba quàm per nutus, litteras, internuntium ; item quodvis signum benevolentiæ, missio vel acceptatio munerum, etc. Qui tamen excommunicatum injuriis afficeret, vel ei diceret : *Deus te illuminet, convertat,* etc., nullam censuram incurreret. (S. Liguor., lib. 7, n^is^ 189, 193, *in fine.*)

Dicit. 2° *Orare,* id est omnis communicatio in divinis, ut supra fuit expositum.

6545. Dicit. 3° *Vale* : quod comprehendit omnem salutationem saltem honorificam, verbo, signo, amplexu, etc.

Dubitatur tamen an liceat exhibere excommunicato signa urbanitatis, v. g. assurgendo, dando locum, aperiendo caput, sinè ullâ expressione verborum : *Prima sententia* valde probabilis negat, quia hujusmodi actus reverentiæ, esto solis nutibus fiant et sinè animo honorandi, sunt tamen quædam communicatio et vera signa reverentiæ. *Secunda sententia* affirmat, modò absit animus honorificandi, quia hujusmodi signa exhibentur tunc ut vitetur nota inurbanitatis. Probabilis autem hæc sententia habetur, maximè si excommunicatus sit Superior vel persona publica, quia tunc signa præfata urbanitatis exhibentur ad vitandum damnum vel indignationem. (S. Liguor., lib. 7, n^is^ 191 et 192.)

6546. Dubitatur insuper an liceat excommunicatum re-

salutare : plures affirmant, quia resalutatio est debiti solutio quæ non videtur vetita ab Ecclesiâ ; probabiliùs tamen alii negant, ap. S. Liguor., lib. 7, nº 193, quia sicut est prohibitum excommunicatum salutare, ita et ipsum resalutare ; item probabilius est quòd non liceat excommunicato rescribere : non autem audet S. Liguor., quoad resalutationem, primam opinionem dicere improbabilem, sed aliàs huic primæ non valet acquiescere quoad rescriptionem.

6547. Dicitur 4º *Communio :* quâ voce comprehenditur omnis contractus, qui tamen, si fiat, est validus, nisi ageretur de testamento usurarii : item cohabitatio, cooperatio, societas : unde non licet cum excommunicato collaborare, sedere, sub eodem tecto vivere, dormire ; intellige per modum societatis : nam cubare tantùm ad quiescendum, etiam in eodem lecto, probabiliter non est vetitum. (S. Liguor., lib. 7, nº 194.)

6548. Dicitur 5º *Mensa :* per quam intelligitur omnis convictus per modum societatis : unde non licet acceptare convivium ab excommunicato, nec vitam communem agere cum eo, etsi non iidem cibi ederentur, uti evenire solet in monasteriis, seminariis, etc., ubi quamvis sint diversæ mensæ, omnes tamen censentur communicare in eâdem refectione ; idem est dicendum quando multi sunt invitati ab excommunicato et in eodem cubiculo accumbunt, licet in mensis diversis : secus esset dicendum si mensæ non essent in eodem cubiculo ; vel si quis in eâdem quidem mensâ accumberet, sed in diversorio ubi unusquisque solùm sibi intenderet, vel si casu hoc accideret in itinere aut aliter. S. Liguor., lib. 7, nº 195.

Etiam excommunicati debent se invicem vitare, quando sunt vitandi. (Stremler, *Des Peines ecclés.*, p. 283 et 284.)

6549. Quærit. 4º Quale sit peccatum communicare cum excommunicato vitando ?

Resp. Peccatum esse mortale : 1º si communicatio fiat *in divinis*, et non excuset parvitas materiæ : vide supra (6522) ; 2º si communicatio fiat in *crimine criminoso*, seu

in eodem crimine vel contumaciâ : v. g., si quis suam concubinam excommunicatam, iterum post excommunicationem cognoscat (cap. *Si concubinæ* 55, *de sentent. excomm.*); vel si quis post excommunicationem latam in aliquem, ob furtum aut aliud crimen, impendit ei auxilium, aut consilium ne restituat, vel ne exeat ab excommunicatione : ex cap. *Nuper*, *de sentent. excomm.*

6550. — 3° Si communicatio fiat in civilibus, controvertitur an peccatum sit de se mortale : probabiliùs tamen tale reputatur, et probari posse videtur ex cap. *Excommunic.*, causa 11, q. 3; et cap. *Exceptionem* 12. *de except.*, ubi communicans civiliter, dicitur in *periculum animæ suæ communicare;* fit tamen certè veniale ex parvitate materiæ; sed si actus multiplicentur et conjungantur, materiam gravem constituunt : ut autem censeantur conjungi, non sufficit si quis frequenter, etiam per longum tempus, sejunctim, communicet cum excommunicato, sed requiritur quòd tales communicationes sint connexæ per propositum formale aut virtuale, seu quasi ex habitu sæpius communicandi, vel quòd adciscat excommunicatum sibi in socium aut famulum. (S. Liguor., lib. 7, n° 198.)

6551. Quærit. 5° Quænam pœnæ incurrantur per communicationem cum vitando?

(Resp.) suppressam videri excommunicationem minorem quæ incurrebatur per communicationem habitam, tam in humanis quam in divinis, cum excommunicato denuntiato.

Sed servata fuit excommunicatio major latæ sententiæ in duobus casibus; 1° Quando clericus scienter communicat in divinis cum excommunicato nominatim et expressè à Papâ, et denuntiato; et ipsum in officiis recipit. 2° Si quis communicet cum excommunicato nominatim a Papa *in crimine criminoso*, ei scilicet impendendo auxilium vel favorem. Ita Const. *Apostolicæ Sedis* Pii IX, n^is^ XVI et XVII, vi cujus Sanctæ Sedi ambæ hujusmodi excommunicationes simpliciter reservantur. Non igitur amplius majorem excommunicationem latæ sententiæ incurrit omnis qui scienter communicat cum quocumque excommunicato vitando in *crimine criminoso*, prout olim

ex cap. *Nuper*, 29, *de sentent. excomm.* Posset tamen excommunicatio major ferri contra eos qui nolunt desistere à communicando, etiam in humanis, cum excommunicatis vitandis. Vide Stremler (*ib.*, p. 287); et cap. *Statuimus*, *de sentent. excomm.*, in 6°. De his v. C. *Ap. Sed.*, suprà (1640, XVII).

6552. Quærit. 6° An aliquando liceat cum vitando communicare?

Resp. Affirmativè, et hoc quidem in quinque casibus à S. Gregr. VII (in cap. *Quoniam multos* 103, causa 11, q. 3) definitis, et sequentibus versibus expressis :

> Hæc anathema quidem solvunt, ne possit obesse :
> Utile, lex, humile, res ignorata, necesse.

6553. — 1° *Utile* intelligitur tàm de excommunicato: unde licitum est illum alloqui vel ei scribere ut convertatur, quàm de aliis : unde licet ab excommunicato petere consilium, aut audire concionem; item licet ab eo exigere debitum, vel si desit alius æquè idoneus, petere medicinam, aut eleemosynam ; sed non licet cum eo novos inire contractus, quamvis liceat jam initos continuare. S. Liguor., lib. 7, n° 201.

6554. — 2° *Lex* intelligitur de lege matrimonii, quia licet uxori communicare cum marito excommunicato (non verò cum eo qui tantum est sponsus), et vice versâ : unde conjuges possunt à se vel sibi invicem petere aut reddere debitum, ut periculum incontinentiæ vitetur, et in omnibus aliis mutuò conversari; tres tamen casus excipiuntur : 1° quando sunt per divortium separati; 2° quando excommunicatio est lata propter dubium valoris matrimonii; 3° quando alter conjugum est propter hæresim excommunicatus.

6555. Disputatur an communicatio possit fieri in divinis cum conjuge excommunicato. — Verior sententia negat, quia in cap. *Inter alia* 31, *de sent. excomm.*, Innocentius III non permittit communicationem conjugibus nisi quatenus est necessaria ad præstandum obsequium debitum : sed ad

hoc non est necessaria communicatio in divinis ; ergo, etc. S. Liguor., lib. 7, nº 202.

6556. Si verò conjux scienter iniit matrimonium cum excommunicato, certè graviter peccavit, quamvis validè contraxerit. An autem tunc possit licitè communicare ? — Duplex est sententia : *prima*, valde probabilis negat, quia præfatum cap. *Inter alia*, solùm permittit communicare subjectis matrimonio eodem modo quo poterant et tenebantur ante excommunicationem : ergo si subjectio contrahatur post excommunicationem, non datur conjugibus licentia communicandi. Præterea, non est æquum ut qui inique matrimonium inivit, violando censuram, eximatur ab obligatione hujusmodi censuram servandi. — *Secunda* tamen sententia, quæ probabilis habetur à S. Liguorio, dicit præfatum conjugem posse communicare, quia cap. *Quoniam multos*, causa 11, q. 3, indistinctè concedit subjectis facultatem communicandi; nec huic verba capituli *Inter alia* clarè adversantur. — Nec etiam obstat quòd nemo possit se obligare ad illicitum, prout communicare cum excommunicato, quia hoc currit quando quis directè se obligat ad communicandum; non verò quando quis se indirectè obligat ratione contractûs. Quod hìc dicitur de conjugibus, præfati DD. dicunt etiam de filiis et famulis. (S. Liguor., lib. 7, nº 202.)

6557. — 3° *Humile*, id est in casu subjectionis, quâ ratione communicare possunt, saltem probabiliter, filii etiam emancipati; item filii adoptivi, imò etiam nepotes, pronepotes, et in eodem gradu affines, ut nurus, privigna; item servi et ancillæ, si ante excommunicationem fuerint in servitio (cap. *Quoniam* modò citato); item milites cum duce excommunicato, non autem vassalli cum suo domino, nisi quoad solutionem tributorum : sed sæpè quoad istos licita fit communicatio ratione necessitatis, vel utilitatis; item religiosi possunt communicare cum suis Prælatis, quoad communicationem quæ ab habitantibus in eâdem familiâ vitari nequit.

Per se famuli excommunicati non possunt inter se invicem communicare : possunt tamen per accidens, eò quòd

moraliter obligentur simul commorari; si tamen possent commodè abire, ad id tenerentur. (S. Liguor., lib. 7, nº 203.)

Item parentes, mariti et domini possunt communicare cum filiis, uxoribus et famulis excommunicatis.

6558. Non possunt autem, etiam famuli, uxores aut filii communicare in divinis cum excommunicato, nisi in quantum communicatio est necessaria ad præstandum obsequium debitum : hinc famuli jussi licitè comitantur ad missam, aut ministrant celebranti excommunicato, aut cum eo officium recitant : supponitur quòd ad hoc fuerint conducti ante excommunicationem : nam si conducantur à jam excommunicato, non excusantur nisi ob bonam fidem, aut necessitatem (S. Liguor., lib. 7, nº 204). — An autem famuli scienter et peccaminosè ab excommunicato conducti, possint supra dicta obsequia præstare, solutio hujus dubii est eadem ac casûs quo conjux scienter contrahit cum excommunicato (6556). S. Liguor., lib. 7, nº 204.

6559.—4º *Res ignorata* : certum est quamlibet ignorantiam et inadvertentiam inculpabilem, sive juris sive facti, excusare communicantes cum excommunicato (cap. *Quoniam multos*, causa 11, q. 3). — Controvertitur an excuset ignorantia culpabilis et crassa : sententia affirmans vocatur satis probabilis à S. Liguor., et nititur ipsismet verbis dicti canonis, ubi Pontifex asserit se motum fuisse ad excusandos ignorantes : « Quoniam multos..., pro causâ excommunicationis perire quotidie cernimus, partim *ignorantiâ*, partim nimiâ *simplicitate*. » Per quod excusare videtur etiam ignorantia *vincibilis*, cùm nullus pereat ob invincibilem. (S. Lig., lib. 7, nº 205.)

6560. — 5º *Necesse* : id est casus necessitatis, sive spiritualis, sive corporalis, aut bonorum temporalium. Sed equiritur ut hæc necessitas, tam temporalis quàm spiritualis, sit gravis, sive sit communicantis, sive excommunicati, sive aliorum. Id patet ex cap. *Si verè* 34, *de sent. excomm.* et dicto capite *Quoniam multos*. Excusat pariter metus gravis, cùm lex humana non obliget cum gravi incommodo. (S. Liguor., lib. 7, nº 206.)

6561. *Nota* ultimò neminem teneri ad vitandum excommunicatum, nisi moraliter ei constet illum esse vitandum, ad minus per publicam famam, vel per testimonium saltem duorum fide dignorum. In dubio tamen non liceret suscipere ab excommunicato sacramentum Pœnitentiæ propter periculum illud invalidè recipiendi. (S. Liguor., lib. 7, n° 207.) Vide dicta supra (6507).

6562. Quærit. 7° Quænam sint excommunicationes majores à jure latæ?

Resp. Permultas olim fuisse, quarum aliæ nulli, aliæ Episcopo, aliæ Summo Pontifici, sive per Bullam *Cœnæ*, sive per alias Constitutiones reservabantur. Pleræque earum sunt a Papa Pio IX suppressæ, ut pluries passim in decursu operis diximus, per Constit. *Apostolicæ Sedis* 4° idus octobris 1869. Jam omnes S. Sedi vel Ordinario reservatas enumeravimus (1635-1652); supersunt adhuc sequentes nemini reservatæ :

6563. « Excommunicationi latæ sententiæ nemini reservatæ subjacere declaramus, inquit Pius IX in dicta Constitutione :

I.

» Mandantes seu cogentes ecclesiasticæ sepulturæ hæreticos notorie aut nominatim excommunicatos vel interdictos.

II.

» Lædentes aut perterrefacientes inquisitores, denuntiantes, testes, aliosve ministros S. Officii, ejusve Sacri Tribunalis scripturas diripientes, aut comburentes, vel prædictis quibuslibet auxilium, favorem præstantes.

III.

» Alienantes et recipere præsumentes bona ecclesiastica, absque *beneplacito apostolico*, ad formam Extravagantis *Ambitiosæ, de rebus eccles. non alienandis.*

IV.

» Negligentes, sive culpabiliter omittentes denuntiare intra mensem, confessarios, sive sacerdotes, a quibus

» sollicitati fuerint ad turpia, in quibuslibet casibus
» expressis a Prædecessoribus Nostris Gregorio XV, Const.
» *Universi*, 20 augusti 1622; et Benedicto XIV, Const.
» *Sacramentum Pœnitentiæ*, junii 1741.

» Præter hos hactenus recensitos, pergit Pontifex, eos
» quoque quos Sacrosanctum Concilium Tridentinum,
» sive reservata Summo Pontifici aut Ordinariis absolu-
» tione, sive absque ulla reservatione, excommunicavit,
» Nos pariter ita excommunicatos esse declaramus,
» excepta anathematis pœna, in Decreto sess. 4, de edi-
» tione et usu sacrorum librorum constituta, cui illos tan-
» tum subjacere volumus qui libros de rebus sacris trac-
» tantes, sine Ordinarii approbatione imprimunt, aut
» imprimi faciunt. »

6564. Ex iis ultimis verbis non amplius excommunicationi subjacent qui libros, de rebus sacris jam impressos sine approbatione Ordinarii, venales habent aut retinent, modo tamen hujusmodi libri non fuerint ab hæreticis aut apostatis scripti ad hæresim propugnandum, aut non fuerint nominatim prohibiti per Litteras Apostolicas : quia tunc, juxta C. *Apostolicæ Sedis*, incurritur excommunicatio, etiam speciali modo Sanctæ Sedi reservata.

6565. Cum in eadem Constitutione Pius IX declaret excommunicationes latæ sententiæ, a Tridentina Synodo illatas, in vigore adhuc remanere, eas hîc recensere debemus. Præter ergo jam indicatas (1643) adhuc supersunt :

Excommunicationes non reservatæ a Concilio Tridentino illatæ.

I.

Excommunicationem ipso jure incurrit raptor mulieris ad effectum cum ea contrahendi matrimonium ; pariterque eamdem incurrunt omnes illi consilium, auxilium et favorem præstantes (sess. 24, c. 6, de reform. matr.).

II.

6566. « Anathemati S. Synodus subjicit omnes et sin-
» gulas personas, cujuscumque qualitatis vel conditionis

» fuerint, tam clericos quam laicos, sæculares vel regulares,
» atque etiam qualibet dignitate fungentes, si quomodo-
» cumque coegerint aliquam virginem, vel viduam, aut
» aliam quamcumque mulierem invitam, præterquam in
» casibus in jure expressis, ad ingrediendum monasterium,
» vel ad suscipiendum habitum cujuscumque religionis, vel
» ad emittendam professionem ; quique consilium, auxi-
» lium, vel favorem dederint ; quique scientes eam non
» sponte ingredi monasterium, aut habitum suscipere, aut
» professionem emittere, quoquo modo eidem actui vel
» præsentiam, vel consensum, velauctoritatem interposue-
» rint. » (Sess. 25, c. 18, *De Regul. et monial.*).

III.

« Simili quoque anathemati subjicit (S. Synodus)
» eos qui sanctam virginum vel aliarum mulierum volun-
» tatem veli accipiendi, vel voti emittendi, quoquo modo
» sine justa causa impedierint.... Ab his... excipiuntur
» mulieres quæ *pœnitentes* aut *convertitæ* appellantur ; in
» quibus constitutiones earum serventur. » (Sess. 25, ib.).

IV.

6567. Eo ipso excommunicantur illi qui docere, prædicare, vel pertinaciter asserere, seu etiam, publice disputando, defendere præsumpserint non esse necessario præmittendam confessionem sacramentalem ad sumendum Eucharistiæ sacramentum, ab iis quos conscientia peccati mortalis gravat, quantumcumque contritos se esse existimaverint. (Conc. Trid. sess. 13, canon 11.)

V.

« Præcipit S. Synodus omnibus, cujuscumque gra-
» dus, dignitatis et conditionis existant, sub anathematis
» pœna, quam ipso facto incurrant, ne quovis modo,
» directe vel indirecte, subditos suos, vel quoscumque
» alios cogant quominus libere matrimonia contrahant. »
sess. 24, c. 9, *De reform. matr.*)

VI.

S. Synodus magistratibus sæcularibus sub excommunicationis pœna, ipso facto incurrenda, injungit ut

juvent Episcopos, si ab eis sint requisiti, ad restituendam vel conservandam clausuram monialium. (Sess. 25, c. 5, *De Regular. et monial.*)

VII.

Anathemate damnat S. Synodus (sess. 24, c. 1, *deref.*) eos qui negant matrimonia clandestina, libero contrahentium consensu facta, quandiu Ecclesia irrita non fecit, rata et vera matrimonia fuisse. Item asserentes matrimonia a filiis familias, sine parentum consensu contracta, irrita esse.

6368. Quoad excommunicationes latæ sententiæ quas, præter jam indicatas (1643) inter reservatas, in vigore adhuc esse declarat Pius IX, quando concernunt internum regimen regularium, aut collegiorum, congregationum, cœtuum, vel locorum piorum quorumcumque, consulendi sunt hujusmodi Ordines, vel collegia, cœtus, Congregationes, vel loca pia. Vide etiam S. Liguor. l. 7, 211, 219.

6369. Quamvis in desuetudinem abierit modus excommunicandi per monitorium ad effectum obtinendi revelationem certorum criminum, non inutile judicamus hîc transcribere verba Synodi Tridentinæ circa hoc censurarum genus : « Quamvis excommunicationis gladius nervus sit ecclesiasticæ disciplinæ, et ad continendos in » officio populos valde salutaris, sobrie tamen magnaque » circumspectione exercendus est, cum experientia » doceat, si temere, aut levibus ex rebus incutiatur, » magis contemni quam formidari, et perniciem potius » parere quam salutem. Quapropter excommunicationes » illæ quæ, monitionibus præmissis, ad finem revelationis, » ut aiunt, aut pro deperditis seu subtractis rebus ferri » solent, a nemine prorsus, præterquam ab Episcopo, » decernantur ; et tunc non alias quam ex re non vulgari, » causaque diligenter ac magna maturitate per Episcopum examinata, quæ ejus animum moveat; nec ad » eas concedendas cujusvis sæcularis, etiam magistratus » auctoritate adducatur : sed totum hoc in ejus arbitrio » et conscientia sit positum, quando ipse pro re, loco, » persona aut tempore, eas decernendas esse judicaverit. » (Sess. 25, c. 3, *De reform.*)

§ II.

De suspensione.

6570. Suspensio *est censura, quâ minister Ecclesiæ prohibetur ab aliquo actu ecclesiastico, aliàs sibi competente.* Differt ab aliis censuris in eo quòd suspensio fertur in solos clericos, dùm cæteræ censuræ etiam in laicos cadere possunt : solo ergo ministerio ecclesiastico privat suspensio, dum excommunicatio et interdictum privant aliis bonis quibus etiam simplices fideles participare valent. Quatenus autem differat à depositione et degradatione, diximus supra (6338, 6933, 6346).

6571. Suspensio alia est *completa* quæ suspendit ab ordine simul et ab officio et beneficio ; proinde privat usu potestatis ecclesiasticæ alicui competentis ratione ordinis aut officii aut beneficii, sive potestas illa ordinis sit sive jurisdictionis.

Alia pro parte irrogatur et suspendit duntaxat aut ob ordine, aut ab officio, aut à beneficio.

6572. Suspensio ab ordine non privat ipso ordine, quippe ordo est indelebilis, sed duntaxat exercitio functionum sacrorum ordinum ; vocatur etiam suspensio à divinis, aut ab officio sacerdotali (cap. *Sanè* 11, *de offic. deleg.*; cap. *Quia* 2, eod. tit. in 6°; cap. *Quia in omnibus, de Usuris* ; Clement. 1, *De reb. eccles. alien.*). Suspensio hæc iterum potest esse vel à toto ordine, vel à quâdam parte ipsius : istius generis est suspensio à *Pontificalibus*, vel suspensio à collatione ordinum; suspensio *à sacris* suspendit ab actibus qui ordines requirunt ; suspensio ab altari à solâ celebratione missæ removet.

6573. Suspensus à certâ functione ordinis, v. g. à sacramentorum administratione, non ideo est suspensus à sacrificio. Item si à collatione ordinis quis esset suspensus, posset nihilominus primam tonsuram conferre, quia tonsura non comprehenditur inter ordines. Vide ap. S. Liguor. (lib. 7, n° 316); et Stremler (*Des peines*, etc., p. 295 et 296).

6574. Suspensus ab ordine non est eo ipso à jurisdictione (S. Lig., *ib.*, 314, *in fine*).

Suspensio *à divinis* non obstat receptioni sacramentorum etiam pœnitentiæ : impedit tamen receptionem sacramenti ordinis : repugnat enim quòd suspensus ab ordine promoveri valeat ad ordines superiores : suspensus quidem ab ordine superiori non est ideo suspensus ab inferiori, sed suspensus ab inferiore est multò magis suspensus à superiore (Stremler, *ib.*, p. 299) : excipit tamen Lequeux (n° 1440, *in fine*), nisi exercens ordinem superiorem, non censeretur inferiorem exercere, ut puta si sacerdos, suspensus ab ordine diaconatûs confessiones exciperet.

6575. Suspensio *ab officio* intelligi potest vel absolutè, et sic comprehendit omne exercitium potestatis ecclesiasticæ sive ratione ordinis, sive ratione jurisdictionis ; et consequenter taliter suspensus non potest celebrare nec validè excommunicare, beneficia conferre, indulgentias concedere, approbare ad confessiones, etc. — Suspensio ab officio potest etiam intelligi de solâ jurisdictione, aut etiam de quâdam parte jurisdictionis, vel de functionibus quæ exercitium ordinum non requirunt. Quantitas autem et qualitas suspensionis colligi debent ex verbis quibus fertur, quæ, utpote in re odiosâ, non ampliùs sunt extendenda quàm propriè sonant. Vide ap. S. Liguor., lib. 7, n° 316 ; et Stremler (*Des peines ecclés.*, p. 296).

6576. Suspensio ab officio absolutè et sinè addito lata, non intelligitur de suspensione ab ordine, juxta Stremler (*ib.*, p. 300.) Contradicere videntur C. Soglia (*Inst. jur. priv.*, § 244) et S. Liguor. (lib. 7, n° 315).

6577. Suspensio à solo beneficio, privat tantùm redditibus beneficii : sed iis privat in conscientiâ ante omnem sententiam : non privat ergo functionibus ordinis, aut exercitio jurisdictionis quæ beneficiario competunt, etiam ratione beneficii. Ita Busembaum, apud S. Liguor. (lib. 7, n° 316) ; contrarium tamen asserit Stremler (*ib.*, p. 301 et 302). Nec etiam privat iis quæ proveniunt ex anniversariis, nec stipendiis missarum, nec iis quæ dantur propter servitium personale, nec pensionibus ecclesiasticis. Controvertitur an idem sit dicendum de distributionibus quotidianis : de quo vide S. Liguor., lib. 7, n° 316, 5°. — Juxta

Stremler (*ib.*, p. 300) suspensio *ab officio* privat distributionibus, cùm prohibeat assistentiam in choro : suspensio verò à beneficio privat distributionibus à beneficio provenientibus non verò ab aliis.

6578. Suspensus simpliciter seu modo absoluto censetur suspensus ab officio et beneficio. Suspensus ab ordine simpliciter, censetur suspensus ab omni ordine; sicut suspensus à beneficio suspensus censetur ab omni beneficio, nisi aliud constet. (S. Liguor., *ib.*, 7° et 8°.)

Suspensus ab officio simpliciter non intelligitur suspensus à beneficio, seu fructibus ejus : debet tamen per alium supplere quod per se facere nequit, ut fructus percipiat : ita communiter, ex cap. *Inter* 10, *De purgat. canon.* — Excipe 1° nisi crimen sit enorme (cap. eod.); 2° nisi reus insorduerit per annum in censurâ, ut habetur cap. *Cùm bonæ, de ætate et qualitat.*, etc. (S. Lig., *ib.*, 3°).

Item suspensus ab ordine non est suspensus à beneficio, cùm etiam beneficium non fundatur in ordine; attamen indirectè suspenditur ab ejus fructibus, quia dum non potest implere officium, nec etiam fructus potest percipere. (*Ibidem*, 4°.)

6579. Suspensio à beneficio lata à jure communi privat etiam à beneficiis quæ possidentur in variis diœcesibus; si verò sit lata per statutum diœcesanum privat tantùm beneficiis quæ in propriâ diœcesi possidentur : lata tamen per sententiam privat etiam beneficiis alienæ diœcesis, modò judex exprimat quòd velit suspendere ab omnibus beneficiis, quia licet beneficia diœcesis extraneæ non subjaceant judici, ipsi tamen subjacet persona suspensi jus ad dicta beneficia habentis. S. Liguor., n° 316, *dub.* 2.

6580. *Nota* quòd suspensiones à jure latæ nusquam Episcopos attingant nisi de iis fiat mentio expressa. Ita cap. *Quia periculosum*, *de sentent. excomm.*, in 6°.

6581. Capitulum non potest suspendi à divinis, quia functiones ordinis ad individua pertinent, non autem ad communitatem.

6582. Suspenso autem capitulo vel conventu, suspensa non censentur singula ipsius membra nisi in culpâ sint;

proinde suspensio in solam communitatem lata, non afficit singulas personas nisi quoad officia vel beneficia totius communitatis, non verò quoad munera singulis propria. Ita communiter. Etsi aliqui exerceant functiones communitati vetitas illi non incurrunt irregularitatem, quia prohibitio illis facta talia peragendi, non est propriè censura, sed potiùs inhabilitas ad res hujusmodi.

6583. Si verò suspensio feratur in communitatem et in singulas ipsius personas, tunc non afficit innocentes, sed solùm delinquentes, quia nemo puniri debet ob culpam alienam. Ita communiter, ex cap. 2, *de constit.*, et clariùs ex cap. 2, *Quæsivit*, *de his quæ fiunt à major.* (S. Liguor., lib. 7, n° 317.)

6584. Suspensus ab officio privatur jurisdictione, ita ut nulli sint ipsius actus si denuntiatus sit : nulla est, v. g., absolutio ab ipso data ; secus si sit toleratus.

Collatio autem beneficii facta suspenso ab officio, etsi ab ipso sit acceptata, irritari potest per judicis sententiam. Suspensio tamen non privat beneficio jam obtento. Stremler (*Des Peines ecclés.*, p. 301); S. Lig. (lib. 7, n° 316, *dub.* 3).

Si collatio fiat suspenso ab omni beneficio, irritari debet per sententiam judicis, sed interea suspensus fructus non facit suos : imò etiam post absolutionem, tenetur malè perceptos restituere, nisi condonationem eorum à Papâ obtinuisset. Stremler (*ib.*, p. 302); *Prælect. S. Sulp.*, n° 730.

6585. Quæri hîc posset an suspensus à beneficio, fructus, si sit pauper, possit sibi retinere ?

Resp. Affirmativè si suspensio sit lata in pœnam criminis omninò præteriti; secus si fuerit incussa ob contumaciam, quia Ecclesia non debet subvenire ei qui illam contemnit, præsertim cùm possit à suâ contumaciâ recedere. Attamen, si suspensus occultus sit, et munia sua impleverit, poterit sibi retinere partem quam dare substituto debuisset quia hæc pars non est habenda ut fructus beneficii, sed potiùs stipendium laboris. S. Lig., lib. 7, n° 316, *dub.* 1.

6586. Hodie in Galliâ clericus suspensus à beneficio non potest legitimè sibi retinere, nisi prout modò dictum est, pensionem ipsi à Gubernio solutam, quia juxta superiùs

dicta (5379, 5380, 5446), hæc pensio induit naturam reddituum ecclesiasticorum.

6587. Suspensio, ut jam diximus (6373), ferri potest vel ut censura propriè dicta, seu tanquam pœna medicinalis, pro delicto non merè præterito, post præviam monitionem, quæque tolli debet per absolutionem quando reus emendatur; vel etiam ferri potest ut pœna vindicativa, et tunc prævia monitio non est necessaria, ac ferri potest vel pro tempore determinato, vel ad beneplacitum, vel etiam in perpetuum; pro delicto merè præterito.—Si feratur pro tempore determinato, cessat elapso tempore assignato absque absolutione; potest tamen etiam tolli ante terminum, sed tunc per dispensationem, non verò per absolutionem (cap. *Cùm æterni* 1, *de sentent. et re judic.*, in 6°). Stremler, *ib.*, p. 297, etc.

6588. Si feratur ad beneplacitum, cessat per mortem, vel amotionem ferentis; secus tamen si lata fuisset ad *beneplacitum Sedis*, quia tunc indiget dispensatione successoris; item suspensio in perpetuum cessare potest per dispensationem. Hoc est autem discrimen inter absolutionem et dispensationem quòd absolutio directè cadat in reum et ab eo tollat vinculum quo ligatur; dispensatio verò cadat directè in legem vel mandatum et extinguat ipsius obligationem: prior tolli potest ab eo qui habet potestatem in foro interno, posterior verò requirit potestatem illius qui fori externi habet regimen. Ita Lequeux (n° 1437, *in fine*).

6589. Dignosci autem poterit an suspensio sit lata in modum censuræ aut meræ pœnæ, vel per observationem vel per omissionem formalitatum ad censuras requisitarum, vel prout feruntur ad tempus certum, aut perpetuum, aut ad tempus indeterminatum. Suspensio quæ fertur sinè monitione prævià, pro certo tempore, aut ad beneplacitum, aut in perpetuum, certè non est censura, sed mera pœna.

6590. Extra quosdam casus in quibus hujusmodi suspensiones ferri possunt ex informatâ conscientiâ, regulariter, non sunt infligendæ, nisi servato consueto juris ordine (Vide Stremler, *Des Peines ecclés.*, p. 298); unde si Prælatus solo verbo dicat sacerdoti : *Suspendo te*, v. g.

à celebratione, non est censura, nec etiam præcisè pœna propriè dicta, quia hæ non feruntur nisi scripto. Prælatus verò non debet præsumi velle peccare nisi aliud constet de ipsius intentione, aut nisi Religio haberet privilegium absque scripto ferendi censuras (S. Lig., lib. 7, n° 317, 10°); licet tamen aliquando præventivè suspendere, ut supra diximus (5868), aut etiam disciplinæ causâ ut in casu visitationis; sed violatio suspensionis sic contractæ non inducit irregularitatem. Vide *Prælect. S. Sulpitii*, n° 729. — An incurratur autem irregularitas ex suspensione quæ sit pœna propriè dicta licet non medicinalis, vide expensum supra (1796).

6591. Suspensus ab ordine denuntiatus vitandus est in divinis, non verò quoad jurisdictionem, vel quoad beneficium: nec etiam in divinis vitari debet, nisi quatenus à suspensione ei illatâ prohibetur: unde suspensi possunt officiis divinis assistere et recipere sacramenta præter Ordinem, ut supra diximus (6574); tolerati autem divinas functiones exercentes non peccant si ab aliis requirantur; secus si, non requisiti, iis se immisceant.

6592. Qui non vitant suspensum denuntiatum non peccant mortaliter nisi censeantur cooperari actui à quo suspensus est, quales sunt qui inserviunt; unde audire missam suspensi denuntiati non est peccatum mortale nisi inservias: hoc communius et verius vocat S. Liguorius qui etiam approbat AA. dicentes in hoc nullum esse peccatum, nisi scandalum interveniret. (S. Liguor., *ib.*, n° 313.)

6593. Clericus tamen suspensus peccat graviter quando exercet actum ipsi per suspensionem vetitum, nisi exerceret ordinem non sacrum, vel si sacrum exerceret non solemniter, vel si in parvâ materiâ, v. g. si exerceret levem actum jurisdictionis, si benediceret mensam, etc.: secus si benediceret aquam, nuptias, fructus, etc., juxta solemnitates ab Ecclesiâ præscriptas. (S. Liguor., *ib.*)

6594. Semel incursa suspensio ubique suspensum alligat, proinde etiam extra diœcesim suspendentis.

6595. Non autem suspensus eximitur ab obligatione

officium recitandi, missæ interessendi, sacramenta recipiendi.

6596. Quærit. 1° An Episcopus suspensus *à Pontificalibus* incurrat irregularitatem si ea exerceat, v. g. confirmando, consecrando calices, etc.?

Resp. Quosdam negare, quia juxta ipsos Episcopatus non est ordo, sed solùm extensio vel complementum ordinis. Sed probabiliùs est affirmandum, quia, etsi verum esset Episcopatum non esse ordinem distinctum, attamen præfatæ functiones essent indubitanter exercitium ordinis saltem extensi : « unde prima sententia, inquit S. Lig., non « videtur satis probabilis » (lib. 7, n° 314).

6597. Quærit. 2° An suspensio possit ferri ob peccatum veniale?

Resp. Quidquid dicant nonnulli apud S. Liguor. (*ib.*), n° 321), veriùs et communissimè tenetur quòd gravis suspensio non possit inferri nisi ob mortale peccatum, quia culpa debet pœnæ proportionari; unde nulla esset suspensio gravis lata ob veniale peccatum; si tamen suspensio non esset gravis, vel si esset ad breve tempus, puta ad diem, vel hebdomadam, vel si esset solùm ferendæ sententiæ et non deberet infligi absque prævià monitione, concedit S. Liguor. quòd posset inferri ob veniale peccatum; sed non videtur posse fieri prudenter nisi in monasteriis.

Si verò Episcopus suspensus *à Pontificalibus* missam celebraret solemniter in apparatu Pontificali, certum est quòd peccaret; sed probabiliùs negatur ipsum irregularitatem incurrere, quia actus sacrificandi non est substantialiter actus pontificalis, sed potiùs ordinis sacerdotalis à quo Episcopus nou supponitur suspensus : et quòd celebratio fiat in Pontificalibus, per accidens se habet; irregularitas autem non incurritur nisi in exercitio actûs prohibiti. (S. Liguor., *ib.*)

6598. Quærit. 3° Quænam sint suspensiones in particulari?

Resp. In decursu hujusce operis, pro data occasione et in fine tomi I inter notas Const. *Apostolicæ Sedis* affixas, sufficienter varias suspensiones exposuimus : liceat hîc memorare solùm reservatas a Pio IX :

6599. » 1° Suspensionem ipso facto incurrunt a suorum beneficiorum perceptione, ad beneplacitum S. Sedis, Capitula et conventus ecclesiarum et monasteriorum aliique omnes, qui ad illarum seu illorum regimen et administrationem recipiunt Episcopos aliosve Prælatos de prædictis ecclesiis seu monasteriis, apud eamdem S. Sedem quovis modo provisos, antequam ipsi exhiberint litteras apostolicas de sua promotione. V. insuper t. I, p. 688.

» 2° Suspensionem per triennium a collatione ordinum ipso jure incurrunt aliquem ordinantes absque titulo beneficii vel patrimonii cum pacto ut ordinatus non petat ab ipsis alimenta.

» 3° Suspensionem per annum ab ordinum administratione ipso jure incurrunt ordinantes alienum subditum etiam sub prætextu beneficii statim conferendi, aut jam collati, sed minime sufficientis, absque ejus Episcopi litteris dimissorialibus, vel etiam subditum proprium, qui alibi tanto tempore moratus sit, ut canonicum impedimentum contrahere ibi potuerit, absque Ordinarii ejus loci litteris testimonialibus.

» 4° Suspensionem per annum a collatione ordinum ipso jure incurrit qui, excepto casu legitimi privilegii vel patrimonii, ordinem sacrum contulerit, absque titulo beneficii vel patrimonii, clerico in aliqua congregatione viventi, in qua solemnis professio non emittitur, vel etiam religioso nondum professo.

» 5° Suspensionem perpetuam ab exercitio ordinum ipso jure incurrunt religiosi ejecti extra Religionem degentes.

» 6° Suspensionem ab ordine suscepto ipso jure incurrunt qui eumdem ordinem recipere præsumpserunt ab excommunicato vel suspenso, vel interdicto nominatim denuntiatis, aut ab hæretico vel schismatico notorio : eum vero, qui bona fide a quopiam eorum est ordinatus exercitium non habere ordinis sic suscepti, donec dispensetur, declaramus.

» 7° Clerici sæculares exteri, ultra 4 menses in Urbe commorante ordinati ab alio quam ab ipso suo Ordinario absque licentia Card Urbis Vicarii, vel absque prævio examine coram eodem peracto, vel etiam a proprio Ordinario, posteaquam in prædicto examine rejecti fuerint; necnon clerici pertinentes ad aliquem e 6 Episcopatibus suburbicariis, si ordinentur extra suam diœcesim, dimissorialibus sui Ordinarii ad alium directis quam ad Card. Urbis Vicarium; vel non præmissis, ante ordinem sacrum suscipiendum, exercitiis spiritualibus per decem dies in domo urbana Sacerdotum a Missione nuncupatorum, suspensionem ab ordinibus sic susceptis ad beneplacitum S. Sedis ipso jure incurrunt ; Episcopi vero ordinantes ab usu Pontificalium per annum. »

6600. Addemus insuper hic suspensiones contra religiosos, etsi non reservatas; suspensi ergo sunt religiosi : 1° apostatæ recipientes ordines in apostasia ; 2° admittentes ad professionem ante annum probationis peractum ; 3° non utentes habitu et vestitu modo sibi præscripto ; 4° introducentes mulieres in monasteria (S. Liguor. lib. 7, 319).

6601. Quilibet confessarius potest absolvere à suspensione non reservatâ : religiosi verò non amplius possunt absolvere ab omni suspensione in foro conscientiæ. Episcopi autem possunt etiam absolvere à suspensionibus Papæ reservatis à jure, si proveniant ex delicto occulto et non deducto ad forum contentiosum. (Trid., sess. 24, c. 6.)

6602. Si suspensio sit lata in communitatem, is tantùm potest ab eâ absolvere qui in communitatem jurisdictionem habet in foro contentioso. (S. Liguor., lib. 7, n° 322.)

De suspensione ex informatâ conscientiâ diximus supra (6010-6025).

§ III.

De interdicto.

6603. Interdictum est *censura ecclesiastica prohibens divinorum officiorum, sacramentorum aliquorum et ecclesiasticæ sepulturæ usum quatenus sunt bona Ecclesiæ :* quod additur eò quòd excommunicatio iisdem bonis privet, sed quatenus per ea communicatio fit cum fidelibus; suspensio verò non propriè usum illum impedit sed exercitium potestatis ecclesiasticæ (ap. S. Liguor., lib. 7, n° 328).

6604. Interdictum aliud est *locale*, quod immediatè locum afficit; aliud *personale* immediate afficiens personas easque ubique sequens; aliud *mixtum*, quod immediatè loca et personas afficit. Differt autem locale à personali quòd in illo tam indigenæ quàm alienigenæ teneantur se abstinere à sacris officiis, non absolutè quidem, sed tantùm quando reperiuntur in loco interdicto, iis tamen exceptis qui causam interdicto dederunt, qui, cùm personaliter sint interdicti, tenentur ubique interdictum observare. Stremler (*Des Peines ecclés.*, p. 343); S. Liguor. (lib. 7, n° 332) : nam quando interdictum est personale, absolutè et in omni loco tenentur interdicti se à sacris officiis abstinere, sed ad hoc tenentur solæ personæ interdictæ.

6605. Iterum interdictum, tàm locale quàm personale, dividitur in generale et particulare : *generale* est quando locus generalis, v. g. tota regio, natio, provincia, vel

tota communitas interdicitur; *particulare* est quando locus vel persona determinata, aut personæ in individuo interdicuntur. (S. Lig., *ib.*, nº 329.)

6606. Item interdictum est completum vel pro parte : prius omnes effectus interdicto proprios comprehendit; posterius quosdam solùm illius effectus producit, prout esset v. g. interdictum ab *Ecclesiasticâ sepulturâ*, vel interdictum ab *ingressu ecclesiæ*. *Nota* quòd interdictum *ab ingressu ecclesiæ* differat à suspensione ab ingressu ecclesiæ : per istam enim, juxta Barbosam, intelligi debet suspensio *à divinis*. Vide Stremler (*Des peines ecclés.*, p. 347). Interdictum verò *ab ingressu ecclesiæ* privat duntaxat jure ecclesiam ingrediendi ad audienda vel celebranda sacra mysteria, aut officia divina : sed non privat nec usu passivo, nec usu activo sacramentorum; imò non privat jure audiendi vel celebrandi ipsamet sacra mysteria aut divina officia, modò missa aut divina officia celebrentur extra ecclesiam casibus quibus id licet : sic interdictus ab ingressu ecclesiæ posset celebrare, v. g., in cœmeterio vel in oratorio privato, sed nequiret assistere missæ quæ in ecclesiâ celebraretur, etiamsi foris staret, quia taliter assistens censetur præsens in ecclesiâ : posset tamen ecclesias ingredi, sed extra tempus quo missa vel divina officia celebrantur (Cap. *Is cui, de sentent. excomm.*, in 6º). Vide Stremler (*Des peines*, etc., p. 346). Secus sentit Suarez (ap. Lequeux, nº 1449) ex can. *Latorem* 15, causa 33, q. 2.

6607. Quando interdictum fertur sinè addito, intelligi debet de interdicto completo : si interdictum speciale sit à divinis et contra clericos feratur idem est ac suspensio.

6608. Interdictâ civitate, interdicuntur non solùm suburbia sed etiam monasteria exemptorum, et ipsorum ecclesiæ, alioquin interdictum fieret illusorium. Interdictum hujusmodi servare tenentur clerici et regulares, imò et Episcopus qui tulit illud.

6609. Attamen regulares, tempore interdicti generalis, possunt in suis monasteriis divina peragere, prout officia recitare, missas celebrare, etc. : submissâ tamen voce, januis clausis, sinè sonu campanæ et exclusis nominatim

interdictis, vel qui causam interdicto dederunt, ut concessum fuit in c. *Alma, de sentent. excomm.* in 6°; item possunt Eucharistiam et Extremam-Unctionem suscipere, missas audire, et ad hæc possunt admittere monasterii famulos, procuratores, operarios non specialiter interdictos. Et etiam possunt publicè celebrare in festis Paschatis, Pentecostes, Natalis Domini, Assumptionis B. M., SS. Sacramenti et ipsius Octavæ, Conceptionis, Annuntiationis et Nativitatis B. M., SS. Titularium Ecclesiæ et Sanctorum proprii Ordinis, in festis Circumcisionis, Epiphaniæ, SS. Trinitatis, Apostolorum, S. Joannis Bapt., S. Lucæ, S. Marci, Omnium SS., Omnium Defunctorum. (S. Lig., lib. 4. n° 61.)

6610. Interdictâ verò ecclesiâ parochiali, interdicitur etiam sacellum vel cœmeterium contiguum, sed non vice versâ, quia accessorium sequitur naturam principalis, non è contra. Ita cap. *Si civitas* 17, *de sent. excomm.*, in 6°.

6611. Interdicto populo non interdicuntur ii qui non sunt ipsius pars, ut studentes, clerici, peregrini, etc. Interdicto è contra clero, laici non censentur pariter interdicti (cap. *Si sententia, de sent. excomm.*, in 6°).

6612. In interdicto generali personali non comprehenduntur Episcopi, qui etiam eximuntur à suspensione generali (cap. *Quia periculosum 4, de sent. excomm.*), quique etiam in interdicto locali celebrare possunt in altari portatili, nisi causam dedissent interdicto; item non comprehenduntur infantes et amentes doli incapaces, qui tamen privantur sepulturâ ecclesiasticâ; nec exteri, etsi per multum tempus inter cives interdictos habitent. S. Liguor., lib. 7, n° 331; Stremler, *Des peines*, etc., p. 344 et 345.

6613. Interdicto clero, non interdicuntur religiosi, quia *clerici* nomine non comprehenduntur nisi in favorabilibus, excepto tamen casu quo officium vel beneficium in populo haberent.

Item, interdicto clero, non interdicuntur clerici qui privilegio fori non gaudent; nec alii clerici qui ibi non habent beneficium aut officium quia hi unum corpus cum clero non constituunt. (S. Liguor., lib. 7, n° 331.)

6614. Effectus autem interdicti sunt sequentes : 1° prohibitio *divinorum officiorum* : quo nomine veniunt omnia

quæ à solis clericis fieri solent, benedictiones, consecrationes, etc.; non autem recitatio breviarii, officii B. M. vel defunctorum, si dicantur privatim et in loco non deputato ad illa recitanda : secus si recitentur in choro prout fit à monialibus (Stremler., *ib.*, p. 354). Conciones non prohibentur tempore interdicti, sive localis sive personalis.

6615. Etiam interdicti ob alienam culpam prohibentur interesse sacro. Clerici tamen et religiosi si non sint personaliter interdicti, possunt ac debent etiam in interdicto locali generali, non verò in particulari, celebrare, ut aliàs, missas divinaque officia, sed januis clausis, non pulsatis campanis (nisi ad concionem, Salutationem Angelicam, vel obitum alicujus), submissâ voce et exclusis *personaliter* interdictis, aut qui causam interdicto dederunt, si fuerint nominatim interdicti (Cap. *Alma mater, de sent. excomm.*, in 6°). Nomine autem *clericorum et monachorum* veniunt omnes utriusque sexûs qui gaudent privilegio *fori* et *canonis:* nihil verò laicis conceditur.

6616. Nomine *ecclesiarum* veniunt etiam eremitoria et hospitalia auctoritate Episcopi erecta, non verò oratoria privata sæcularia.

6617. Si interdicti post monitionem nolint exire, et Canon missæ non sit inceptus, cessandum est à celebratione, aliter celebrans incurrit irregularitatem : hoc tamen procedit, si celebretur in loco interdicto, quia ibi non censetur data facultas celebrandi, nisi exclusis hujusmodi interdictis : si celebretur solùm coram personaliter interdicto, licet denuntiato, debet quidem expelli talis interdictus : si tamen nequeat, non tenetur celebrans cessare quia id nullibi præcipitur. Nominatim verò interdicti, qui post monitionem exire nolunt, excommunicationem ipso facto incurrunt, prout ii pariter qui clericos cogunt celebrare in loco nominatim interdicto (Clem. 2, *de sent. excomm.*). Non servantur eæ pœnæ nisi juxta C. *Ap. Sed.*

6618. Permittitur etiam in interdicto locali generali, non verò in particulari, ut, in festis Natalis Domini, Paschæ, Pentecostes, Assumptionis B. M., Immaculatæ Conceptionis et die ipsius Octavâ, et per Octavam Corporis

Christi, divina officia etiam à primis vesperis cantentur solemniter, exclusis quidem excommunicatis denuntiatis, sed admissis ipsis interdictis, dummodo qui causam dederunt interdicto altari non appropinquent, nec veniant ad Offertorium vel Communionem; cæteri possunt communicare sed intra missam tantùm. Proinde his diebus, etiam interdicti tenentur missam audire (vide Stremler, *ibid.*, p. 358).

Cæteris diebus qui privilegium habent audiendi missam possunt se abstinere ab eâ audiendâ ut se juri communi conforment. Barbosa tamen contrarium tenet juxta Stremler (*ib.*, p. 356). Quoad regulares, vide dicta supra (6609).

6619. — 2° *Prohibitio administrationis sacramentorum*, in quâ tamen prohibitione non comprehenduntur Baptismus, Confirmatio et Pœnitentia (cap. *Alma, de sentent. excomm.*, in 6°); Baptismus autem conferri potest etiam solemniter atque à ministro interdicto generaliter, non verò specialiter nisi in casu necessitatis, et tunc administrari debet absque solemnitate, prout à laicis administrari valet (Stremler, *ib.*, p. 350) : et idem est dicendum de ministro Pœnitentiæ et Confirmationis : unde Episcopus non specialiter interdictus potest conficere chrisma die Cœnæ Domini, etiam tempore interdicti sive localis sive personalis (Stremler, *Des Peines*, p. 351). Præfata tria sacramenta omnibus conferri possunt, iis tamen exceptis, qui interdicto causam dederunt, aut auxilium vel favorem præstàrunt, exceptis pariter personaliter et specialiter interdictis, nisi priùs satisfecerint si possint, aut saltem cautionem juratoriam præbeant si non possint : validè tamen etiam Pœnitentiæ sacramentum posset administrari personaliter interdictis, si essent dispositi, quia interdictum non tollit jurisdictionem (vide Stremler, p. 351); Eucharistia verò potest dari moribundis cum solemnitate consuetâ, id est cum lumine et pulsatione campanæ : idem est dicendum de iis qui sunt præliaturi, vel navigationem periculosam assumunt. *Nota* autem quòd à specialiter interdictis prævia satisfactio sit exigenda (Stremler, p. 352).

6620. Controvertitur an clerici, quibus conceditur missam

audire, ut supra diximus (6615), possint communicare : affirmat Stremler (*ib.*, p. 353). Sacramenta Ordinis et Extremæ-Unctionis recipi nequeunt ab interdictis, nec tempore interdicti : contradicit tamen Croix quoad Extremam-Unctionem. Communiter autem tenetur religiosos posse tempore interdicti recipere communionem et Extremam-Unctionem, ut diximus supra (6609).

6621. Probabilius putat S. Liguor. licere interdictis matrimonium contrahere, quia hoc sacramentum à contrahentibus administratur; unde in cap. *Capellanus, de feriis*, dicitur quòd matrimonium possit contrahi quocumque tempore, et idem habetur in Rituali Romano. Vide S. Liguor., lib. 7, nº 334.

6622. Idem S. Liguorius notat (*ibid.*) : « Quòd si interdictum sit latum ex sententiâ injustâ, quæ videbatur » justa secundùm probata, in foro externo debet servari, » sed non interno; quare, cessante scandalo, possunt » audiri sacra, recipi sacramenta. Religiosi tamen, quando » interdictum servatur ab Ecclesiâ Cathedrali vel matrice, » tenentur illud servare, etiamsi illud sit nullum ex quo» cumque capite. Ex Clement. 1, *de sent. excomm.* »

6623. — 3º *Prohibitio sepulturæ ecclesiasticæ*, etiam respectu infantium et amentium (cap. *Quod in te, de pœnitentiâ et rem.*, et cap. *Episcoporum, de privilegiis*, in 6º, et Clement. 1, *de Sepult.*). Excipiuntur clerici, qui in interdicto generali, tàm locali quàm personali, sepeliri possunt in loco sacro etiam cum missâ, sed sinè pompâ : quinimò sepeliri possunt in ecclesiâ specialiter interdictâ; sed ii tantùm clerici qui hujus ecclesiæ servitio sunt addicti, et sinè missâ tunc sepeliri deberent : laici verò, tempore interdicti localis generalis, sepeliendi sunt in loco non sacro, etiam infantes, et si fortè in loco sacro fuissent sepulti, exhumari debent : cessante autem interdicto, omnes in loco sacro sunt reponendi. S. Liguor. (lib. 7, nº 335); Stremler (*ib.*, p. 358, etc.).

6624. Mandantes seu cogentes tradi sepulturæ ecclesiasticæ hæreticos notorios, aut nominatim excommunicatos vel interdictos, excommunicationem nemini reser-

vatam incurrunt. Insuper interdictum contrahunt, ut infra dicemus (6634), qui admittunt nominatim excommunicatos ad divina officia vel ecclesiasticam sepulturam (C. *Apost. Sedis*); non autem, si ad eadem admittunt eos qui solummodo sunt interdicti.

6625. Tempore verò interdicti generalis personalis nemo est privandus sepulturâ ecclesiasticâ, nisi qui personaliter et nominatim essent interdicti (Clement. 1, *de sepult.*; Glossa ad verbum *Nominatim.*; cap. *Ut privilegium* 24, *de privileg.*).

6626. Nemo pariter est privandus sepulturâ ecclesiasticâ, nisi interdictum tàm locale quàm personale sit specialiter denuntiatum.

6627. Clerici violantes interdictum mortaliter peccant: excusantur tamen parvitate materiæ, ut si exerceantur functiones quæ à laicis fieri possunt; item si brevi relinquant ostium ecclesiæ apertum.

6628. Exercentes verò ordinem sacrum, quando sunt specialiter interdicti, vel quando id faciunt in loco specialiter interdicto, aut in loco generaliter interdicto, januis apertis, non solùm graviter peccant, sed etiam incurrunt irregularitatem. (S. Liguor., lib. 7, n. 336.)

6629. Admittentes laicos interdictos ad officia divina non amplius hodie interdicuntur ab ingressu ecclesiæ (Const. *Apost. Sedis*).

Religiosi verò utriusque sexûs, qui violant interdictum, excommunicantur ipso facto.

6630. Laici autem graviter peccant si, non obstante interdicto personali, recipiant sacramenta; si verò tantùm violent interdictum locale, audiendo v. g. divina officia, probabiliùs est ipsos peccare tantùm venialiter, dummodo ipsi personaliter non sint interdicti (ap. S. Liguor., *ib.*).

6631. Quærit. 1° Quinam possint interdictum ferre?

Resp. Eosdem posse qui cæteras censuras inferre valent. Nota tamen quòd Prælati regulares possint quidem interdicere suos subditos, non autem suas ecclesias. S. Liguor. (lib. 7, n° 337); Stremler (*ib.*, p. 347).

6632. Ut autem determinata persona interdicatur, requiritur culpa mortalis ejusdem personæ, nisi interdictum esset ad breve tempus, in ordine ad unum tantùm aut alterum effectum : in quo casu, incurri posse interdictum, ob peccatum veniale, plures dicunt : sed hoc, saltem hodie, parum est practicum.

6633. « Ut autem feratur interdictum locale vel generale » in communitatem requiritur peccatum valde grave, cum » contumaciâ commissum à Capite vel præcipuis membris, » licet reliqui culpâ vacent » (ap. S. Liguor., *ib.*, n° 337).

Interdictum ergo generale non posset inferri pro oblinendâ alicujus debiti privati solutione. (Extrav. comm., cap. *Providi* 2, *de sent. excomm.*)

6634. Quærit. 2° Quænam interdicta ipso facto jure communi incurrantur ?

Resp. 1° Interdictum personale incurritur ab iis qui celebrant aut faciunt celebrari divina in loco interdicto ; 2° qui scienter admittunt ad officia sacramenta, vel sepulturam nominatim excommunicatos, interdicuntur ab ingressu ecclesiæ, et reservatur interdictum (C. *Apost. Sedis*).

3° Interdictum Romano Pontifici, speciali modo reservatum, ipso jure incurrunt Universitates, Collegia et Capitula quocumque nomine nuncupentur, ab ordinationibus seu mandatis ejusdem Romani Pontificis pro tempore exsistentis, ad universale futurum Concilium appellantia (C. *Apostolicæ Sedis*) ; 4° item à Capitulo danti litteras dimissorias ante annum à vacatione Sedis (Trid., sess. 7, c. 10, *de ref.*). V. Insuper t. I, p. 688.

6635. Nulla hodie subsistunt interdicta localia a jure, quia nunquam sunt observanda, nisi priùs denuntiata fuerint.

6636. Quærit. 3° Quomodo cesset interdictum ?

Resp. Interdictum generale cessat quoad omnes, si sit personale, per dissolutionem communitatis ; et quoad singulos, cessat statim ac desinunt esse membra communitatis interdictæ.

Interdictum locale, si sit speciale, cessat quidem per destructionem loci ; sed si ecclesia reædificetur, reviviscit interdictum. Vide Stremler, *ib.*, p. 363.

Cætera interdicta, nisi ferantur per modum meræ pœnæ, non cessant nisi per absolutionem.

« Interdicta localia, et personalia generalia, quæ jure » communi sunt imposita, nec reservata, possunt » tolli ab Episcopo, vel alio habente jurisdictionem in » communitatem interdictam, non tamen à religiosis pri- » vilegiatis, quia locus et communitas foro pœnitentiæ » non subjiciuntur (etiamsi haberent privilegium absol- » vendi ab omnibus censuris) : interdicta generalia lata » ab homine non possunt tolli, nisi ab eo qui tulit, vel à » Papâ. » (S. Liguor., lib. 7, nº 338.)

Ab interdicto personali particulari à jure lato, quivis confessarius potest absolvere si non sit reservatum. (Ap. S. Liguor., *ib.*, nº 339.)

DE CESSATIONE A DIVINIS.

6637. Cessatio à divinis non est pœna propriè dicta, nec proinde censura, cùm loca tantùm respiciat, et nullas personas directè afficiat; sed est tantùm *prohibitio simplex clericis facta, ut se abstineant ab officiis divinis, et ecclesiasticâ sepulturâ.* Indicitur ab Ecclesiâ in signum mœroris ob gravem injuriam ipsi illatam, ut sic reus ad satisfaciendum inducatur : de eâ fit mentio in cap. *Irrefragabili, de officio ordin.;* cap. *Quamvis, de officio ordin.*, in 6º; et Clement., *Ex frequenti, de sentent. excomm.* Publicari non debet, antequam reus per citationem idoneam provocatus fuerit ad reparandum injuriam.

6638. Hæc pœna nunquam est personalis sed tantùm localis, ejusque effectus ampliores sunt quàm interdicti, cùm tempore cessationis *à divinis* non liceat divina officia peragere in locis quæ ipsi subjiciuntur (Stremler, *ib.*, p. 365); secus tamen sentiunt multi canonistæ qui etiam volunt posse huic pœnæ applicari caput *Alma*, supra citat. (6615).

6639. Fas est, saltem identidem, celebrare ad renovandas sacras species, cùm hoc tempore liceat dare communionem moribundis.

Privilegium assistendi divinis officiis concessum laicis

pro tempore interdicti, locum non habet tempore cessationis à divinis : cessatio tamen suspendi potest per aliquos dies solemnes.

6640. Plerique alii effectus interdicti localis communes sunt cessationi *à divinis;* sacramenta concessa tempore interdicti, conceduntur pariter tempore cessationis à divinis.

6641. Cùm autem hujusmodi cessatio non sit censura, nec pœna propriè dicta, qui illam violat non incurrit pœnas contra violatores censurarum statutas, et si illam violet per exercitium alicujus ordinis sacri, in irregularitatem non incidit. Vide Stremler (*ib.*, p. 365 et 366); S. Liguor. (lib. 7, nº 340).

Et hìc sit tandem finis totius nostri Manualis juris canonici. Utinam cedat in maximam Dei gloriam, Ecclesiæ honorem et utilitatem ! Hic fuit scopus nostri laboris, et si obtineatur, satis nos remuneratos reputabimus.

FINIS.

INDEX ALPHABETICUS

RERUM IN TOTO MANUALI CONTENTARUM.

ABBAS. — Quoad præcedentiam, 626. Abbates veniunt post Capitulum collegialiter incedens, 631. An et quinam Abbates possint tonsuram et minores ordines conferre, 1990. An id possint Abbates sæculares, 1991. An aliquando non benedicti, 1992. Quibusnam Abbates possint ordines minores conferre, 1993. An invalida sit collatio minorum ordinum facta ab Abbate non subditis, 1993. An abbas sit de Capitulo, 2170. Abbates Trappistarum confirmantur à Superiore Generali Cisterciensi, 2997. An Abbates possint consecrare ecclesias et altaria, 4775. An et quatenus possint irritare vota subditorum, 5219.

ABBATISSA.—Ipsius electioni præsidere potest Episcopus, 604. Quid sit observandum in ejusdem electione, 3006. An possit dispensare in lege jejunii, 5006. An possit vota suarum subditarum directè irritare, 5219. An et quatenus Abbatissæ possint agere et respondere in judicio, 5609.

ABBREVIATIONES. — Quibusnam utitur Sacra Pœnitentiaria et quomodo interpretandæ sint, 796.

ABLUTIO. — Est materia proxima Baptismi : quotuplici modo fieri potest, 3256. A quo fieri debeat, 3257. An validus esset Baptismus si quis projiceret baptizandum in flumen vel puteum, vel si una gutta aquæ tantùm adhiberetur, 3258. Quot debeant esse ablutiones, 3267. An et quatenus ablutio possit dari post Communionem, 3470.

ABORTUS. — Quid sit, 6273. Quibusnam pœnis plectatur, 6281. An eas pœnas incurrant mulieres quæ sibi abortum procurant, 6281.

ABROGATIO consuetudinis. Vide CONSUETUDO.

ABSENS.—An possit absolvi à censuris, 6475.

ABSOLUTIO. — In rescriptis solet inseri absolutio à censuris, *ad cautelam*, 53. Absolutio pro defunctis : vide DEFUNCTUS.— Quomodo exprimenda sit absolutio in Sacramento Pœnitentiæ, 3777. An omnia verba sint essentialia, 3778. Quænam sint essentialia, 3779. An essentiale sit dicere *à peccatis*, 3780. An necessaria sit manûs elevatio, 3781. Quibusnam, ex Ritùali, deneganda sit absolutio, 3782. An absolutio data sub conditione sit aliquando valida, 3783. An sit licita, 3784. Ex quibus causis absolutio possit dari sub conditione, 3785. An sit grave peccatum absolvere sub conditione eum qui judicatur dispositus, 3786. An per verba *Absolvo*, etc., pœnitens possit absolvi tàm à censuris

quàm à peccatis, et an possit absolvi à peccatis sinè præmissâ absolutione à censuris, 3780. An et quale sit peccatum dare absolutionem cum dubio effectûs, 3786. An et quatenus contritio sit necessaria ad absolutionem, 3787. Vide 1° CONTRITIO.—An et quomodo absolvendus sit moribundus qui non potest confiteri, sed dat signa pœnitentiæ in præsentiâ confessarii, 3818. Quid, si hæc signa det in absentiâ confessarii, 3819. An absolutio sit danda absolutè, in prædicto casu, vel tantùm sub conditione, 3821. An et quatenus sit absolvendus moribundus sensibus destitutus qui nulla dat signa pœnitentiæ, 3822-3823. Quid, si destitutus fuerit sensibus in actu peccati, 3824. Quid, si non constet ipsum esse catholicum, 3825. Quid sit absolutio censurarum, et an censuræ aliter quàm per absolutionem possint tolli, 6436. Quid dicendum de censuris vindicativis seu impropriè dictis, 6437. A quo censuræ possint absolvi, 6438. An censuræ merè vindicativæ censeantur reservatæ, 6439. An absolutio censurarum à simplici confessario data valeat pro externo foro, 6440. An simplex confessarius possit absolvere à suspensione et interdicto non reservatis, 6441, 6642. An simplex sacerdos possit absolvere à censuris non reservatis, 6441. Quid si feratur per sententiam generalem, 6443. A quo absolvi possunt censuræ à jure latæ quæ sunt reservatæ, 6443. An facultas à Concilio Trident. Episcopis data, fuit revocata per Bullam *Cœnæ*, 6444. An et quatenus Episcopi uti valeant facultate absolvendi à Concilio Tridentino concessâ, extra Bullam *Cœnæ*, 6446. An id possint in locis ubi Concilium Tridentinum non est receptum, 6447. An casus papales sint reservati quando aliquis fuit de iis punitus in aliâ diœcesi, 6448. An crimen in uno loco publicum possit absolvi ab Episcopo loci ubi est occultum, 6449. An Abbates et alii habentes jurisdictionem episcopalem uti valeant facultate Episcopis à Concilio Tridentino concessâ, 6450. An Episcopus valeat absolvere alienigenas à suspensionibus Papæ reservatis, 6452. An possit Episcopus delegare facultatem absolvendi à casibus papalibus extra Pœnitentiæ Sacramentum, 6453. An Episcopus possit absolvere à casibus Bullæ *Cœnæ* eos qui sunt impediti Romam adire, 6454. Quinam intelligantur impediti, 6455. An perpetuò impediti teneantur se sistere coram Superiore, 6456. An immunes sint ab obligatione comparendi qui absoluti fuerunt in articulo mortis, 6457. Quid si absolverentur à casibus reservatis absque censurâ, 6458. An à simplici confessario possint absolvi qui impediti sunt Episcopum adire, 6459. An Episcopi possint generaliter delegare facultatem absolvendi impeditos Romam adire, 6460. Quomodo danda sit absolutio à censuris, 6461. Quid in foro externo sit servandum, 6462-6464. Non est danda absolutio à censuris, nisi ei qui parti læsæ satisfecit, 6465. Item tantùm petenti est danda

6466. Innodatus pluribus censuris absolvi potest ab unâ et non à cæteris, 6467. Qui habent facultatem absolvendi à censuris Papæ reservatis, non ideò possunt absolvere à censuris Episcopo reservatis, 6468. Suspensio et interdictum in modum meræ pœnæ lata, cessant, non per absolutionem, sed per dispensationem, 6470. Quibusnam pœnis plectantur ii qui per vim absolutionem à censuris extorquent, 6471. Quid sit absolutio *ad cautelam*, et quandonam detur, 6472. An valeat absolutio censurarum ob falsam causam data, 6472. An valida sit absolutio data à delegato, nondum satisfactâ parte, 6474. An possit dari absolutio censurarum sub conditione de futuro contingenti, 6475. An absens possit à censurâ solvi, 6476. An possit dari absolutio ad reincidentiam, 6477. An habens potestatem absolvendi in foro conscientiæ absolvere possit extra confessionem, 6478. An valida sit absolutio censurarum reservatarum accepta bonâ fide à confessario qui talem non habet facultatem, 6479. An habens potestatem absolvendi à casibus Episcopo reservatis possit eo ipso absolvere à censuris iis casibus annexis, 6480-6481. Quodnam sit discrimen inter absolutionem et dispensationem, 6588.

ABSOLUTORIA. — Quid sit sententia absolutoria, 5950.

ABSTEMIUS. — An et quatenus sit irregularis, 1864.

ABSTINENTIA. — Quinam sint dies abstinentiæ, 4972. Quorumnam animalium carnes sint vetitæ, 4996. An dispensatus ad carnes possit simul edere pisces, 4997-4999. An prohibitio respiciat dies dominicas Quadragesimæ, 4998. Quænam quantitas carnis sit mortale peccatum, 4989.

ABUSUS. — Quid sit et quomodo contingat, 643. Remedia contra abusus jurisdictionis, 644. De appellatione ab abusu, 666-669.

ACADEMIA LOVANIENSIS. — Quid senserit de parochis, 1291.

ACADEMICUS.—Vide GRADUS.

ACCEPTATIO. — Est necessaria ad exercendam jurisdictionem sive delegatam, 323. Sive ordinariam, 386.

ACCESSUS.— Quid sit, 426. Quandonam ei sit locus, 407-408. Quandonam sit ei locus in electione Papæ, 426.

ACCUSATIO. — Per decem sæcula, viguit modus procedendi per viam accusationis, quibusdam tamen casibus exceptis, 5799. In quo consistat modus procedendi per viam accusationis, et quid ad hoc requiratur, 5800. Quomodo accusatio proponi debeat, 5801-5802. Quinam possint et quinam vetentur accusare, 5803. In quibusnam casibus possint accusare etiam prohibiti, 5804. Quinam accusari valeant, 5806. An necessaria sit prævia diffamatio ut quis possit accusari, 5807. Quinam sint effectus accusationis relativè ad accusatum, 5808. Accusatio extinguitur per mortem accusatoris et accusati, 5809. An post certum tempus prohibeatur accusatio, et post quodnam temporis spatium id prohibeatur, 5810.

ACCUSATOR. — An et quatenus clerico liceat accusare, 1942-1944. An accusator se obligare debeat ad subeundam pœnam talionis, 5802. Judex potest et debet repellere accusatorem illegitimum, 5805.

ACCUSATUS. — An accusati aput Curiam sæcularem admitti possit in Religionem, 2635. An possint promoveri ad novas dignitates, 5808.

ACETUM. — An possit esse materia valida Eucharistiæ, 3362-3364. — Vide VINUM.

ACOLYTHATUS. — Quid sit et qualem potestatem conferat, 1692.

ACTIVUS. — Quid sit Ordo vitæ activæ deditus, 3104. Quinam sint hujusmodi Ordines, 3129-3134.

ACTOR. — Quid sit actor in judicio forensi, 5477. An quasi-actor requiratur in judicio, 5477. An vices actoris fama implere valeat, 5478. An quis possit esse judex qui consimilem causam habet tanquam actor aut reus, 5553. Quinam sint habiles ad standum in judicio tanquam actores, 5595. An sint habiles infantes aut amentes, 5595. An surdi et muti, 5596. An interdicti ob vitium prodigalitatis, 5597. An minores, 5598. An minores possint esse actores in causis criminalibus, 5599. An in causis spiritualibus, 5600. An actores possint esse mulieres et religiosæ, 5601. An excommunicati, 5602-5604. Excommunicatus etiam toleratus potest repelli ut actor, 5605. An actores possint esse religiosi, 5606-5609. Quis debeat esse actor pro parochiis, 4610. An sint casus in quibus possit cogi quis ut sit actor, 5611. An actor possit cogi ad comparendum personaliter, 5612, etc. An procurator actoris indigeat semper mandato legitimo, 5638.

ACTUS HEROICUS. — Quid de eo sit sentiendum, 4507-4508. Actus exteriores ab Ecclesiâ præcipi possunt, 13.

ACTUARIUS. — Unde veniat hoc nomen, 5773. Quid sit actuarius, 5774. An differat à Notario, 5775.

ADEPTIO. — Adeptio jurisdictionis delegatæ, 307-325. Adeptio jurisdictionis ordinariæ, 327, etc.

ADMINICULUM. — Quandonam existit, et quatenus probet in judicio, 5701.

sit et ad quid teneatur parochi coadjutor, 1342. Quid sint et quale jus habeant coadjutores Canonicorum, 2236. An regularis possit eligi in parochi coadjutorem, 2878, 2881 : vide VICARIUS. — Coadjutores Episcoporum quid sint et quotuplicis generis, 1093. Differunt ab Administratore Apostolico, 1095. Coadjutor cum futurâ successione, 1096. An Coadjutores sint Prælati, 1097. Quid de Coadjutoribus statuerit Tridentinum, 1098. A quo constitui possint Coadjutores Episcoporum, 1099. De quibusdam casibus in quibus constitui possunt sinè obtentâ licentiâ S. Sedis, 1100. Causæ propter quas dari potest Coadjutor, 1101. An invito possit dari Coadjutor, 1102. Quænam sit Coadjutorum potestas, 1103, 1106. An Coadjutus possit alteri delegare quæ Coadjutor vult facere, 1105. Quænam sint speciales obligationes Coadjutoris, 1107, 1108. Quænam congrua Coadjutori debeatur et undenam desumenda, 1110. Quænam sint prærogativæ Coadjutoris quoad honorifica, 1111. Quomodo expiret eorum potestas, 1112.

COCHLEARIS. — An liceat dare communionem cum vino in cochleari, 3393.

CŒMETERIUM. — Quid sint cœmeteria, 4733. An sepulchra clericorum in cœmeteriis separata esse debeant à sepulchris laicorum, 4738. An item separata esse debeant corpora parvulorum, 4739. Quo situ poni debeant corpora in cœmeteriis, 4740. An crux sit erigenda in medio cœmeterii et quatenus cœmeteria manuteneri debeant, 4741. Quibus expensis construi et instaurari debeant cœmeteria, 4742. Quid à lege civili præscribatur in Galliâ circa situm et dispositionem cœmeteriorum, 4743. Ad quem pertineat in Galliâ jus concedendi facultatem erigendi monumenta in cœmeteriis, 4743 *in fine*. An liceat vendere terram cœmeterii ad sepulturam faciendam, et an sit prohibitum aliquid exigere ad reparationes in ecclesiâ faciendas aut ad alias causas pias, 4744. An et quatenus ad hæredes transeat jus sepulturæ, 4745. An et quatenus exhumanda sint cadavera indebitè sepulta, 4746-4748. Quomodo cœmeteria à se invicem censeantur separata 4746. Quomodo polluantur cœmeteria, 4791. Quæ dicuntur de pollutione aut reconciliatione ecclesiarum applicanda sunt cœmeteriis, 4812. An et quatenus polluatur cœmeterium quando polluitur ecclesia, 4813 : vide POLLUTIO.

CŒNA. — An liceat bis celebrare missam in die *Cœnæ Domini*, 1368. An liceat privatim celebrare in cœnâ Domini, 3553. An in eâdem communio cleri præcipiatur, 3554. An facultas data absolvendi à casibus Papæ reservatis comprehendat casus contentos in Bullâ *Cœnæ Domini*, 1632. Quinam sint casus reservati in Bullâ *Cœnæ*, 1634. An per hanc Bullam reservetur peccatum eorum qui sinè facultate absolvunt à casibus reservatis in eâdem Bullâ, 1635. An Episcopus possit absolvere à

reservatis in Bullâ *Cœnæ* quando sunt occulti, 1645.

Cœnobita. — Quid sit, 3105.

Cœncla. — Vide Collatiuncula.

Cognatio. — Quid et quotuplex sit cognatio, 4256 : vide Consanguinitas. Quid sit cognatio spiritualis, an et quatenus sit impedimentum dirimens, 4269. Quid et quotuplex sit legalis, et quatenus sit impedimentum dirimens, 4270-4272. Quousque extendatur, 4271. An matrimonium possit consistere inter adoptantem et filiam filiæ adoptivæ, vel filiam illegitimam adoptati, 4272. An adoptio sit admissa à Codice nostro civili, 4274. An vigeat apud nos impedimentum canonicum cognationis civilis, 4275. An et quatenus cognatio sit impedimentum matrimonium dirimens juxta nostrum jus civile, 4387. Cognatio spiritualis quomodo contrahatur, 3320-3332.

Cohabitatio cum mulieribus. — An et quatenus clericis prohibeatur, 2090-2099 : vide Mulier.

Collatio. Quid et quotuplex sit, 417. Quomodo differat ab electione, 418. Ad collationem referendæ sunt confirmatio et institutio, 418. Ad quem pertineat collatio beneficiorum et officiorum quæ à Prælaturis diversa sunt, 451-465. Intra quodnam tempus collatio sit facienda, 464. Si collatio beneficii sit nulla, fructus ejus sunt restituendi, etsi fuerint bonâ fide percepti, quando nondum sunt consumpti, 479.

Collatio laica. — Quid erat et an fuerit abusus, 374. Collatio præbendarum à quo fieri debeat, 2269, 2278. De collatione simultaneâ : vide Simultanea. Quid sint beneficia collativa, 5389.

Collatiuncula (gallicè *collation*). Quid de eâ sit sentiendum et quænam quantitas cibi sit in eâ sumenda, 4986. Quinam cibi liceant in collatiunculâ, 4987. An possit interverti et mane sumi, 4988.

Collectio tertia juris canonici, 185.

Collegiata. — A quo sit erigenda, 2265. Quid sint Capitula collegiata, 2158. Quotuplicis speciei sint, 2160. Ad quem vel ad quos pertineat collatio canonicatuum et præbendarum in Collegiatis, 2279. An primæ Dignitates in Collegiatis conferri debeant graduatis, 2161. An in Collegiatis sit rigorosa obligatio divinum officium cantandi, 2161 Quo ordine veniant ecclesiæ Collegiatæ, 2161.

Collegium. — De capellanis collegiorum, 462, 1542. Quid sit Sacrum Collegium et quomodo sit compositum, 718. Collegium *propagandæ fidei*, 781.

Collocutorium. — Quid sit observandum quoad collocutorium in monasteriis monialium, 2861.

Color. — Cujus coloris esse debeant vestes sacræ, 3625. An color flavus sit licitus, et pro aliis inservire valeat, 3626. Ubinam indicetur color servandus in vestibus sacris, 3627. An liceant vestes sacræ polymitæ, 3628. Quis color sit servandus in ecclesiis alienigenis, 3629. Quis color in privatis sacellis,

3630. An color liturgiæ illegitimæ sit servandus, 3631. Sub quali obligatione color sit servandus, 3632.

COLORATUS. — Vide TITULUS.

COMA. — An liceat uti comâ fictitiâ in missâ, 3692. An prohibeatur usus coronæ capillitii, 3693. An sit peccatum comam relaxatam deferre, 2114.

COMEDERE. — An liceat comedere statim post communionem, 3379.

COMITIA Cleri Gallicani, quid erant et cujus sint auctoritatis, 94.

COMMATRES. — An moniales possint esse commatres, 2866.

COMMEMORATIO.—Quales commemorationes fuerint præscriptæ à Card. Caprarâ occasione suppressionis festorum in Galliâ, 4906. Cujus Patroni commemorationem facere debeant qui nulli ecclesiæ sunt adscripti, 4966. An sit facienda commemoratio tàm Titularis quàm Patroni, 4966. An sit facienda commemoratio Titularis sacelli privati quando in eo celebratur, 4967. De quonam Patrono commemorationem facere debet regularis, 4968. An Congregationes sæculares debeant facere commemorationem de Patrono loci vel diœcesis, et an debeant commemorationem facere Titularis cappellæ propriæ, 4969. An clerici in seminario degentes teneantur commemorationem facere Titularis ecclesiæ seminarii, 4967. An addi possint commemor 3712.

COMMEMORATIO DEFUNCTORUM. — An in die Commemorationis defunctorum parochus teneatur missam applicare suis parochianis defunctis, 1491. An qui tenetur quotidie applicare missam possit illam cuilibet applicare die Commemorationis defunctorum, 3517. An die Commemorationis defunctorum omnia altaria sint privilegiata, 3534.

COMMENDA. — Quid sit et an sit vetusta commendarum origo, 5452. In abusum verterunt commendæ, 5453. Neque laudari neque improbari generatim possunt commendæ, 5454. Commendæ adhuc subsistunt, 5455. An commendæ differant à beneficiis, 5456. Pluribus juribus utilibus et honorificis gaudent commendatarii, 5457.

COMMENDATITIÆ EPISTOLÆ. — Quid sint, 1009.

COMMISSARIUS *Apostolicus*.—Quid sit et an debeat esse in Dignitate constitutus, 817.

COMMUNIO.— Ubinam fieri debeat prima communio, 613. Regulares possunt dare communionem fidelibus in suis ecclesiis, solo die Paschatis excepto, 615, 1360. Ubinam fieri debeat communio paschalis, et an in Cathedrali fieri possit, 1357. Ubinam facere eam debeant ii qui in monasteriis degunt, 1359. An communio possit dari in Oratoriis privatis, 1361, 3580. Quandiù Christus maneat in Eucharistiâ post communionem, 3377. An liceat spuere post communionem, 3378. An liceat statim comedere, 3379. An communio sit danda capite damnatis, 3387. An ob chiragram liceat dare communionem aliis digitis quàm indice et pollice, 3392. An liceat eam dare ægrotanti cum vino in cochleari

3393. An communio possit dari in missis *De Requiem*, 3395-3397. Quid si missa *De Requiem* dicatur cum paramentis violaceis, 3396. Quâ horâ et quibus diebus communio sit danda, 3403-3404. Quænam regulæ sint observandæ circa frequentem communionem, 3405. A quo monialibus sit permittenda communio, à Superiorissâ an à confessario, 3043. Non à directore communiones sunt permittendæ sed à confessario, 3043. An communio sit parvulis necessaria, 3408. Quos obliget præceptum communicandi, 3410. An teneatur Viaticum sumere qui mane communicavit, 3412. De communione paschali, 3416-3425. An pueri debeant communicare statim ac habent usum rationis, 3426-3428. An sint communicandi amentes, semifatui et obsessi, 3429-3432. De dispositionibus animæ requisitis ad communionem, et quænam sit dispositio præcipua, 3433. An et ex quo præcepto confiteri debeat ante communionem qui mortalia habet, 3433, 3434. An ante communionem sit confitendum mortale oblitum, 3435. Quinam casus sint excipiendi, 3436. Quandonam censeatur deesse confessarius, 3437. Quid si quis habeat reservatum, 3438. Quid si excommunicationem, 3439. Quomodo intelligendum præceptum confitendi *quamprimùm*, 3441-3443. An ante communionem debita satisfactio sit exsolvenda à pœnitente, 3444. De dispositionibus requisitis in corpore ad communicandum, 3445. An pollutio impediat communionem, 3445. An item copula conjugalis, 3446. Quomodo vestitæ esse debeant mulieres, quomodo milites et sacerdotes quando ad sacram mensam accedunt, 3448-3449. An et quatenus jejunium sit requisitum, vide JEJUNIUM. An liceat missam interrumpere ad communicandum infirmum, 3557. An sacerdos, qui missam non potest perficere, sit communicandus ex hostiâ à se consecratâ, 3560. An et quatenus fieri debeat communio pro lucrandis indulgentiis plenariis, 4581, 4582.

COMMUNIO.—Quid per hanc vocem prohibeatur erga excommunicatos 6547.

COMMUNITAS religiosa. — Penes quem resideat dominium bonorum communitatum religiosarum, 2903. Quid si in communi possidere nequeant, 2904. An jus administrandi sua bona habeat communitas religiosa, et per quem debeat illud jus exercere, 2905. An aliquando Episcopo liceat se ingerere huic administrationi, 2906. An Episcopus habeat quamdam jurisdictionem circa administrationem bonorum communitatum religiosarum, 2907. An habeat in illam administrationem potestatem dominativam, 2908. An in aliquo adempta sit communitatibus religiosis bonorum suorum administratio, 2909-2932 : vide BONUM.

COMMUNITAS seu municipium (*commune*) subvenire debet Fabricæ pro expensis necessariis in ecclesiâ, 5344, 5345.

COMMUTATIO.—Quid sit voti com-

mutatio, 5229. Quotuplici modo fieri possit, et an per seipsum solum vovens possit votum in melius commutare, 5230. An votum jejunandi possit per voventem commutari in votum orandi, etc., et an omnia vota possint commutari in votum Religionis, 5231. An propriâ auctoritate vovens possit commutare votum in opus æquale, 5232. An requirantur causa et auctoritas competens ut votum commutetur in opus notabiliter minus bonum, 5233. An habens solam potestatem commutandi possit in opus notabiliter minus bonum commutare, 5233. Quid attendere debeat votum commutans, 5233. An is cujus votum fuit commutatum, ad illud possit redire, 5234. Quid si res subrogata impossibilis evadat, 5235. An habens potestatem commutandi vel dispensandi pro aliis possit uti hâc facultate pro seipso, 5235.

Comœdus. —Vide Mimus.

Comparere. — An et quatenus qui absolvuntur à casibus papalibus teneantur comparere coram Superiore et de hoc præstando juramentum præstare, 6454, 6455. An teneantur comparere, si impedimentum Romam adeundi sit perpetuum, 6456. An absoluti in articulo mortis comparere teneantur, 6457. An teneantur comparere qui absolvuntur à casibus reservatis absque censurâ in dicto mortis articulo, 6458.

Compatibile. — Quid sint beneficia compatibilia, 5388.

Compatres. — An religiosi possint esse compatres in Baptismo, 2866.

Competentia. — Quid sit quoad judices, 5655-5656. Quomodo acquiratur, 5657, etc.—Ad quid reducatur quæstio an quis sit competens, 5656. De modo dignoscendi an quis habeat competentiam, 5657. Quid primùm sit examinandum, 5658. S acquisita fuerit jurisdictio per delegationem, competentia dijudicatur ex eo à quo dimanat et ex verbis mandati, 5659. Quid de competentiâ in casu prorogationis jurisdictionis, 5660, etc.—Competentia acquiri potest per compromissionem, 5666, etc.—Acquiri potest per reconventionem, 5675. Per connexionem causarum, 5676. Acquiri et amitti potest per privilegium, 5677. De modo dignoscendi ratione ordinariæ jurisdictionis, 5678, etc. An competens sit, non tantùm Ordinarius domicilii, sed etiam loci contractûs, vel loci in quo sita est res controversa, vèl in quo delictum fuit commissum, 5693. Quid sit speciale Ordinario loci contractûs quoad competentiam, et an quasi-contractus comprehendantur etiam in regulâ, 5694. Quid sit speciale quoad competentiam Ordinarii loci ubi res controversa est sita, 5695. Quid speciale quoad competentiam Ordinarii loci ubi delictum fuit patratum, 5696. An per forum delicti tollatur forum domicilii, 5697.

Competentes. — Vide Catechumenatus.

Completorium. — Qualis sit pars officii, 5080. A quo instituta fuerit hæc hora, 5081.

Complex. — An confessario liceat exquirere nomen complicis, 3826. Aliquando tenetur pœnitens complicem manifestare, 3827. Quænam pœnæ sint latæ contra docentes licitum esse exquirere nomen complicis et an sint denuntiandi confessarii exquirentes nomen complicis, 3828. Quid sanciverit Bened. XIV circa confessionem proprii complicis, 3863. An valida sit absolutio complicis, 3865-3867. An excommunicationem incurrat qui duntaxat audit complicem, sed eum non absolvit, 3866. Quid intelligendum sit per peccatum turpe, 864 An absolutio complicis sit nulla etiam quoad alia peccata, 3865. Quænam pœnæ sint latæ contra confessarium absolventem complicem, 3866, 4633. Quid si complex nolit alteri confiteri, 3867. An complex possit absolvi tempore Jubilæi per confessarium complicem, 4633.

Componenda. — A Datariâ exigitur, 791.

Compositio. — Quid sit, à quo et quandonam sit admittenda, 5889. An licita, et an hodie semper sit expediens, 5890.

Compromissio. — Per compromissionem acquiritur jurisdictio, 5666. Quid sint arbitri compromissarii, 5667. Quomodo differant à judice propriè dicto, 5668. Quomodo ab arbitris juris, 5669. Quænam conditiones requirantur ut arbitri compromissarii competentiam habeant, 5670. Quis compromittere possit, 5672. Pro quibusnam causis, 5674.

Compromissum. — Modus electionis, 391.

Concilium. — Conciliorum Decreta, 77. Quid sint Concilia et an sint institutionis divinæ, 77. Quotuplicis speciei sint, 79. Quandonam sint œcumenica? Quandonam particularia, 79. In iis soli Episcopi habent ex officio votum decisorium, 78. Cardinales aut Abbates aut aliæ Dignitates vocem decisoriam non habent nisi ex privilegio, 78. An vocem decisoriam habeant parochi, 1301. An Papa sit supra Concilium œcumenicum, 691. Papa jus habet convocandi Concilia œcumenica, iisque præsidendi eaque confirmandi, 689. Quoties celebranda sint Concilia provincialia, 81. Quinam sint convocandi ad Concilium provinciale, 82. An Episcopi teneantur adesse Concilio provinciali, 1067. An ad Concilium provinciale Capitula sint convocanda, 2434. A quo, Sede Metropolitanâ vacante, convocari debeat Concilium provinciale, 83. Quinam habeant jus suffragandi in Concilio provinciali, 84. Causæ in eo pertractandæ, 85. Quid valeat Concilium provinciale in judiciis de Episcopis, 544-548. Decreta ipsius non sunt publicanda nec executioni demandanda antequam subjecta fuerint correctioni S. Sedis, 86. Hoc examen ad Congregationem Concilii spectat, 769. Non ideo tamen censenda sunt per hoc approbata à Sede Apostolicâ, 87. Decreta synodalia huic correctioni non sunt necessariò submittenda, 88. Quænam sit auctoritas Conciliorum, 89. An ad derogandum de-

cretis Concilii Generalis requiratur expressa ipsius mentio, 90. Quid si derogatio fiat per rescripta, 91. Quid speciale quoad Concilium Tridentinum, 92. An Tridentinum sit in Galliâ receptum quoad disciplinam, 93. Ordo servandus in Conciliis inter Episcopos, 829.

Concio. — An Canonici cogi possint ad assistendum collegialiter concionibus tempore Adventûs et Quadragesimæ, 2314, 2321.

Conclave. — Electio S. Pontificis in Conclavi clauso fieri debet, 424, 427. Cardinales non sunt cogendi intrare in Conclave nisi in quibusdam casibus, 714.

Conclusio.—Quid sit et quid operetur conclusio in causâ, 6057.

Concordatum. — Ipsi non derogatur per rescriptum sinè speciali mentione justæ causæ, 150. Concordatum inter Leonem X et Franciscum I, 215. Concordatum anni 1801 inter Pium VII et Napoleonem I, 226-227. De iis quæ pro ipsius executione peracta sunt, 228-231. An à tempore Concordati Episcopi in Galliâ possint statuta capitularia immutare cum solo consilio Capituli, 2424-2428.

Concubinatus. — Quid sit, 6257. Quid sanciat Tridentinum quoad concubinatum laicorum, 6259. Quid quoad concubinatum clericorum, 6260. Quid quoad beneficiarios concubinarios, 6261. Quid quoad Episcopos, 6262. An modus procedendi contra concubinarios à Tridentino præscriptus sit necessariò servandus si constet de fornicatione, 6262. An tunc Episcopus possit statim procedere ad depositionem si sit consuetudo regionis, 6263, 559 8°. Quid si agatur de iis qui habent curam animarum, 6264. Summariè potest procedi contra concubinarios, 6265.

Concursus. — Quid sit, 442. Quid valeat peragere Vicarius Capitularis circa concursum pro beneficiis parochialibus, 1279. Quid circa concursum sanciat Tridentinum, 1329. Casus in quibus concursus non requiritur, 1330-1333. An lex concursûs obliget in Galliâ, 1334.

Condemnatoria sententia quid sit, 5950.

Conditio. — An censura possit ferri sub conditione, 6424. An et quatenus sacramenta sub conditione sint iteranda, 3180-3188. An et quatenus absolutio possit dari sub conditione, 3783-3786. An absolutio censurarum data sub conditione de futuro contingenti sit valida, 6475. Quid sit impedimentum conditionis servilis, 4308-4310. An hoc impedimentum sit juris naturalis vel ecclesiastici tantùm, 4311. An consensus pro matrimonio possit dari sub conditione, 4088. Quid si conditio sit de re turpi vel contra substantiam matrimonii, 4089. Quid si conditio sit de educandis filiis in hæresi vel infidelitate, 4090. Quid de conditione, *si pater consenserit*, 4090. Vide circa alias conditiones 4093-4094. An adsit matrimonium pendente conditione, 4092.

Confessarius. — In casu necessitatis vel magnæ utilitatis uti potest jurisdictione duntaxat probabili, 306 Decisio S. C. pro casu quo-

rumdam sacerdotum diœcesis Patavinæ, 306. An Episcopus et Prælati minores possint sibi eligere confessarium, 1081. Confessarii monialium à quo eligendi sint, 1533. Quinam confessarii monialium esse non debeant, 1535. Confessarius extraordinarius dari debet monialibus ab Episcopo, 1536-1537. Minimè tenentur moniales se confiteri confessario extraordinario sed debent coram eo se sistere, 1537. Quoties sint mutandi confessarii monialium, 1534, 1592. An confessarius monialium possit illas audire quando extra conventum existunt, et an itidem possit extra conventum audire puellas quæ ad conservatorium pertinent, 1539. An jurisdictio sit necessaria confessario, 1550, 1552. Qualis sit potestas peccata remittendi sacerdoti data die suæ ordinationis, 1551. Confessarius indiget jurisdictione ordinariâ vel delegatâ pro foro interno, 1553. Quinam jurisdictionem hujusmodi habeant, 1553. A quo jurisdictionem delegatam accipere debeant confessarii, 1554. An confessarius approbatus soleat accipere jurisdictionem cum approbatione, 1556. An necessariò sit approbandus, 1557-1558. An provincialibus, 1559. A quo sit approbandus, 1560-1562. An parochus, aut Episcopus, aut Cardinalis possint sibi eligere confessarium non approbatum, 1561. An confessarius habens beneficium parochiale indigeat approbatione, 1563. An approbatus in uno loco sit eò ipsò approbatus in alio, 1564. An examinandus sit qui vult approbari ad confessionem, 1566. Episcopus nequit suspendere à confessione omnes confessarios unius conventûs, 1567. An regulares confessarii possint denuò examinari ab Episcopo et revocari, 1569. An, præsente et silente Ordinario, validè absolvat confessarius non approbatus, 1570. An sacerdotes approbati possint audire validè confessionem sinè licentiâ parochi, etiam tempore Paschatis, 1571-1574. De facto S. Pontifex non solet confessarios delegare nisi sint approbati ab Episcopo, 1573. Quid senserit Lequeux, 1573. Quid si Episcopus prohibeat sub pœnâ nullitatis confiteri extra parochiam, 1573. Quomodo cesset confessariorum jurisdictio, 1575. An confessarius indigeat approbatione pro absolvendis moribundis, 1582. An aliquando sacerdos non approbatus possit absolvere moribundos in præsentiâ approbati, 1583, 1614. An idem possit complex in materiâ turpi, 1587. An id fieri possit erga ligatos excommunicatione reservatâ, 1581. An id possint excommunicati, hæretici et schismatici, 1585, 1586. An parochi aut simpliciter approbati valeant etiam monialium confessiones excipere, 1587. Quid intelligantur hîc per moniales, 1588. An superiores regulares possint sinè Episcopi approbatione, recipere confessiones monialium sibi subjectarum, 1589. An approbatus pro uno monasterio aliâ approbatione indigeat pro aliis, 1590. An simpliciter approbatus indigeat speciali approbatione pro absol-

vendis reservatis, vide CASUS RESERVATI. An confessarius possit aliquando suum complicem in materiâ turpi absolvere, 1643. Quali interdictione percutiatur confessarius qui excipit confessionem sui complicis in materiâ turpi, 1643. Quid valeat confessarius regularis circa vota, juramenta et impedimenta, 2942. An confessario ordinario liceat audire confessiones monialium in monasterio tempore quo extraordinarius ibidem munere suo fungitur, et an vice versâ liceat extraordinario accedere ad conventum extra tempus suo muneri implendo assignatum, 2970. An statui possit ab Episcopo quòd moniales simplicia vota emittentes non confiteantur nisi confessario pro ipsis assignato, 2971. An verum sit dictum *Prælect. S. Sulpitii* quòd à jure communi non sit præceptum ut confessarii monialium singulis trienniis mutentur, 2973. Quid de hujusmodi mutatione præcipiatur in Concilio ultimo Avenioniensi, 2974. Quot esse debeant confessarii in singulis monasteriis, 3046. An confessarius teneatur cum periculo absolvere moribundum, 3200. An confessarius possit denegare sacramenta ob crimen auditum in confessione, 3906. An liceat confessario exquirere nomen complicis, 3826-3828 An et qualem pœnitentiam confessarius debeat imponere, 3829, etc. vide SATISFACTIO. Quid sit sancitum à Bened. XIV quoad confessarium qui suum complicem absolvit, 3863-3867. De confessariis sollicitantibus, 3868-3891: vide SOLLICITANTES. De obligatione confessarii quoad sigillum, vide SIGILLUM. An confessarii mendicantes possint aliquando dispensare in votis Papæ reservatis, 5246. Quibusnam pœnis plectatur peccatum confessarii cum pœnitente commissum, 6268. An simplex confessarius possit absolvere à suspensione aut interdicto non reservato, 6442, 6601.

CONFESSIO (*Sacramentalis*).—Quid sentiat Lequeux de validitate confessionis, sinè licentiâ parochi factæ extra parochiam tempore Paschatis, 1573. An regulariter superior religiosus debeat confessiones subditorum audire, 3046. An confessio sit præmittenda quando adultus rebaptizatur, 3184. An sacerdos teneatur præmittere confessionem antequam administret sacramenta si sit in statu peccati mortalis, 3195. An confessio præmitti debeat ante communionem si quis mortale habeat, 3433. An id fieri debeat ex præcepto divino, 3434. An mortale inculpabiliter oblitum sit confitendum ante communionem, 3435. Quinam casus sint excipiendi, 3436. Quandonam confessarius censeatur deesse, 3437. Quid si quis haberet reservatum, 3438. Quid si excommunicationem haberet reservatam, 3439. Quomodo intelligendum sit præceptum *quamprimùm* confitendi, 3440-3442. An hoc præceptum laicos concernat, 3443. Quid sit confessio sacramentalis et quo jure præcepta, 3797. Quomodo ipsius necessitas deducatur ex verbis Christi, 3798. Quomodo constet præceptum ecclesiasticum, 3799. An huic

præcepto satisfiat per confessionem invalidam, 3800. An et quatenus obliget per se præceptum divinum confitendi, 3801. Quandonam per accidens obliget, 3802. An præceptum divinum obliget singulis annis, 3803. An is qui præceptum non implevit statuto tempore desinat obligari, 3804. An per unam confessionem anno sequenti actam satisfiat præcepto pro utroque anno, 3805. An aliquando tempus præveniri debeat, 3806. An ligetur præcepto qui venialia tantùm habet, 3807. Quâ ætate hoc præceptum incipiat urgere, 3808. Cui sacerdoti sit facienda annua confessio, 3809. An et quatenus medicus teneatur admonere infirmum de obligatione confitendi, 3810-3812. An hæc obligatio vigeat in Galliâ, 3813. An ex institutione divinâ confessio debeat esse secreta, aut publica 3816. An et quatenus confessio debeat esse integra, 3817. An et integra esse debeat quoad circumstantias aggravantes, 3817. An et quatenus debeat absolvi moribundus qui peccata sua confiteri nequit, 3818-3825. In quonam loco confessio sit audienda, 3909. Qualis esse debeat sedes confessionis, 3910. Quomodo juxta Rituale Romanum facienda sit confessio, 3911. An jure communi præcipiatur confessio ante matrimonium, 4164.

Confessio (*in Judicio*). — Quid sit, quotuplex, et quinam sint ipsius effectus in judicio et extra judicium, 5708.

Confessor. — Antiquitùs martyr vocabatur etiam confessor, 4848.

Confidentialis. — Quid sit simonia confidentialis, 6148.

Confirmatio. — Nominatus ad Prælaturas nequit se ingerere illius administrationi antequam confirmationem acceperit, 376. Quandonam electio sit confirmanda, 411. Quomodo fiat confirmatio apud Curiam Romanam, 419. Decretum confirmationis quoad Prælatos, 420.

Confirmatio (*Sacramentum*). — Ejus minister ordinarius est Episcopus, 987, 3346. Quomodo sit administranda, 987. An Episcopus possit confirmare suos subditos in alienâ diœcesi, vel alienos in propriâ, 988. An confirmans et confirmandi debeant esse jejuni, et an extra ecclesiam et diem non festivum confirmatio possit administrari, 989. Qualis sit obligatio Episcoporum administrandi sacramentum confirmationis, 990. An peccet Episcopus moribundum petentem non confirmans, 991. An pueri et amentes sint confirmandi, 992. Schedula confirmationis iis non est tradenda qui præcipua fidei capita et vim sacramenti ignorant, 993. An peccet graviter Episcopus confirmans absque cæremoniis et vestibus à Pontificali præscriptis, 994. An ad confirmationem requiratur patrinus, 995. An nondum confirmatus possit tonsurari, 1669. An et quatenus presbyteri valeant conferre sacramentum confirmationis, 1715-1716, 3347. An nondum confirmati sint irregulares, 1854. Quid sit sacramentum confirmationis et quandonam institutum,

3331. Quænam sit materia proxima confirmationis, 3335. An prima impositio manuum obliget sub gravi et sit supplenda, 3336. Quid sit de essentiâ sacramenti in unctione faciendâ, 3337. Quænam sit materia remota Confirmationis et an oleum olivarum et balsamum sint de necessitate hujus sacramenti, 3338, etc. An sit necessarium ut chrisma benedicatur, 3339. Estne necessarium ut benedicatur ab Episcopo pro validitate sacramenti, 3340. An requiratur ut chrisma benedicatur in anno, 3341. Quænam sit forma Confirmationis, 3342. Per quas mutationes forma Confirmationis reddatur invalida, 3343. Quænam sit et an sit valida forma à Græcis adhibita, 3344. Quinam sint effectus sacramenti Confirmationis, 3345. An simplex presbyter possit confirmare ex delegatione solius Episcopi, 3348. Quinam sint capaces sacramenti Confirmationis, 3349. An sit obligatio sub gravi suscipiendi sacramentum Confirmationis, 3350. An parochi teneantur referre in libro nomina confirmatorum, 3351. Confirmatio conferri potest in ecclesiis regularium, 583. Non tenentur Episcopi hoc sacramentum conferre peste laborantibus, 892.

CONFRATERNITAS.—Regulares subduntur Episcopis quoad erectionem et administrationem Confraternitatum, 591, 909. Eorum Confraternitates visitari possunt ab Episcopis, 902. In quibusnam Confraternitates subjiciantur jurisdictioni parochi, in quibusnam verò ab eâ eximantur, 618 et 619. Confraternitates tenentur assistere processionibus, si Episcopus id præcipiat, non verò si parochus, 619, *ad* 25. Præcedentia Confraternitatum, 638. An Episcopus possit concedere Confraternitatibus licentiam asservandi SS. Sacramentum, 983. Pannum proprium adhibere possunt Confraternitates in funeralibus confratrum aut consororum, solvendo tamen parocho jus ad hoc præscriptum, 1423. Quid sit Confraternitas, 4654. Undenam Confraternitates ducant originem, 4655. A quibusnam erigantur, 4656-4659. Quid statuerit Clemens VIII circa Confraternitates et quid Concil. Avenionense 1849: 4657-4658. Quomodo erigi debeant Confraternitates, 4660. An ad id necessaria sit certa formula, 4660. An et quatenus plures Confraternitates erigi valeant in eâdem ecclesiâ, 4661. An laicorum Confraternitates erigi possint in ecclesiis monialium, 4662. An consensus Ordinarii sit necessarius ad erigendas Confraternitates et quid possit circa illarum statuta et regimen, 4663. An et quatenus Confraternitates subsint visitationi episcopali, 4665. An ipsarum administratores possint ab Episcopo cogi ad reddendam rationem, 4666. An confratres sacco induti cogi possint ad solitis processionibus interessendum, 4667. An et quatenus Ordinarius valeat assistere congregationibus Confraternitatum, 4668. An Episcopus possit expellere confratres aut novos admittere, 4669. An et

quatenus valeat Episcopus administrare bona Confraternitatum, 4670. An valeat Episcopus prohibere aut restringere solita exercitia et an possit prohibere flagellationem, 4671. An confratres habere queant congregationes sinè delegato Episcopi, 4672. An sinè causâ revocari possint capellani Confraternitatum, reluctantibus confratribus, 4673. An capellanus Confraternitatis, vi solius nominationis ipsius, facultatem habeat indulgentias applicandi rosariis, scapulariis, etc., 4674. An possit suppleri sinè speciali licentiâ pro receptione confratrum, 4674. An veteres Confraternitates quæ restitutæ fuerunt ab Ordinario in Galliâ sua privilegia et indulgentias recuperaverint, 4675. An Confraternitates possint transferri de loco in locum, 4676. An Confraternitates possint interesse processionibus si non sint invitatæ, 4677. An Confraternitates possint impediri ne accedant ad funera quando ab hæredibus fuerunt invitatæ, 4678. An Confraternitates possint habere congregationes sinè licentiâ et assistentiâ parochi, 4679. Quid præscripserit Concilium Avenionense circa Confraternitates, 4680. De variis Confraternitatibus, 4681.

CONFRONTATIO TESTIUM. — Quid sit et quatenus sit necessaria, 5944-5945.

CONGREGATIO CASUUM. — An cogi possint parochi ad interessendum congregationi casuum conscientiæ, 1510 : vide CONSCIENTIA.

CONGREGATIO RELIGIOSA. — Quid sit, 2518. Approbari debet à S. Sede, 2526. Lex tamen ad hoc obligans modificata est per consuetudinem, 2528. Sed erigi nequeunt Congregationes religiosæ absque Episcopi licentiâ, 2529. De lege prohibente Congregationes monialium absque clausurâ et votis solemnibus, 2530-2532. Etiam et hæc lex fuit modificata, 2533. Quomodo et quandonam approbentur à Gubernio per decretum, 2587. Quandonam per legem, 2588. De Congregationum capacitate civiliter acquirendi et possidendi, 2589 : vide COMMUNITAS. — Ad quem in Galliâ bona communitatum devolvantur ex jure civili in casu extinctionis earum, 2590. An solæ Congregationes mulierum recognoscantur à Gubernio in Galliâ, 2593. Quænam sit in Galliâ conditio civilis Congregationum à gubernio non agnitarum, 2592. An possint recognosci tanquam Instituta publicæ utilitatis, 2594. An in tali casu Instituta possint bona acquirere, 2595. An Congregationes religiosæ teneantur aliquando domum habere in Urbe Româ, 2959. An Episcopis subjiciantur Congregationes virorum quoad constitutiones pro eis approbatas à S. Sede, 2960. An pendeant quoad alienationes bonorum, 2961. An quoad alios actus interioris œconomiæ, 2962. An Episcopus possit judicare de validitate electionis Superiorum, 2963. An ab Episcopo supprimi valeant domus religiosæ Instituti à S. Sede approbati, 2964. An ab Episcopo approbari debeat confessarius Confratrum quando

Congregationes Episcopo subjiciuntur, 2965. Quomodo religiosæ possint bona transferre in Galliâ, 2591.

Congregationes capitulares. — Quid juris habeant Episcopi in Congregationes Capitulares vi Concil. Trident., 2298. An jus quod habent in hujusmodi congregationes possint exercere per Vicarium, 2299. An Congregationes teneri possint tempore divinorum officiorum, 2338. De obligatione assistendi congregationibus Capitularibus, 2370-2386. Quo in loco haberi debeant congregationes, 2372. Quandonam et per quem sint convocandæ, 2373-2376. Quomodo fieri debeat convocatio, 2377. Quinam in ipsis vocem habeant, 2379. An emitti possit votum per procuratorem, 2380-2381. Quâ ratione suffragia sint danda, 2382-2384. An secretum sit servandum circa deliberationes, 2386. An congregationes capitulares possint haberi absque Episcopi licentiâ, 2435. Casus in quibus hæc licentia est necessaria, 2436.

Congregationes Romanæ. — Quantæ sint auctoritatis, 95-103, 785. Quomodo constet de authenticitate illarum declarationum, 100. Quid sit Congregatio Concilii et à quo instituta, 96, 769. Quantæ auctoritatis sint ejus declarationes, 97-102. Quot sint Congregationes Romanæ, 720. Congregatio Consistorialis quid sit et ad quid sit instituta, 721. Congregatio Inquisitionis, 722, etc. Congregatio Indicis, 727-768. Congregatio Episcoporum et regularium, 770. Congregatio super disciplinâ regulari et super statu regularium, 771. Congregatio Rituum, 772, etc. congregatio Jurisdictionis et Immunitatis, 777. Congregatio Indulgentiarum et Reliquiarum, 778. Congregatio de Propagandâ, 780, etc. Congregatio pro Universitate studii, 783. Aliæ Congregationes, 784. Quid significent verba *et amplius* quibus Congregationes aliquando utuntur, 658, 786. Potestas Congregationum est ordinaria nec expirat per mortem S. Pontificis, 785. Non admittuntur à Congregationibus recursus per meras litteras, sed libelli supplices de manu ad manum præsentari debent, 787. Quomodo causæ sint introducendæ coram Romanis Congregationibus, quando non proceditur modo contentioso, 787. S. Congregatio Concilii suam mutavit sententiam quoad potestatem Capitulo attributam restringendi jurisdictionem Vicarii Capitularis, 1229, etc. An Congregationes Concilii et Regularium habeant potestatem dominativam in religiosos vel tantùm jurisdictionem, 2958.

Congrua. — Episcopi possunt assignare congruam vicariis et coadjutoribus parochorum, 1060. An possint illam congruam assignare ex oblationibus, 1061-1062. Quid lex civilis disponat de congruâ coadjutoribus præstandâ in casu infirmitatis et in casu interdicti, 1060 : vide Portio.

Conjux. — An copula conjugalis impediat communionem, 3446. Vide Uxor, Matrimonium

CONOPÆUM.— Basilicæ jus habent ut conopœum illas præcedat, 4843.

CONSANGUINITAS.— Quid sit, 4256. Quot sint distinguenda in consanguinitate, 4257. Quousque consanguinitas sit impedimentum dirimens in lineâ rectâ et quousque in lineâ collaterali, 4259. Quomodo computandi sint gradus consanguinitatis, 4260. Quomodo computentur ex jure civili, 4261. Quo jure consanguinitas dirimat matrimonium in lineâ rectâ, 4262. Quo jure in lineâ collaterali, 4263. Cur institutum fuerit hoc impedimentum, 4264. Quousque olim extendebatur, 4265. Quid sit exprimendum in supplicatione, 4266 et 4267. Prima arbor consanguinitatis, 4237. Secunda arbor (*ib.*). Tertia arbor (*ib.*).—An multiplici titulo sint consanguinei qui à duobus personis matrimonio conjunctis descendunt, 4268.

CONSCIENTIA. — An ab Ordinario parochi possint cogi ad interessendum congregationi casuum conscientiæ, 1510. An item Canonici et alii presbyteri, 1511. An regulares, 501. Judicia ex informatâ conscientiâ, vide INFORMATA.

CONSECRATIO ecclesiarum quid sit, 4769. A quo ecclesiæ sint consecrandæ et an consecrari rigorosè debeant, 4772. An ab Episcopo loci sint consecrandæ, 4773. An valida sit consecratio facta ab Episcopo extraneo, hæretico vel excommunicato, 4774. An et quatenus Episcopo inferiores possint deputari ad faciendam hujusmodi consecrationem, 4775. Regulares ordinario Episcopo subduntur pro consecrandis suis ecclesiis, 580, 4775. An Abbates possint consecrare ecclesias et altaria, 4775. Quo tempore ecclesiæ sint consecrandæ et an id fieri debeat cum celebratione missæ, 4776. An et quatenus constare debeat de ecclesiarum consecratione, 4777. An altare majus ecclesiæ consecrandæ fixum esse debeat et an sit consecrandum cum ecclesiâ, 4778. Quid sit faciendum coram Reliquiis pridie consecrationis ecclesiæ, 4779. An sit jejunandum et quatenus, 4782. Quomodo officium sit recitandum die consecrationis ecclesiæ, 4780. Quomodo, eâdem die, missa sit celebranda, 4781. An de necessitate sit quòd ecclesia omninò circumeatur, 4783. An et quatenus nomen (seu Titulus) ecclesiæ sit imponendum, 4784. An in ecclesiâ quæ est tantùm benedicta, altare possit consecrari, 4785 An ecclesia execrata indigeat novâ consecratione, 4786-4789. An novâ consecratione ecclesia indigeat si successivè reparetur, vel in minori parte instauretur aut amplificetur, 4786-4788. An ecclesiæ tantùm benedictæ, casu quo polluuntur, sint reconciliandæ ante earum consecrationem, 4809. An si per alicujus inhumationem ecclesiæ polluantur, cadaver sit exhumandum ante consecrationem, 4810. Quid si cadaver discerni nequeat, 4811. In consecratione SS. Oleorum, Canonici, si opus sit, complere debent numerum 12 sacerdotum, 2288. Conse-

cratio Episcopalis quânam die fieri debeat, 2032.

Consecratio Eucharistiæ.—Quid requiratur ad validitatem consecrationis Eucharistiæ, 3368. Quomodo materia debeat esse præsens consecranti, 3368. Quomodo debeat esse determinata à consecrante, 3369. An et quatenus guttæ separatæ in calice consecrentur, 3370. An valida sit consecratio casu quo consecrans errat circa numerum hostiarum, 3371. An reputandæ sint consecratæ hostiæ si fuerint extra corporale positæ, 3372. An liceat consecrare hostias quæ post Offertorium afferuntur, 3373. An ante consecrationem aperiri debeat vas in quo conduntur hostiæ consecrandæ, 3374. In quo adhuc peccare possit sacerdos circa materiam panis consecrandi, 3374. Quid agere debeat sacerdos si post consecrationem advertat vinum non fuisse positum, 3375. Quid idem agere debeat si non advertat materiamineptam fuisse consecratam nisi postquam reditus est in sacristiam, 3376. An peccet graviter sacerdos voluntariè distractus in consecratione, 3384. An liceat verba consecrationis replicare, 3384.

Consensus. — An et quatenus Episcopus teneatur habere consensum Capituli, 2400-2412. Vide Capitulum. — Qualis esse debeat consensus in matrimonium, 4080. An et quatenus exprimi debeat, 4084, 4085, 4086. An consensus possit esse conditionatus, 4088. Quid si conditio sit de re turpi, 4089. Vide alia vo Conditio. — An suspendatur consensus per indicationem causæ motivæ, etc., 4094. An mutuus consensus sit legitima causa separationis quoad torum et habitationem, 4148.

Conservator. — An regulares possint eligi in Conservatores, 2878, 2880. Quid sint Conservatores, 2946, 5591. Quid de iis sanciverit Gregorius XV, 2947. Quid requiratur ut quis possit in Conservatorem eligi, 2948. An mutari possint Conservatores, 2949. Quid valeant Conservatores, 2950, 5594. An omnes Ordines religiosi possint sibi eligere Conservatores, 2951. An debeant illos sibi eligere in singulis diœcesibus, 2952. An Conservatores possint judicialiter procedere, 2953. An contra Episcopos, 2954.

Consilium. — An et quibusnam in casibus Episcopus teneatur consilium Capituli requirere. Vide Capitulum.

Consistentes *Pœnitentes*. — Quinam erant, 3851.

Consistorium. — Quid sit et ad quid conveniat, 719. Congregatio Consistorialis, 721. De Consistoriis adunandis pro canonizatione SS., 4867.

Constitutionalis ecclesia, 225. Constitutionales Episcopi ad sedes Episcopales à Pio VII promoti qualem retractationem facere debuerint, 230. Qualem verò sacerdotes constitutionales, 231.

Constitutiones *Apostolorum*. — Ab Apostolis non videntur fuisse conditæ, 23. Sunt tamen peranti-

quæ, 23. Fuerunt ab hæreticis interpolatæ, 23.

Constitutiones Pontificiæ vim habent obligandi absque acceptatione Episcoporum, 30. A fortiori absque acceptatione cleri secundi ordinis, 32. Variæ earum species, 47-50.

Constitutiones *Religiosorum*. — Quomodo à regulâ differant, 2522. An mutari valeant quando à S. Sede fuerunt approbatæ, 2529.

Constitutio civilis Cleri Gallicani, 224. Quomodo damnata fuerit à Pio VI, et quomodo illam respucrit Clerus Gallicanus, 224.

Consuetudo. — Quid sit, 104. Variæ ipsius species, 105-111. Consuetudo secundùm jus, 105. Præter jus, 105. Contra jus, 105. Generalissima, generalis, specialis, 106. Judicialis, 107. Extrajudicialis, 107. Bona et mala, 108. Corruptela, 108. Abrogata, prohibita, reprobata, 109. Quibus clausulis abrogentur, prohibeantur, reprobentur consuetudines, 110. Consuetudo legitimè præscripta, etc., 111. Conditiones requisitæ ut consuetudo vim legis habeat : ex parte communitatis, 112. Qualis debeat esse communitas, 104, *dicit*. 2°. Induci debet à majore parte communitatis, 113. Ex certâ scientiâ, de quâ tamen est dubium pro consuetudine obligationem legis auferente, 114. Per actus publicos, 115. Per actus liberos, 116. Cum intentione se obligandi, 117. Sine interruptione, 118. — Ex parte consuetudinis requiritur ut sit bona et rationabilis, 119. Quandonam talis reputetur, 120. Quædam consuetudines illegitimæ defectu rationabilitatis aut bonitatis, 122-123. Requiritur ex parte Principis quòd Papa aliquo modo consentiat, 124. Quotuplici modo possit consentire, 125. De consensu tacito, 126-130. Quando desuetudo legis nondum est præscripta non peccant omnes qui legem non observant, 128. Quando consuetudo est præter legem, etsi Pontifex non habeat facilitatem reclamandi censetur consentire, si consuetudo sit rationabilis, 130. Secus si consuetudo sit contra legem, 126. De consensu legali, 131. Quid sentiat Card. Gousset, 132. Quandonam Pontifex censeatur consentire si agatur de consensu tacito, 133. Si agatur de consensu legali pro consuetudine *præter jus*, 134. Pro consuetudine *contra jus*, 135. Quid inde sequatur pro praxi, 136. Utrum bona fides sit requisita ad præscribendum contra legem, 137. De effectibus consuetudinis, 138. De abrogatione consuetudinis *per legem supervenientem*, 139. Quomodo derogetur consuetudinibus particularibus non immemorabilibus, 140. Quomodo immemorabilibus, 142. Exceptiones, 142. Aliter est dicendum de legibus ab Episcopis constitutis quæ omnes consuetudines locales abrogant, 141. *Per legem anteriorem* : disputatur an consuetudo prævalere possit contra legem consuetudinem prohibentem, 143. An consuetudo possit prævalere contra decreta Tridentina, 144. *Per consuetudinem contrariam*, 145. Quale tem-

pus ad hoc requiratur si consuetudo fuerit *præter jus*, quale si fuerit *contra jus*, 145. Non valet consuetudo facere quòd nominatus ad Prælaturam administrare possit antequam ipsi conferatur, 377. An consuetudo possit prævalere contra decreta Congregationis Rituum, 776. An contra Missale et Cæremoniale Episcoporum, 776. An contra obligationem residendi, 1466. An per consuetudinem constitui valeant impedimenta matrimonium dirimentia, 4177-4178. Quid sentiendum sit de veteribus consuetudinibus quarum vi quidam Episcopi dispensabant in 3° aut in 4° gradu consanguinitatis et affinitatis, 4403. An et quatenus consuetudo excuset ab observatione festorum, 4903, 4933. An liturgiæ recenter in Gallias invectæ legitimari potuerint per consuetudinem, 5060, 5061. An laudabiles consuetudines tollantur per Cæremoniale Episcoporum, 5071. Quid cavere debeant Episcopi juxta Bened. XIV quando in suis diœcesibus inveniunt consuetudinem canonibus contrariam, 5321. Nullâ consuetudine excusari possunt Episcopi qui immobilia vel mobilia pretiosa suis consanguineis donant, 5323. Quomodo oblationes in laudabiles consuetudines abierint, 5354.

CONTEMPLATIVUS. — Quid sit Ordo contemplativus, 3104. Quinam tales sint, 3106-3113.

CONTENTIOSA JURISDICTIO. — Quid sit, 281.

CONTESTATIO.—In quibusnam consistat litis contestatio, 5923, 6051. An et quatenus sit necessaria, 5924. An sint casus in quibus testes recipi possent, lite non contestatâ, 5925. Quinam sint effectus contestationis litis, 5926.

CONTINENTIA. — An cum assensu communitatis religiosæ Episcopus valeat dispensare in voto continentiæ perpetuæ, 3071 : vide VOTUM.

CONTRACTUS. — An nomine monialium vel nomine Episcopi contractus iniri debeant in monasteriis mulierum, 2932. An et quatenus Ordinarius loci contractûs sit competens judex, 5693-5694.

CONTRITIO.—Quid sit, 3788. Quatenus sit necessaria, 3787. Quotuplex sit et quid sit perfecta et imperfecta, 3789. An et quomodo perfecta justificet, 3790. An in contritione requiratur aliquod amoris initium, 3790. An ad validitatem sacramenti Pœnitentiæ requiratur ut contritio eliciatur cum intentione confessionis, 3791. An requiratur ut propositum non peccandi sit explicitum, 3792. Quænam esse debeant dotes illius propositi, 3793. An et quomodo debeat esse firmum, 3793, 3794. Quomodo debeat esse universale, 3795. Quomodo efficax, 3796.

CONTROVERSA. — Non debet Episcopus quæstiones controversas solvere, 943, 954.

CONTUMACIA. — Quandonam contingat in judiciis, 5901. Quid sit contumacia vera, quid verò præsumpta, 5901. Quænam excusent à contumaciâ, 5902. Quomodo sit procedendum contra contumacem,

5903. Quænam sint pœnæ contumacibus infligendæ, 5904. Quandonam reus sit contumax in processu civili et quatenus contumacia sit accusanda, 6043. An contumacia requiratur ad censuram, 6360, 6403, 6404.

CONVENTIONALIS. — Quid sit simonia conventionalis, 6146. An sint pœnæ latæ contra simoniam conventionalem, 6181. Quid si ageretur de simoniâ confidentiali, an pœnæ incurrerentur, si tunc simonia esset tantùm conventionalis, 6189.

CONVENTUALIS. — Quid sint Franciscani conventuales, 3116.

CONVENTUS. — Vide MONASTERIUM.

CONVERSUS. — Quis possit concedere facultatem transeundi à statu conversorum ad clericorum statum et vice versâ, 3102. An conversus teneatur ad officium divinum, 5093.

CONVIVIA. — An et quomodo convivia in monasteriis sint licita, 2771. An sint prohibita die vestitionis et professionis, 2771, 2772. An convivia prohibeantur cum Judæis, 3146. An jure communi convivia nuptiarum, natalitiorum, etc., clericis prohibeantur, 2080.

COPIA LIBELLI. — Post citationem reus comparere debet cum copiâ libelli, 6044.

COPULA. — An et quatenus copula conjugalis impediat communionem, 3446.

CORPORALE. — Ex quâ materiâ esse debeat, 3612. An licitum sit uti corporali ex gossypio, 3613. An possit esse depictum, et an Latinis liceat adhibere corporalia Græcorum, 3614. An sit prohibitum corporalia circumdare texto denticulato, 3624. Quænam sit obligatio utendi corporali et utendi benedicto, 3650. An sit mortale uti corporali immundo, 3651. An sit licitum uti corporali in quo est foramen, et an liceat eo uti si reficiatur, 3651.

CORPUS juris canonici, 193. Quomodo allegentur ipsius canones et capitula, 194. Judex informare debet de corpore delicti antequam ulteriùs procedat contra reum, 5864, 5885.

CORRECTIO FRATERNA. — Vide verba FRATERNA et DENUNTIATIO. An Superior regularis graviter peccet leves negligendo corrigere defectus subditorum, 2817.

CRATES. An sedes confessionalis debeat esse crate munita et sub quibusnam pœnis, 3910.

CREATIO. — Erectio parochiarum diper viam creationis, 338.

CREDO. — An in missâ cantatâ *Credo* possit cantari alternatim cum organo, 5161, 5183 X.

CRIMEN. — Ex quotuplici crimine oriatur impedimentum *criminis*, 4318. Quatenus adsit impedimentum dirimens utroque conjuge patrante homicidium, 4319-4320. Quatenus adsit idem impedimentum, uno patrante homicidium, 4321-4322. Quatenus verò adsit, neutro patrante homicidium, sed solum adulterium, 4333. An ficta promissio matrimonii cum adulterio inducat impedimentum, 4334. An promissio conditionata illud inducat, 4335. An requiratur pro-

missio mutua, 4336. An adulterium cum matrimonio attentato sit impedimentum dirimens, 4337. Cujus juris sit hoc impedimentum criminis et an in eo dispensetur, 4338. An existat hoc impedimentum in matrimonio cum infidelibus, 4339. An sit explicandum in libello supplici quod adfuerit homicidium simul et adulterium, 4340. Quandonam crimina sint contra bonum commune, 5834.

Crux, Crucifixus. — Cui competat elevatio crucis quando defuncti sepeliuntur extra propriam ecclesiam, 1415. Parochus prohibere potest ne regulares propriam crucem erigant quando cadavera non deferuntur ad ipsorum ecclesias, 1418. Secus in aliis processionibus, 1439. An crucifixus necessarius sit in altari in quo missa celebratur, 3661. An sit necessarius in altari in quo expositum est SS. Sacramentum, 3662. An crux altaris debeat habere imaginem Christi, 3663. An crux sit necessaria quando adest in altari statua vel imago Christi, 3664. An crux sit erigenda in cœmeteriis, 4741. — Via crucis, vide Via.

Culpa. — An existant et quomodo intelligenda sint rescripta indulgentiarum in quibus concederetur liberatio à pœnâ et culpâ, 4527.

VOTUM. — Quomodo definiatur, 5186. De votorum solemnitate, 2468 etc. In quo consistat solemnitas voti castitatis, 2469. Sententia Thomistarum, 2470. Altera sententia 2471. Tertia sententia juxta quam voti solemnitas pendet ex solâ determinatione Ecclesiæ, 2472. Probationes hujus tertiæ sententiæ, 2473. Non potest dici quòd solemnitas voti castitatis consistat in aliquo ritu speciali, 2474. Quomodo vis irritandi matrimonium annectatur voto scholasticorum Societatis Jesu, 2475. An et quatenus votum solemne possit fieri simplex, 2476. An vovens paupertatem abdicet omnia omninò bona, 2477-2750. An ad statum religiosum sufficiat quartus gradus paupertatis, 2481. An sufficiat tertius, 2482-2484. An valida sit dispositio facta à religioso sinè licentiâ, 2485. In quo consistat voti paupertatis solemnitas, 2486. Variæ opiniones, 2487. An et quatenus solemne votum paupertatis inducat incapacitatem dominii, 2488. Hæc solemnitas non consistit in aliquo ritu, 2489. Nec in solâ traditione suî et suorum omnium cum acceptatione, 2490, 2491. Sed in dispositione legis ecclesiasticæ, 2491. An concursus potestatis sæcularis sit necessarius ad solemnitatem voti paupertatis, 2492-2497. Decisiones circa vota monialium Galliæ et Sabaudiæ, 2495. An veri religiosi cum votis solemnibus possint esse in Galliâ sub legislatione hactenus vigente, 2497. In quonam consistat solemnitas voti obedientiæ juxta Suarezium, 2498. Quomodo solvenda sit quæstio, 2499. Quænam vota nequeant irritari à Superioribus regularibus, 2500. In quibusnam consistat votorum religiosorum solemnitas, 2501. Utrum votum unum possit esse solemne seorsim ab aliis, 2504. Quinam in Galliâ sint veri religiosi cum votis solemnibus, 2505. An solemnia sint vota monialium in Galliâ, Belgio et Sabaudiâ, 2506. An expleto novitiatu, statim emitti valeant vota solemnia, 2689. Variæ decisiones circa statum religiosorum antequam emittant vota solemnia, 2690-2692. An et quatenus vota priùs emissa extinguantur per professionem religiosam, 2709-2713. An vovens paupertatem religiosam servet jus administrandi beneficium, 2752 : vide PAUPERTAS. — Quatenus votis Religionis remaneat adstrictus regularis qui ad Episcopatum aut Cardinalatum evectus est, 2886, Quid valeant confessarii regulares circa vota, 2942. An et à quo solvi valeant vota solemnia religiosorum, 3064-3067. Quomodo explicentur verba S. Thomæ, 3065. Quomodo explicentur verba Innocentii III, 3066. An Episcopus aut Prælatus regularis possit aliquando absolvere à voto solemni professionis, 3068. An et quatenus valeant absolvere à votis simplicibus in professione emissis, 2740, 3069. An consensus Congregationis sit necessarius, 3069. An cum consensu Congregationis Episcopus possit dispensare in voto continentiæ perpetuæ in

professione emisso, 3071. An Superiores regulares queant dispensare super votum transeundi ad strictiorem Religionem, 3075. An et quatenus votum simplex obstet matrimonio contrahendo, 4194. An qui vovet castitatem possit, dissoluto matrimonio, cum tali voto contracto alias inire nuptias, 4195. An qui votum emisit sacros ordines suscipiendi et nihilominus connubium init, teneatur, dissoluto matrimonio, adimplere suum votum, 4196. An et quatenus Episcopus aut ejus Vicarius possit dispensare in voto castitatis perpetuæ emisso post matrimonium consummatum, 4198. An si votum fuerit emissum ante matrimonium, dispensare valeat Episcopus durante matrimonio, 4199. An possit dispensare ad matrimonium contrahendum si periculum sit in morâ, 4200. An et quatenus confessarii regulares possint dispensare in voto castitatis pro foro interno, 4201. Quale votum dirimat matrimonium, 4251. An et quatenus votum scholasticorum in Societate Jesu illud dirimat, 4251. A quo tempore votum solemne dirimat matrimonium, 4252. Quid valeant confessarii tempore Jubilæi circa votorum commutationem, 4634-4637. Non valet votum emissum ante usum rationis, aut in ebrietate, 5187. An valeat votum cum semiplenâ advertentiâ, et quid in dubio de plenâ et sufficienti deliberatione, 5187. An valida sint vota ex metu emissa, 5188. An vota ex errore emissa sint semper invalida, 5189. An valeat votum si fiat animo non promittendi, vel non se obligandi, vel sinè intentione adimplendi, et quid si quis dubitet de suâ intentione, 5192. Quatenus possibilis esse debeat materia voti, 5193, 5194. An sit validum votum nunquam peccandi venialiter, 5195. An sit validum votum disjunctivum, si una pars sit inepta, 5196. An sit validum quando ei adjungitur circumstantia mala, 5197. An votum nubendi sit aliquando validum, 5198. Quotuplex sit votum, quid sit personale, quid reale, quid mixtum, etc., 5199. Undenam sit desumenda gravitas obligationis voti, 5200. An aliquando hæres teneatur adimplere vota illius cui successit, 5201. Quandiu duret obligatio voti : an et quatenus sit peccatum mortale diu differre ipsius adimpletionem, 5202-5203. An qui vovit per mensem audire sacrum teneatur bis audire in festis, et an satisfaciat vovens rosarium si tertiam partem tantùm recitet, 5204. An satisfaciat qui præstat opus voto promissum immemor voti, 5205. Quotuplici modo cesset obligatio voti, 5206, etc. Quomodo cesset per mutationem materiæ, 5206-5209 : vide MUTATIO. — Quomodo per irritationem, 5211-5228 : vide IRRITATIO. — Quomodo per commutationem, 5229 5236 : vide COMMUTATIO.—Quomodo per dispensationem, 5237-5250 : vide DISPENSATIO.—Quando concurrit obligatio duorum votorum incompatibilium, quodnam sit implendum, 5207 : vide MUTATIO.—An vota indirectè irrita reviviscant,

5216. An omnia vota possint commutari in votum Religionis ex propriâ auctoritate, 5231. An votum in gratiam tertii emissum possit relaxari sinè illius consensu, præsertim si ad aliquod se obligaverit ille tertius, prout fit in professione religiosâ, 5240-5242. Quinam possint dispensare in votis, 5243. Quænam vota sint S. Sedi reservata, 5244.

Vox. — Oracula vivæ vocis quid sint, 50 An parochi vocem definitivam habeant in Conciliis, 1301. An Canonici possint per Capitulum privari voce sive activâ sive passivâ, 2116 *in fine*.

Wiclef. — Quid senserit circa usum matrimonii, 4081. Quid circa capacitatem Ecclesiæ habendi dominium bonorum temporalium, 5253.

Y

Yvo Carnutensis. — Ipsius Collectio juris canonici, 183.

DISSERTATIO DE KALENDARIO.

1. — KALENDARIUM à verbo Kalendâ venit, quod ipsummet à verbo *calare* seu convocare derivatur, eò quòd die Kalendarum, populus Romanus singulis mensibus advocabatur, ut ei Neomeniæ et dies Nonarum indicarentur. Hâc denominatione nuncupatus fuit deinde modus distribuendi et computandi dies, tempora et festa juxta motus solis et lunæ. (Vide Gen. c. 1, v. 14.)

2. Scientia Kalendarii tanquam pars institutionis ecclesiasticæ in seminariis tradendæ exhibetur à Concilio Tridentino (sess. 23, cap. 18, *de reform.*) : « Ut in disciplinâ ecclesiasticâ commodiùs instituantur..., » grammaticæ, cantûs, *computi ecclesiastici*, aliarumque bonarum » artium disciplinam discent. »

§ I.

Variæ notiones circa divisionem temporum.

3. Motu solis et lunæ determinantur *dies*, *menses* et *anni*.

1. *Dies astronomicus* est temporis spatium quo sol ab aliquo circulo meridiano digressus, ad eumdem revertitur, seu reverti videtur quippe, secundùm opinionem hodiè universaliter receptam, hujusmodi revolutio rotationi terræ super proprio axe, non verò gyrationi solis circa terram, tribuenda est.

4. Duratio diei intelligi potest vel secundùm *tempus verum*, vel secundùm *tempus medium* :

Secundùm *tempus medium* dies sunt perfectè æquales et 24 horas continent : tempus enim *medium* est hora quam indicaret horologium nunquam devians, quæque, post anni circulum, solem in eodem circulo meridiano inveniret.

Secundùm autem *tempus verum* dies non sunt inter se perfectè æquales : nam *tempus verum* est momentum quo reverà sol attingit lineam meridianam alicui loco propriam : porrò à momento quo sol digreditur ab aliquo circulo meridiano usque ad momentum quo ad eumdem revertitur, non semper elabitur idem temporis spatium, sed hæc revolutio interdum citiùs, interdum tardiùs perficitur, prout comprobatum fuit ab astronomis, qui illas variationes sic exponunt pro anno 1861 (Extractum ex opere cui titulus : *Annuaire publié par le bureau des longitudes*) :

DIES MENS.	JANUAR.			FEBRUAR.			MARTIUS.			APRILIS.			MAIUS.			JUNIUS.		
	h.	m.	s.	h.	m.	s.	h.	m.	s.	h.	m.	s.	h.	m.	s.	h.	m.	s.
1	12	3	58	12	13	55	12	12	32	12	3	54	11	56	56	11	57	30
10	12	7	56	12	14	31	12	10	26	12	1	17	11	56	11	11	59	6
20	12	11	25	12	13	59	12	7	35	11	58	50	11	56	16	12	1	12

DIES MENS.	JULIUS.			AUGUSTUS.			SEPTEMBER			OCTOBER.			NOVEMBER.			DECEMBER.		
	h.	m.	s.	h.	m.	s.	h.	m.	s.	h.	m.	s.	h.	m.	s.	h.	m.	s.
1	12	3	29	12	6	1	11	59	48	11	49	37	11	43	42	11	49	19
10	12	5	1	12	5	5	11	56	50	11	47	0	11	44	6	11	53	7
20	12	6	2	12	3	9	11	53	19	11	44	51	11	45	51	11	57	57

Id est horologium nunquam varians horam in præfatâ tabellâ notatam indicabit momento quo sol lineam loci meridianam attingit.

5. — II. *Mensis astronomicus* seu lunaris est spatium temporis inter duas solis et lunæ *conjunctiones* vel *oppositiones* comprehensum : *Conjunctio* locum habet quando luna reperitur inter solem et terram [1] ; *Oppositio* verò, quando terra sita est inter solem et lunam. Etsi non semper eodem temporis intervallo perficiantur hujusmodi circumvolutiones et sint plurimæ in eis inæqualitates, attamen ab astronomis tribuitur eis communis mensura 29 dierum solarium cum 12 horis, 44 minutis, 3 secundis, 10 tertiis, 48 quartis.

6. *Mensis* autem *lunaris* dividitur in *novilunium* seu *neomeniam*, quæ locum habet conjunctionis tempore ; *plenilunium*, quod contingit tempore oppositionis ; et duas alias divisiones intermedias gallicè vocatas *premier* et *dernier quartier*.

Novilunium aliud est *ecclesiasticum* quod medio Epactarum per regulas in Ecclesiâ usitatas et infra tradendas determinatur : et *novilunium astronomicum* quod accidit eo præcisè momento quo luna est inter solem et terram. Maximè est notanda differentia inter utrumque novilunium : novilunium enim ecclesiasticum est primum instans quo luna apparet oculis post solis occasum sub formâ tenuissimæ lineæ circularis, quod non accidit nisi biduo post momentum conjunctionis, seu post novilunium astronomicum quod necessariò est invisibile. Tredecim ergo dies duntaxat sunt addendi novilunio ecclesiastico ut habeatur plenilunium ; dùm è contra quindecim dies sunt adjiciendi novilunio astronomico ut idem plenilunium perficiatur. (V. *Leçons de Cosmographie* par H. Garcet. 2e édit. *Notes complément.*, no 69.)

7. Nemo nescit quòd præter menses lunares sunt et alii menses annum solarem in duodecim partes inæquales dividentes ; videlicet : *Januarius*, *Februarius*, *Martius*, *Aprilis*, *Maius*, *Junius*, *Julius*, *Augus-*

[1] Non ita tamen ut necessariò eclipsis contingat.

tus, September, October, November et *December*. Septem ex illis, nempè : Januarius, Martius, Maius, Julius, Augustus, October et December 31 dies continent ; quatuor verò habent 30 dies : scilicet Aprilis, Junius, September et November. Februarius tandem habet duntaxat 28 dies in annis communibus et 29 dies in bissextilibus annis.

Ab antiquis Romanis mutuatæ fuerunt variæ illæ denominationes : cùm enim apud ipsos annus inciperet à mense Martio quem deo belli dicaverat Romulus, mensis sequens vocabatur *Aprilis* ab aperiendo ; deinde *Maius* à majoribus, *Junius* à Junone vel à junioribus, *Quintilis* (et postea, tempore Julii Cæsaris, Julius) eò quòd esset mensis quintus ; *Sextilis* (et postea, *Augustus* ab imperatore Augusto), *september*, *october*, etc., eò quòd essent menses 6s, 7s, 8s, etc., incipiendo à mense martio. His autem mensibus tempore Romuli solùm agnitis, duo alii à Numâ Pompilio additi sunt, nempe Januarius à Jano et Februarius à *Februis* seu expiationibus quæ eo mense in usu erant pro placandis mortuis.

8 Insuper apud Romanos, menses in tres partes dividebantur sub denominatione *Kalendarum, Nonarum* et *Iduum*. *Kalendæ* primâ die singulorum mensium semper incidebant; *Nonæ* contingebant semper nonâ die ante *Idus*, et ideo illis nuncupatio *Nonarum*. *Idus* autem sic vocatæ à voce etruscâ *Iduo* quæ dividere significat, eò quòd mensem in duas ferè æquales partes dividebant, contingebant die 15 in mensibus Martio, Maio, Julio, Octobri : in cæteris verò mensibus die tantùm 13 accidebant : proinde *Nonæ*, in quatuor præfatis mensibus, ponendæ erant die illorum septimâ, et in cæteris, die tantùm quintâ. Quoad alios dies intermedios, retrogradiendo enuntiabantur : videlicet : *Pridie Kalendas* (id est ante Kalendas), tertio, quarto, etc. Kalendas ; *Pridie, tertio, quarto*, etc. *Nonas*.

Cùm non semper idem esset numerus dierum inter *Kalendas* et *Nonas*, in quatuor mensibus supra enuntiatis, posterus dies Kalendarum vocabatur *quartus Nonas*, eò quòd in illis mensibus tres tantùm dies, inter dictas duas epochas intercedebant ; dum in aliis mensibus, *sextus Nonas* nuncupabatur, eò quòd quinque dies computarentur inter easdem. Item variabat numerus dierum inter Idus et Kalendas subsequentes ; tum quia menses modò sunt 31 dierum, modò 30, modò 28 ; tùm quia Idus modò ponebantur die 15, modò 13 ; et ideo posterus dies Iduum vocabatur vel decimus-nonus, vel decimus-septimus, vel tandem decimus-sextus Kalendas. Econtra, quamvis à loco suo moverentur dies ante Idus, attamen, ut jam diximus, semper idem erat eorum numerus, et posterus dies Novarum semper vocabatur octavus Idus, seu octavus ante Idus. Viget adhuc in Curiâ Romanâ præfatus modus dies mensium indicandi, et sic data inscribi solet in Constitutionibus Apostolicis.

9. Sciunt omnes *hebdomadæ* institutionem ad exordium mundi esse referendam, quando nempe Deus, omnibus intra sex dies creatis et ordinatis, septimo die ab opere desiit. Dies autem requiei vocatus fuit Sabbatum, et eâdem denominatione vocata fuit etiam hebdomada :

unde prima dies hebdomadæ vocata fuit pariter *prima* vel *una* sabbati; secunda dies, *secunda* sabbati, etc., ac propter eamdem rationem Pharisæus Evangelii dicebat : « *Jejuno bis in sabbato* », id est in hebdomadâ.

Sic autem vocari solent dies hebdomadæ apud christianos : prima dies, *Dominica*, quia ad cultum Dei specialiter consecratur et in memoriam revocat Domini resurrectionem quæ primâ hebdomadis die contigit; cæteræ dies vocantur : *Feria* 2ª, 3ª, 4ª, 5ª, 6ª *et Sabbatum*.

Apud verò gentiles vocabantur : Primus dies *solis*. 2s Lunæ (*Lundi*); 3s Martis (*Mardi*); 4s Mercurii (*Mercredi*); 5s Jovis (*Jeudi*); 6s Veneris *Vendredi*). Ex quo apparet non penitus ignotam fuisse hebdomadam extra Dei populum. Etiam apud Christianos, maximâ ex parte, vulgò sic hodie nuncupantur dies; quæ denominationes à variis planetis ortum videntur habuisse.

10. Apud Judæos *annus* sacer incipiebat à mense quo ipsi liberati fuêre per Moysen à servitute Ægyptiacâ (Exod. c. 12, v. 2; Levit. c. 23, v. 5; Num. c. 28, v. 16). Id est à mense *Nisan* (Prout nuncupatus fuit post captivitatem : nam in Pentateucho non aliter vocatur quàm *Abid* seu mensis novarum frugum. Exod. c. 13, v. 4; Deuter. c. 16 v. 1, aut *primus mensis*). Cæteri menses in Pentateucho vocantur *secundus... septimus*, etc.; sed in libro 3 Regum (c. 6, v. 1 et 17), secundus mensis vocatur *Zius* : post autem captivitatem vocatus fuit *Iiar* et tertius, *Sivan;* quartus, *Tamuz;* quintus *Ab*; sextus, *Eliel;* septimus, *Tizri* (sed in 3 Reg., c. 8. v. 2, vocatur *Ethanim*); octavus, *Marchesvan* (*Bul* autem in 3 Reg., c. 6, v. 38); nonus, *Casleu;* decimus, *Thabeth*; undecimus, *Sebeth*; duodecimus, *Adar*. Apud eosdem, mensis *embolismœus* seu intercalarius quando locum habebat, dicebatur *Veadar*. Ante Moysen, mensis *Tizri* seu septimus, videtur fuisse principium anni, et etiam postea ab eo incœpisse videtur annus civilis (Ap. Zallinger, *Appendix historica*, c. 1, nº 11.)

11. — III. *Annus astronomicus* alius est *solaris*, alius *lunaris* : annus *solaris* est temporis spatium quo sol ab æquinoctio vel à solstitio profectus, ad idem revertitur. Variat quidem hoc tempus, sed juxta mediam mensuram æstimabatur à Copernico : 365 d., 5 h., 49', 6"; à Cassino 365 d., 5 h., 48', 49"; à Delalande 365 d., 5 h., 48', 51" (Ap. Lequeux, *Dissert. de Kalend.*, nº 5 et nº 25, *nota* 1); à *Dictionnaire des dates* (vº *Calendrier*); 365 d., 5 h., 48', 45").

12. Differentia ergò inter annum astronomicum solarem et annum Kalendarii est, juxta Delalande : 11 min. et 9 secundarum, aut juxta *Dictionnaire des dates*, 11 min. et 15 secundarum.

13. Annus *Lunaris* est temporis spatium quo sol et luna duodecies conjunguntur. Durat autem hujusmodi annus juxta mensuram longitudinis mensis lunaris superiùs datam (5) : 354 d., 8 h., 48', 38", 9"', 36"".

Si ergo ab anno solari astronomico juxta computationem, *Dictionnaire*

des dates :	365 d.,	5 h.,	48',	45",	0"',	0"",	detrahatur annus
lunaris :	354 d.,	8	48	38	9	36 :	differentia inter an-
num solarem et an num lunarem erit :	10 d.,	21 h.,	0'	6"	50"'	24""	

Si autem ab anno solari civili seu Kalendarii,

	365 d.,	6 h.,	0 ',	0" ,	0"',	0"".
detrahatur annus lunaris	354	8	48	38	9	36
differentia erit :	10 d.,	21 h.,	11',	21",	50"'	24""

Annus autem lunaris communis Kalendarii componitur 12 mensibus lunaribus quorum sex sunt 30 dierum, et sex duntaxat 29, qui omnes efformant simul summam 354 dierum.

§ II.

Quomodo successu temporum efformatum fuit Kalendarium.

14. Sat facilè, saltem approximativè, determinari potest longitudo anni solaris, erigendo supra lineam meridianam in superficie horizontali stylum perpendiculare, et observando spatium temporis quod intercedit inter momentum quo umbra styli est brevior, scilicet quo accidit solstitium æstivale, et aliud momentum quo eadem umbra est projectior, seu quo contingit solstitium hyemale : illud spatium est circiter media pars anni tropici. Habebitur autem annus integer, si expectetur momentum quo sol regreditur ad prius solstitium seu æstivale.

15. Defectu instrumentorum sat perfectorum, initio, annus nonnisi imperfectè potuit determinari : unde fortè primùm anni solares non distinguebantur ab annis lunaribus; sed cùm, repetitis observationibus, compertum fuerit deinde annum solarem constare circiter 365 diebus, ac proinde differre 11 diebus ab anno lunari, qui 354 dies solùm putabatur habere, necesse fuit identidem singulis scilicet circiter trienniis, unum mensem lunarem adjicere anno lunari ut coæquaret annum solarem. Ad hanc autem æquationem perficiendam varii excogitati sunt cycli seu periodi annorum intra quas revolutiones solis et lunæ in eumdem statum redire videbantur. Sufficiat hîc exponere cyclum Metonis qui *Numero aureo* dedit originem, circa annum 439 ante æram nostram.

16. Existimavit ergo Meto, Atheniensis mathematicus, quòd post periodum 19 annorum solarium, lunationes concordarent cum anno solari : anni enim solares 365 dierum, 19 vicibus repetitæ efficiunt 6935 dies : pariter annus lunaris constans 354 diebus, si 19 vicibus repetatur, efficit summam 6726 dierum, quibus quidem 209 dies deficiunt ut perveniatur ad summam 6935 dierum, sed 209 dies æquivalent sex lunationibus 30 dierum et uni lunationi 29 dierum; adjectis

ergo septem lunationibus [1], anni solares coæquant annos lunares.

17. Ut in praxim redigeretur istè cyclus, invenit Meto *Numerum aureum* : cùm enim tertio anno cycli, novilunium contingebat 1ª die Januarii, hâc ipsâ primâ die posuit Numerum 3. Cùm autem anno sequenti seu quarto cycli, primâ die januarii, luna habitura erat 11 dies, et novilunium hoc anno quarto, non foret eventurum nisi 20º die ejusdem mensis, ideo Meto posuit Numerum 4 hoc ipso 20º die Januarii in Kalendario. Propter eamdem rationem Numerum 5 posuit die 9 Januarii, eò quòd, hoc anno cycli, die 1 Januarii luna habitura erat 22 dies et novilunium non esset rediturum nisi 9º die ejusdem mensis, et sic de aliis cycli numeris.

Numerus autem 3 affixus primâ die Januarii rursus fuit affixus die 31 ejusdem post 30 dies, et 1 Martii post 29 dies, et sic in aliis mensibus alternativè post 30 et 29 dies. Idem factum pro Numero 4, qui primò positus 20 Januarii, rursus positus fuit 18 Februarii, 20 Martii, etc., et sic de aliis Numeris prout est videre in Kalendario posito ad calcem hujus dissertationis.

18. Hic cyclus vocatus fuit *Enneadecaeteris*, seu periodus 19 annorum et etiam cyclus Numerorum aureorum quia in Kalendariis, Numerus anni currentis auro inscribebatur.

19. Optima quidem fuisset illa methodus tempora computandi, si reverà perfectè post 19 annos concordassent circumvolutiones solis et lunæ, seu, quod idem est, si longitudo anni solaris fuisset præcisè 365 dierum, et anni lunaris 354 dierum ; sed res aliter se habet ut supra exposuimus (11, 12, 13) : annus enim solaris habet 365 et ferè 6 horas, annus lunaris etiam plus habet quàm 354 dies : undè mutationes necessariò erant faciendæ identidem in positione Numeri aurei ut exactè novilunia ostenderet, et sic ipsius usus commodus non erat ; reformatione ergo indigebat Kalendarium.

20. Ipsius reformationem tentavit Julius Cæsar, ope Sosigenis astronomi Alexandrini. Cùm iste judicaret annum esse 365 dierum cum 6 horis, Julius Cæsar existimavit omnia benè posse componi statuendo quòd, post tres annos 365 dierum, intercalaretur semper unus annus 366 dierum. Voluit autem diem additum annecti mensi Februarii, sexto Kalendas Martii ; proinde, hoc anno, bis aderat sextus Kalendas, et ideo huic nomen *bissextilis* inditum fuit.

21. Hoc eodem tempore, initium anni civilis affixum fuit 1º Januarii, eò quòd hæc dies esset proximior solstitio hibernali et quòd, hoc anno (45 ante Christum [2]), novilunium incideret decimo post solstitium die, scilicet primâ Januarii.

[1] Nempe addenda est una lunatio 30 dierum in annis 3, 5, 8, 11, 13, 16, et una lunatio 29 dierum in anno 19º, seu in fine Cycli : hujusmodi lunationes *Embolysmeæ* vocantur.

[2] Juxta *Dictionnaire des dates* (vº *Calendrier*), reformatum fuit Kalendarium à Julio Cæsare, anno 708 à Româ conditâ, seu 45 ante Christum : etenim, juxta idem Dictionarium [*ib.*], addendi sunt 45 anni æræ Christianæ ut habeatur annus reformationis Julianæ.

22. Hâc reformatione, Julius Cæsar præsertim voluerat conciliare annum civilem, seu Kalendarii, cum anno tropico, seu astronomico, sed imperfectum erat systema ab ipso adhibitum : supponebat enim annum tropicum constare 365 diebus cum 6 horis completis; porrò, ut diximus supra (12), anno tropico deficiunt 11 minuta cum 9 secundis juxta Delalande, vel 11 minuta cum 15 secundis juxta *Diction. des dates*.

Porrò, si 11 minuta cum 9 secundis (juxta æstimationem Delalande) repetantur 129 vicibus efficiunt summam 86,301 secundarum. Cùm verò una dies habeat 86,400 secundas, post 129 annos, ferè unâ die[1] annus tropicus antecebat annum civilem. Imò si exactior sit supputatio *Dictionnaire des dates*, cùm 11 minuta et 15 secundæ 128 vicibus repetitæ efficiant præcisè summam 86,400 secundarum seu unam diem, post 128 præcisè annos, annus tropicus, unâ die, antecedebat annum civilem ; proinde æquinoctium contingebat 24 horis ante diem assignatum in Kalendario ; post autem 256 annos, duobus diebus ante contingebat ; post verò 384 annos tribus diebus, etc. Novâ ergo reformatione indigebat Kalendarium Julii Cæsaris. Quomodo verò hæc reformatio fuerit peracta, mox dicemus.

23. Christiani non solùm indigebant cyclo solari, sed eis maximè opus erat cyclo lunari rectè ordinato. Celeberrimum enim est apud ipsos, sicut apud Judæos, Festum Paschale, et ab hoc Festo pleraque cætera pendent : in plenilunio seu decimâ quartâ die lunæ, quæ proximiùs æquinoctio verno respondebat, judæi hoc festum celebrare debebant (Exod. c. 12, v. 18 ; Levit. c. 23, v. 5 ; Numer. c. 28, v. 16.); christiani verò, etiam ab Ecclesiæ primordiis, non in ipso plenilunio seu 14 lunæ, quæ censebatur esse dies ipse mortis Domini, Pascha celebrabant, sed in Dominicâ subsequenti ; unde primùm improbati, postea damnati sunt qui cum Judæis Pascha, decimâ quartâ lunæ celebrandum esse contendebant.

24. Ad detegendam autem lunam paschalem, varii adhibiti fuerunt cycli : alii enim utebantur *Octoeteride* et cyclo S. Hippolyti ; alii cyclo 84 annorum ; alii *Enneadecaeteride*, ut videre est apud Zallinger (*ib.* cap. 4, etc.).

Tandem Nicæna Synodus, anno 325, tria statuit : 1° Ut secundùm receptam ab incunabulis Ecclesiæ legem, Pascha non celebraretur nisi Dominicâ diem 14 lunationis paschalis subsequente ; 2° quòd lunatio paschalis esset illa cujus dies 14 incidebat vel in 21 Martii diem qui hoc anno respondebat æquinoctio, vel in diem proximiùs sequentem, nunquam verò in proximiùs antecedentem ; 3° quoad supputationem lunationum, Concilium admisit cyclum *Enneadecaeteride* seu Numerorum aureorum, prout constat ex litterâ S. Ambrosii ad Episcopos Æmiliæ, ubi de Patribus Nicænis dicit : « Convenientes ad Syno» dum Nicænam... admiranda decreta... super celebritate memoratâ » (paschali), congregatis peritissimis calculandi *decem et novem anno-*

[1] Ipsi enim tantùm desunt 99 secundæ, seu 1 minutum cum 39 secundis.

» *rum* collegere rationem et quasi quemdam constituere circulum » ex quo exemplum in annos reliquos gigneretur; hunc circulum » *Enneadecaeteridem* nuncupaverunt. » (Ap. Zallinger *ib.* c. 5, nº XLI, etc.)

25. Juxta decreta Concilii Nicæni patet quòd dies quo citiùs Pascha celebrari valet est 22 Martii, et dies quo tardiùs est celebranda est 25 Aprilis. Nam potest contingere quòd plenilunium, seu luna 14 paschalis incidat in 21 Martii seu diem æquinoctii; porrò, hoc contingente, si dies 22 Martii sit Dominica, in hâc Pascha erit celebranda juxta supra dictam regulam, et hic erit dies proximior quo possit celebrari, quippe Pascha non debet celebrari cum judæis die 14 lunæ, eò quòd Dominus noster eo die fuerit traditus. Potest etiam contingere quòd plenilunium 21 Martii proximiùs sequens, incidat in 18 Aprilis : hoc autem contingente, si hæc dies sit Dominica, Pascha non erit celebranda, propter modò dictam regulam, nisi Dominicâ subsequente, id est 25 Aprilis, et hæc dies est locus remotior Festi Paschalis.

26. Pluries in Ecclesiâ exortæ fuerunt difficultates circa hunc posteriorem casum : vide apud Zallinger (*ib.* cap. 6, nº XLVIII) quomodo S. Ambrosius respondebat quoad hoc Episcopis Æmiliæ.

27. Cùm ad determinandum diem Paschatis non solùm sit necessarium detegere plenilunium paschale, sed adhuc dignoscenda sit dies Dominica, ad hunc finem obtinendum excogitatus fuit à Victorio Aquitano cyclus 532 annorum qui confectus fuit multiplicatione 19 annorum cycli Metonis cum 28 annis cycli solaris, seu litterarum dominicalium. Fundamentum illius cycli erat quòd putabatur tunc novilunia fore semper reditura eodem die post 19 annos, et quòd post 28 annos, dies hebdomadæ, iisdem diebus cujusque mensis responderent : his enim suppositis Festum paschale et cætera festa secundùm eumdem ordinem post 532 annorum eventura necessariò erant.

28. Dionysius Exiguus hunc cyclum perfecit et passim fecit adoptari circa annum 533. Idem est qui morem induxit annos æræ nostræ computandi ab Incarnatione Domini : communis tamen est eruditorum sententia Dionysium non rectè determinasse epocham Incarnationis Christi. Antè autem Dionysium alii computabant annos à Româ conditâ, alii verò ab initio regni Diocletiani.

29. Cyclus Dionysii sufficiens non afferebat remedium vitiis cyclorum antecedentium : in eo enim adhuc supponebatur annum solarem esse 365 dierum cum 6 horis completis, et insuper annos lunares post spatium 19 annorum seu post 235 lunationes, concordare cum anno solari : porrò, ut supra diximus (11), non tantùm desiderantur 11 minuta cum 9 vel 15 secundis, ut annus tropicus compleat 365 dies cum 6 horis, sed insuper 235 lunationes ferè unâ horâ cum dimidiâ minores sunt 19 annis solaribus Julianis quales supponebat cyclus Metonis.

Etenim 365 dies cum 6 horis multiplicati
per 19

3285
365

4 d. 18 h.

efficiunt 6939 d. 18 h.

Econtrà cùm lunationes habeant 29 d. 12 h. 44 ' 3" 10"' 48"" (5), si 235 vicibus repetantur, 1°. 48"" efficiunt 11280"" seu 188"'; 2°. 10"' efficiunt 2350"' quibus si addas 188"' habebis 2538, seu 42" cum 18"'; 3°, 3" efficiunt 705" quibus si addas 42" habebis 747" seu 12'. 27"; 4°, 44', efficiunt 10340'; quibus si addas 12', habebis 10352', seu 172 h. 32'; 5°, 12 horæ efficiunt 2820 h., quibus si addas 172 h., habebis 2992 h., seu 124 dies cum 16 horis; 6°, 29 dies efficiunt 6815 dies, quibus si addas 124 dies, habebis 6939 dies.

Ergo 235 lunationes efficiunt 6939 d. 16 h. 32' 27" 18"'. Porrò si de 6939 d. 18, h. 0', 0", 0"', contentis in 19 annis solaribus, detrahas 6939 d. 16, h. 32', 27" 18"' quæ in 19 annis lunaribus continentur

deficient 1. h. 27', 32" 42" annis lunaribus ut adæquent 19 annos solares quales æstimabantur ante reformationem Gregorianam.

30. Si ergo post 19 annos, annus lunaris redeat 1 h. 27' 32" 42"' ante annum solarem, post circiter 312 annos cum dimidio, novilunium continget unâ die ante epocham assignatam in Kalendario [1].

31. Ex variis causis supra enumeratis, lapsu temporum evenerat quòd annus solaris civilis non ampliùs concordaret cum anno tropico, et quamvis æquinoctium, adhuc in Kalendariis supponeretur incidere in diem 21 Martii, attamen reipsa, decimo sexto sæculo, incideret in diem 11 ejusdem mensis. Item novilunia, cyclum Metonis sequendo, aderant quatuor circiter diebus ante epocham in Kalendariis assignatam. Imò, iisdem causis permanentibus, tandem æquinoctium incidere potuisset in solstitium, et contigisset ut Festum Paschale celebraretur eo tempore quo solemnizari debet Domini Nativitas.

32. Pluries expetita et tentata fuit reformatio. « Ipsam, inquit Le-» queux (*Dissert. de Kalendario*, n° 25 *in fine*), Cardin. Petrus De » Alliaco... proposuerat; eamdemque Gerso in Concilio Constantiensi » instanter postulaverat. Sixtus IV manum operi admovit utens operâ » astronomi Regiomontani, nec rem perficere potuit. Concilium Tri-» dent. ad S. Sedem negotium remisit; tandem ad exitum perduxit » Gregor. XIII, anno 1581, adjutus à celeberrimis astronomis, impri-» misque libro Aloysii Lelio, medici romani », et perdoctissimo Jesuitâ Clavio.

33. Volens autem antiquam observare legem Nicænam quâ statutum

[1] **Hoc invenitur ope sequentis regulæ proportionis : (1 h. 27' 32" 48"') seu 315168"', : 19 :: (1 dies seu) 5,484,000"" X. Pro quarto termino proportionis inveniur numerus 342 annorum cum 6 mensibus, et fere 9 diebus.**

fuerat plenilunium paschale esse illud quod occurrebat 21 Martii vel proximiori die subsequente, Pontifex 10 dies demere jussit de mense Octobris 1582, nempe à Festo S. Francisci, quod in quartum Octobris cadit, ad 15 diem ejusdem mensis, in quo hodie festum S. Theresiæ celebratur : ideo autem tali anni epochâ hanc detractionem fieri voluit, quia minores in eâ et pauciores inveniebantur festivitates.

Sic Pontifex præteritos errores correxit; ut autem futuri præcaverentur statuit ut, conservatâ successione annorum bissextilium in quadrienniis, exceptio tamen fieret in certis annis sæcularibus : ut nempe anni 1700, 1800, 1900 essent communes, sed forent bissextiles anni 1600, 2000; utque rursus communes forent anni 2100, 2200, 2300, et postea adhuc essent bissextiles anni 2400, 2800, non verò 2500, 2600, 2700, etc,

Quoad autem cyclum lunarem, jussit ut non ampliùs adhiberentur Numeri aurei ad designanda novilunia, sed eorum loco substituerentur *epactæ* quæ in Kalendario eamdem semper retinent positionem, quamvis in singulis annis diversus sit numerus epactarum [1].

34. Vox *Epacta* venit à verbo græco quod *adjicio* significat. Epactæ autem indicant dies quas habet luna primo Januarii. Sic verò disponuntur in Kalendario : primâ die Januarii ponitur ✠, quia si epactæ sint ✠ (seu 0), novilunium ecclesiasticum primâ die Januarii accidit : ponitur deindè signum XXIX secundâ die Januarii, quia si epactæ sint XXIX, novilunium eo anno contingit hâc ipsâ secundâ die; unde primâ die Januarii luna habebat XXIX dies. Propter eamdem rationem ponitur signum XXVIII tertiâ die Januarii et sic de aliis signis, prout videri potest in Kalendario infra descripto.

35. Advertendum quòd alternis mensibus signa XXV, XXIV eodem die ponantur, eò quòd menses lunares in Kalendario supponantur alternatim 30 et 29 dies habere.

In mensibus pro quibus epactæ XXIV et XXV non sunt eâdem die copulatæ, additur ad latus epactæ XXV numerus 25 caractere arabico; in mensibus autem pro quibus sunt copulatæ, eadem epacta 25 conscribitur ad latus epactæ XXVI. Res ita fit ut vitetur ne per totum cyclum 19 annorum, bis novilunia incidant in eamdem mensis diem, quod contingere posset quando epactæ anni currentis sunt XXIV et XXV (Lequeux, *ib.*, nº 29). Cùm ex antiquâ consuetudine mensis lu-

[1] Verba Bullæ Gregorianæ *Inter gravissimas*, hæc sunt : « Ne in posterum à XII » Kalendas Aprilis [21 Martii] æquinoctium recedat, statuimus bissextum, quarto » quoque anno, uti mos est, continuari debere, præterquam in centesimis annis, qui, » quamvis bissextiles antea semper fuerint, qualem etiam esse volumus annum » 1600, post eum tamen, qui deinceps consequentur centesimi, non omnes bissextiles sint, sed in quadringentis quibusdam annis, primi quique trecenti sinè bissexto » transigantur, quartus verò quisque centesimus bissextilis sit; ita ut annus 1700, » 1800, 1900 bissextiles non sint, anno verò 2000, more consueto, dies bissextus » intercaletur Februario dies 29 continenti : idemque ordo intermittendi, intercalandique bissextum semper servetur. » Vide ap. Zallinger, cap. 2, § CXXX.

naris paschalis supponatur esse 29 dierum, ideo hæc duo signa ponuntur 5 Aprilis inter duos limites lunationis paschalis 8 Martii et 5 Aprilis (Go descard, 15 Oct. p. 139).

Adverte etiam quòd in annis bissextilibus eadem epacta respondet diebus 24 et 25 Februarii.

36. Sic autem concurrunt epactæ cum Numero aureo, supposito quòd sit novilunium initio cycli aurei :

Numeri aurei : 1, 2, 3, 4, 5, 6, 7, 8, 9, 10, 11,
Epactæ : ✠, XI, XXII, III, XIV, XXV, VI, XVII, XXVIII, IX, XX,

Numeri aurei : 12, 13, 14, 15, 16, 17, 18, 19.
Epactæ : I, XII, XXIII, IV, XV, XXVI, VII, XVIII.

Undecim dies, ut patet, adduntur singulis annis epactis anni præcedentis.

37. Nota tamen 1° quòd in reassumendo cyclum Numerorum aureorum adjiciendi sunt 12 dies epactis numeri aurei 19, ut habeatur epacta primi anni cycli, ut facilè perspici potest ex præcedenti tabellâ; et ratio est quòd, ut diximus supra (16), ultima lunatio embolysmæa non sit 30 dierum, sed tantùm 29 : si ergo in fine cycli 19, epactæ XVIII undecim dies adjiciantur, mensis lunaris adjiciendus efficitur completus seu 29 dierum ; proinde novilunium erit primâ die Januarii cycli Metonis iterum incipientis ; porrò idem obtinetur adjiciendo 12 dies epactæ XVIII anni finalis cycli, et detrahendo 30 dies loco 29, ut sic obtineatur signum novilunii primi anni cycli seu numeri primi aurei in præcedenti tabellâ indicati.

38. Nota 2° quòd nulla epacta possit esse XXX, quia, hoc contingente, fit mensis lunaris anno lunari currenti adjiciendus. Detracto ergo mense integro 30 dierum, superest ut indicetur ætas novæ lunæ quæ in hoc casu est 0, cùm tunc sit novilunium, et exprimitur signo ✠.

Notandum est pariter quòd lunationes sic indicatæ, aliquatenus discrepent à lunationibus astronomicis, et etiam à lunationibus quatenus indicantur in Kalendariis vulgò dictis *Almanachs* : vide infra dicenda (69).

39. Præcedens tabella nequit inservire ad cujusvis temporis epactas propter rationes supra indicatas (29, 30, 31). Ponimus hìc tabellam pro tempore reformationis à Julio Cæsare peractæ :

TABELLA EPACTARUM RESPONDENTIUM NUMERIS AUREIS, ANNO REFORMATIONIS A JULIO CÆSARE FACTÆ, SCILICET ANNO 45 ANTE ÆRAM NOSTRAM *(erat tunc Numerus aureus 14, et novilunium primâ die Januarii)* : vide dicta supra (21).

Numeri aurei : 14, 15, 16, 17, 18, 19, 1, 2, 3, 4,
Epactæ : ✠, XI, XXII, III, XIV, XXV, VII, XVIII, XXIX, X,

Numeri aurei : 5, 6, 7, 8, 9, 10, 11, 12, 13.
Epactæ : XXI, II, XIII, XXIV, V, XVI, XXVII, VIII, XIX.

40. Anno autem reformationis Gregorianæ, ante reformationem, observanda erat tabella sequens juxta Breviarium :

Numeri aurei : 1, 2, 3, 4, 5, 6, 7, 8, 9, 10,
Epactæ : XI, XXII, III, XIV, XXV, VI, XVII, XXVIII, IX, XX,

Numeri aurei : 11, 12, 13, 14, 15, 16, 17, 18, 19.
Epactæ : I, XII, XXIII, IV, XV, XXVI, VII, XVIII, XXIX.

Et concordat hæc tabella cum præcedenti : etenim : ex tabellâ (39), initio cycli aurei, qui contigit uno anno ante æram nostram, epactæ erant VII ; porrò epactis tabellæ quæ tempore Incarnationis Domini fuisset in usu, quatuor dies sunt adjiciendi ut indicent epactas quæ observandæ erant anno reformationis Gregorianæ ; nam post circiter 312 annos cum dimidio, adjicienda est una dies seu una epacta cyclo lunari (30) ; porrò à periodo 312 quæ decurrebat tempore Christi et finita fuit versùs annum 300, usque ad epocham reformationis Kalendarii anno 1582, quater et ampliùs elapsi sunt 312 anni cum dimidio : ergo quatuor dies addendi sunt epactis cycli aurei anno Incarnationis respondentis, ut habeantur veræ epactæ anni reformationem Gregorianam antecedentis : porrò quatuor diebus adjectis epactis tabellæ supra (39) delineatæ, habetur præcisè tabella (40), quæ in usu esse debuisset ante reformationem 1582, ut facilè perspici potest comparatione tabellarum.

41. Quoniam verò, propter præcessionem æquinoctii, decem dies ab anno civili erant detrahendi anno reformationis (22), ut hujusmodi annus concordaret cum anno tropico, decem etiam dies erant detrahendi à cyclo epactarum, ut concordarent epactæ cum anno civili sic reformato : unde sic disponenda fuit post reformationem, anno 1582, tabella concordantiæ epactarum cum aureis numeris (nota quòd annus 1582 erat 6 cycli Metonis).

Numeri aurei : 6, 7, 8, 9, 10, 11, 12, 13, 14,
Epactæ : XXVI, VII, XVIII, XXIX, X, XXI, II, XIII, XXIV

Numeri aurei : 15, 16, 17, 18, 19, 1, 2, 3, 4, 5.
Epactæ : V, XVI, XXVII, VIII, XIX, I, XII, XXIII, IV, XV.

Uti autem licuit hâc tabellâ ab anno reformationis usque ad annum 1700 exclusivè.

42. Quia autem annus 1700 non fuit bissextilis propter rationes supra expositas (33), ab hoc anno epactæ minuendæ erant unâ die ; proindè, cùm, anno 1700, Numerus aureus erat 10, epactæ quæ, hoc anno, debuissent esse X, juxta tabellam præcedentem, IX tantùm fuerunt ab anno 1700, XX loco XXI anno sequenti, et sic in aliis Numeris aureis : unde sic confecta fuit tabella concordantiæ epactarum cum aureis Numeris ab anno 1700 usque ad annum 1900 exclusivè :

Numeri aurei : 10, 11, 12, 13, 14, 15, 16, 17, 18, 19,
Epactæ : IX, XX, I, XII, XXIII, IV, XV, XXVI, VII, XVIII,

Numeri aurei : 1, 2, 3, 4, 5, 6, 7, 8, 9.
Epactæ : ✠, XI, XXII, III, XIV, XXV, VI, XVII, XXVIII.

Anno quidem 1800, cùm esset communis, debuisset detrahi pariter una dies ab Epactis ex hoc anno computandis; sed quia, versùs hoc tempus[1] una dies erat adjicienda (30), nihil est mutandum præcedenti tabulæ ut adhiberi valeat usque ad annum 1900, in quo iterùm una dies erit demenda ab Epactis præcedentis tabulæ, eò quòd annus 1900 non sit bissextilis[2] et tunc nova conficienda erit tabella concordantiæ quæ poterit inservire usque ad annum 2200 exclusivè.

Tale fuit systema reformationis à Gregorio XIII adoptatum.

43. Etsi hæc reformatio præcipuis vitiis veteris Kalendarii remedium attulerit, non ideo est ita perfecta ut omni defectu careat : nam in eâ annus solaris supponitur habere 365 d., 5 h., 49', 12"; dum è contra, ut supra vidimus (11), juxta *Dictionnaire des dates*, habet tantùm 365 d., 5 h., 48', 45"; porrò hæc differentia 27 secundarum, unam diem integram efficit post spatium, 3200[3] annorum, proinde post hoc tempus unus annus bissextilis esset supprimendus, et per idem spatium non solùm supprimendi essent 24 anni bissextiles, ut fieri debet juxta reformationem Gregorianam, sed 25 anni. Huic vitio certè remedium est in promptu.

44. Insuper dies lunares Kalendarii non perfectè quadrant cum lunationibus astronomicis, sed ab eis unâ vel alterâ die differre possunt; proinde plenilunium Kalendarii potest incidere in diem Dominicam, vel 21 Martii; dum plenilunium astronomicum incidit ante diem dominicam, aut dictum æquinoctium : unde Festum paschale sæpe multùm aliter foret celebrandum juxta observationes astronomicas quàm juxta Kalendarium; sed hæc differentia non potest habere multum ponderis : etenim Festum paschale est tantùm institutionis ecclesiasticæ; porrò Ecclesia statuit quòd Pascha celebraretur Dominicâ subsequente, non plenilunium paschale astronomicum, sed plenilunium paschale Kalendarii ab ipsâ observati; ergo evanescit difficultas. Præterea si observaretur plenilunium astronomicum contingere posset quòd Festum paschale non eodem die esset celebrandum ab universali Ecclesiâ, cùm plenilunium astronomicum non eodem momento accidat ubique; porrò grave esset inconveniens quòd unâ dominicâ, vel etiam forte uno mense et ampliùs Pascha celebraretur in uno loco, et in aliâ Dominicâ vel alio mense aut ampliùs celebraretur in altero loco. Ergo nulla est

[1] Anno nempe, 1831, si periodus 312 annorum cum dimidio circiter computetur ab anno reformationis Julianæ 45 ante Christum, vide supra (30-31).

[2] « On a décidé, inquit D. Garcet, *Leçons nouvelles de cosmographie, notes supplém.*, (n° 67), qu'à chaque année séculaire non bissextile on diminuerait d'une » unité les épactes. C'est la *métemptose* ou équation solaire. En outre on est convenu que, de trois siècles en trois siècles (en 1500, 1800, 2100), on augmenterait » les épactes d'une unité. C'est la *Proemptose* ou équation lunaire. Ces deux corrections s'annullent quelquefois l'une par l'autre : ainsi en 1800, il a fallu diminuer les épactes, parce que l'année n'était pas bissextile, et les augmenter » parce que l'année fait partie de la période 1500, 1800, 2100, etc., ce qui est revenu à n'y rien changer. En 1900, les épactes seront diminuées d'une unité. »

[3] Una dies continet 86400 secundas, quæ si dividantur per 27, quotiens erit 3200.

ratio sequendi plenilunium astronomicum; imò illud sequi non esset rationabile.

45. Cùm verò hæc, et quædam fortè alia acatholicæ gentes objicerent quominus se excusarent ab admittendâ reformatione Gregorianâ, ut amputaretur omnis dissentionis occasio, sæculo XVII agitata fuit Romæ quæstio utrum aliquid esset emendandum in Kalendario reformato. Ad hunc finem instituta fuit Congregatio, cui præfuit Cardinalis Norizius; sed consultis celebrioribus astronomis, ut Cassini, etc., omnes tandem convenêre in retinendis cyclis Kalendarii Gregoriani, eò quòd sufficerent ad removendum quemvis errorem notabilem.

46. Reformatio Kalendarii statim vel ferè statim fuit adoptata non tantùm in Italiâ et Hispaniâ, sed etiam in Galliâ, Belgio, Hollandiâ, Frisiâ, etc. Non verò fuit adoptata ab Angliâ, nisi anno 1752. Anglos imitati sunt Sueci, anno 1753; deinde, anno 1775, Evangelici seu Protestantes Germaniæ [1]. Soli hodie Rutheni in Europâ cum Græcis schismaticis vetus Kalendarium obstinatè retinent, mallentes dissentire cælo, ait quidam, quàm Ecclesiæ catholicæ convenire. Et quia, à tempore reformationis Gregorianæ, præter decem dies, qui tunc erant addendi veteri Kalendario, duo insuper hodie adjiciendi sunt propter præcessionem æquinoctii, illarum gentium Kalendarium à nostro differt 12 diebus; et computant tantùm, v. g.: 20 Decembris, quando habemus 1 Januarii. Hæc differentia sic exprimitur: 20 decembris 1859. — 1 Januar. 1860, vel 1 Januar. — 12 Januar. 1860, etc. vid. *Feller*, v° *Grégoire* XIII, Zallinger, *ib.*, c. 12; *Dictionnaire des dates*, v° *Calendrier de Grégoire* XIII.

§ III.

De modo inveniendi Indictionem, annum bissextilem, Numerum aureum, Epactas, etc., etc.

47. Utile ducimus supradictis adjicere quasdam regulas seu methodos ad varia modò enuntiata invenienda. Non enim semper indicantur in Kalendariis quæ præ manibus habentur, et pluries contingere potest quòd sit necessarium ad hujusmodi notiones recurrere.

48. — 1. *Indictio romana.* Hâc voce intelligitur periodus 15 annorum romæ usitata, cujus origo non benè cognoscitur. Astronomicus non est hic cyclus, sed potiùs chronologicus. Indictio autem anni Incarnationis erat 4. Proinde ut inveniatur Indictio ante Christum, 4 anni sunt demendi à numero annorum cujus indictio quæritur; quod superest est dividendum per 15. Si sit fractio, detrahenda est à divisore 15, et sic obtinebitur indictio ante Christum; si non sit fractio, Indictio est tunc 15.

Si quæratur, v. g. Indictio anni 106 ante Christum, detrahe ab hoc

[1] Non tamen quoad totum systema et nisi sub hâc clausulâ: « si modus computandi melior, qui communiter placeret, non excogitaretur. » Vide Zallinger, *ib.* n° CLIV; et *Dictionnaire des dates*, v° *Calendrier de l'Eglise*.

numero 4, et habebis 102, divide per 15; quotiens est 6 cum fractione 12; si eam detrahas à divisore 15, obtinebis numerum 3, qui Indictionem quæsitam exprimit.

Si inveniendà sit Indictio post Christum, tres anni sunt adjiciendi millesimo cujus Indictio quæritur; totum dividendum est per 15, et fractio quæ superest indicat quæsitam Indictionem; si nihil supersit, indictio est 15 : v. g : si quæratur Indictio anni 12 post Christum, adde 3 præfato numero, divide per 15; cùm nihil supersit, Indictio est 15.

49. — II. *De anno bissextili.* Nemo nescit quid per annum bissextilem sit intelligendum. Annus præcedens æram nostram erat bissextilis: unde ad inveniendum annum bissextilem :

1° Si agatur de tempore ante Christum, demenda est unitas ab anno proposito; numerus qui superest, dividendus est per 4; si nihil supersit, annus propositus est bissextilis; si autem aliquid supersit, numerus superstes indicat quot supersint anni ante bissextilem, v. g : si quæram an bissextilis fuerit annus 10 ante Christum, divido 9 per 4; superest unitas quæ indicat annum 10 præcedere bissextilem.

2° Post Christum usque ad reformationem Gregorii XIII, dividendus est numerus anni propositi per 4; si nihil supersit, annus est bissextilis; si aliquid supersit, numerus qui superest, indicat quot anni efluxerint ab ultimo anno bissextili.; v. g : si velim scire an annus 1582 fuerit bissextilis, divido 1582 per 4, superest numerus 2; proinde anno 1582 duo anni efluxerant post ultimum bissextilem qui contigerat anno 1580.

Eadem regulâ est observanda post reformationem Gregorianam, nisi quòd anni 1700, 1800, 1900, 2100, etc., non ampliùs fuerint aut futuri sint bissextiles, ut supra diximus (33).

50. III. De *Numero aureo.* Satis diximus supra quid sit *Numerus aureus* et ad quid inserviret ante reformationem Gregorianam et introductionem systematis epactarum (17, 19); porrò licet hodie non ampliùs sit adhibendus in Kalendario pro inveniendis novilunïis (33), cùm tamen sit utilis, imò necessarius ad inveniendas ipsas Epactas, dandæ sunt hic regulæ ad illum inveniendum tàm ante quàm post Christum.

51. *Regula ad inveniendum Numerum aureum ante Christum :*

Detrahe 2 à numero annum designante (si quidem hic cyclus renovatus fuit anno qui nostram æram præcessit); divide per 19; detrahe à divisore 19, numerum qui superest, et invenies Numerum aureum quæsitum. Si nihil supersit, Numerus aureus est 19 : v. g. : si quæratur Numerus aureus anni 135 ante Christum, ab hoc numero annorum detrahe 2; divide 133 per 19; habebis 7 in quotiente, et quia nihil superest, Numerus aureus anni 135, est 19.

52. *Regula pro adinveniendo Numero aureo post Christum :*

Adde unitatem numero designanti annum cujus quæritur Numerus aureus; divide per 19; quod superest indicat Numerum aureum; si autem nihil supersit, Numerus aureus est 19.

